PHILOSOPHIA
PER ARGVMENTA
BREVITER EXPLICATA,
AD VSVM, ET EXEMPLVM
huius ſcientiæ ſtudio vacantium.

Auctore P. GVILLELMO CHABRONO, *è Societate* IESV.

TOMVS TERTIVS.

ALTERA PARS PHYSICAE.



PARISIIS,
Apud GASPARVM METHVRAS, patrem & filium, viâ Iacobæâ ſub ſigno SS. Trinitatis, prope Mathurinenſes.
M. DC. LXIV.
CVM PRIVILEGIO REGIS.

INDEX DISPVTATIONVM, ET SECTIONVM,

quæ in hoc tertio Tomo continentur.

TRACTATVS QVINTVS PHYSICVS.

De Generatione, & Corruptione.

DISPVTATIO I.

DISPVTATIO II.

TRACTATVS SEXTVS, ET VLTIMVS PHYSICVS.

DISPVTATIO III.

DISPVTATIO IV.

TRACTATVS V.

PHYSICVS.

DE GENERATIONE, & Corruptione.

QVÆ diximus superioribus tractatibus de ingenerabilitate materiæ primæ, de corruptibilitate cœlorum, & aliorum compositorum sublunarium, clariora adhuc fient ex his, quæ de pertinentibus ad generationem, & corruptionẽ disputabimus in isto. In quo prima disputatio erit de generatione, & corruptione. Secunda de alteratione. Tertia de rarefactione, & condensatione. Quarta de actione, & reactione. Quinta de elementis, vt sunt principia mixti. Et sexta, & vltima de mixtione, & mixto.

DISPVTATIO I.

De Generatione & Corruptione.

SECTIO PRIMA.

Quid sit generatio.

PRIMA CONCLVSIO:

Sola generatio vt est mutatio, est transitus materiæ à priuatione formæ ad ipsam formam.

ILLVD solum est transitus materiæ à priuatione formæ ad ipsam formam, quod solum est actio productiua formæ in materia, illa antea carente; atqui sola generatio, vt est mutatio, est productio formæ in materia illa antea carente: ergo sola generatio, vt est mutatio, est transitus materiæ à priuatione formæ ad ipsam formam.

Minor pr. Neque creatio, neque eductio, neque alteratio sunt productio formæ substantialis in materia illa antea carente: ergo sola generatio, vt est mutatio, est huiusmodi productio.

Antecedens pr. Illa non sunt productio formæ substantialis in materia illa antea carente, quæ aut non sunt productio formæ substantialis, aut

ſi ſint productio illius non dant illi eſſe dependenter à ſubiecto, aut ſi dant illi eſſe dependenter à ſubiecto, iſtud non præcedit illam tempore a qui alteratio non eſt productio formæ ſubſtantialis, creatio non eſt productio illius dependenter à ſubiecto, & eductio non eſt neceſſariò productio formæ in ſubiecto illa carente: ergo neque creatio, neque eductio, neque alteratio ſunt productio formæ ſubſtantialis, in materia illa antea carente.

Minor pr. Alteratio eſt tantùm productio qualitatis corruptiuæ, creatio eſt actio independens à ſubiecto, & eductio poteſt eſſe productio formæ in ſubiecto, cùm primùm iſtud incipit eſſe: ergo alteratio non eſt productio formæ ſubſtantialis, creatio non eſt productio illius dependenter à ſubiecto, & eductio non eſt neceſſariò productio formæ in ſubiecto illa antea carente.

SECVNDA CONCLVSIO

Sola generatio vt eſt conuerſio, eſt mutatio totius in totum nullo ſenſibili remanente, vt ſubiecto eodem.

PRIMA *pars probatur.*

Omnis illa actio eſt mutatio totius in totum nullo ſenſibili remanente vt ſubiecto eodem, per quam vnum totum deſinit, & aliud incipit nullâ remanente eadem ſubſtantia completa ſub vtroque termino; atqui per generationem vt eſt conuerſio, fit mutatio totius in totum nulla re-

manente eadem ſubſtantia completa ſub vtroque termino: ergo generatio vt eſt conuerſio, eſt mutatio totius in totum nullo ſenſibili remanente vt ſubiecto eodem.

Minor pr. Productio ignis ex ligno eſt generatio vt eſt conuerſio, atqui per illam vnum totum incipit, & aliud deſinit, nulla remanente eadem ſubſtantia completa ſub vtroque termino: ergo per generationem vt eſt conuerſio vnum totum deſinit, & aliud incipit nulla remanente eadem ſubſtantia completa.

Minor pr. Lignum eſt totum, & ignis etiam; atqui per productionem ignis ex ligno iſtud deſinit, & ille incipit, & ſub vtroque nulla remanet eadem ſubſtantia completa: ergo per productionem ignis ex ligno vnum totum incipit, & aliud deſinit nulla remanente eadẽ ſubſtantia cõpleta.

Prima pars minoris clara eſt, & ſecunda pr.

Remanet tantùm ſub vtroque termino eadem materia prima, atqui materia prima non eſt ſubſtantia completa: ergo ſub vtroque termino non manet eadem ſubſtantia completa.

Secunda pars concluſionis, nihil aliud præter generationem, vt eſt conuerſio, eſſe mutationem totius in totum, &c. probatur.

Alteratio non eſt mutatio totius in totum nullo ſenſibili remanente vt ſubiecto eodem: ergo ſola generatio vt eſt conuerſio, eſt mutatio totius in totum nullo ſenſibili remanente vt ſubiecto eodem.

Antecedens pr. Productio frigoris, & productio caloris ſunt alteratio; atqui nec productio caloris, nec productio frigoris ſunt mutatio to-

tius in totum nullo ſenſibili remanente vt ſubiecto eodem: ergo alteratio non eſt mutatio iotius in totum nullo ſenſibili remanente vt ſubiecto eodem.

Minor pr. Quod eſt tantùm mutatio frigidi in calidum, aut è conuerſo calidi in frigidum, non eſt mutatio totius in totum nullo ſenſibili remanente vt ſubiecto eodem; atqui productio caloris, & frigoris, in aqua v. g. ſunt tantùm mutatio frigidi in calidum, aut è conuerſo: ergo productio caloris, & frigoris non eſt mutatio totius in totum nullo ſenſibili remanente vt ſubiecto eodem.

Maior pr. Quod eſt tantùm mutatio totius alicuius accidentalis in aliud totum accidentale, & ſub cuius vtroque termino manet eadem ſubſtantia completa, non eſt mutatio totius in totum nullo ſenſibili remanente vt ſubiecto eodem; atqui quod eſt tantùm mutatio calidi in frigidum, aut è conuerſo frigidi in calidum, eſt tantùm mutatio totius accidentalis in aliud totum accidentale, & ſub vtroque termino manet eadem ſubſtantia completa; ergo quod eſt tantùm mutatio frigidi in calidum, aut è conuerſo calidi in frigidum, non eſt mutatio totius in totum nullo ſenſibili remanente vt ſubiecto codẽ.

Maior probatur primò.

Totum quod ponitur in definitione generationis vt eſt conuerſio, eſt totum ſubſtantiale, & illud tantùm quod abſolutè, & ſimpliciter dicitur totum; atqui totum accidentale non eſt ſubſtantiale, & non dicitur abſolutè, & ſimpliciter totum: ergo quod eſt tantùm mutatio totius acci-

dentalis in aliud totum accidentale, non est mutatio totius in totum.

Minor præcedentis argumenti probatur secundo.

Termini mutationis calidi in frigidum, aut frigidi in calidum sunt tantùm frigidum, & calidum; atqui eadem substantia completa, aqua, v. g. quæ de habente frigus, fit habens calorem manet sub frigido, & calido: ergo in mutatione calidi in frigidum, aut è conuerso manet eadem substantia completa.

TERTIA CONCLVSIO:

Generatio non est necessario nec mutatio, nec conuersio, nec eductio formæ.

GENERATIO non est necessariò illud, quod non conuenit omni generationi; atqui non conuenit omni generationi esse mutationem, conuersionem, aut eductionem formæ: ergo generatio non est necessariò nec mutatio, nec conuersio, nec eductio formæ.

Minor. pr. Prima productio terræ, & productio hominis sunt veræ generationes; atqui primæ non conuenit esse mutationem, aut conuersionem, nec secundæ esse eductionem formæ: ergo non conuenit omni generationi esse conuersionem, mutationem, aut eductionem formæ.

Prima pars minoris probatur.

Illa generatio non est mutatio, nec conuersio, in qua materia prima non præexistit tempore formæ; atqui in prima terræ productione materia non præextitit tempore formæ: ergo non conuenit primæ productioni terræ esse mutationem, aut conuersionem.

Minor pr. Materia non præextitit tempore illi, quod fuit simul productum cum illa; atqui in prima productione terræ forma fuit producta simul cum materia: ergo in prima productione terræ materia non præextitit tempore formæ.

Secunda pars minoris superioris argumenti, generationem hominis non esse eductionem, pr.

Illa generatio non est eductio formæ, per quã forma non educitur; atqui forma non educitur per generationem hominis: ergo generatio hominis non est eductio.

Minor pr. In generatione hominis forma est anima rationalis; atqui anima rationalis non educitur: ergo neque forma hominis.

Minor pr. Anima rationalis creatur: ergo non educitur.

QVARTA CONCLVSIO.

Generatio est necessario vnitio.

VNITIO est productio vnionis formę cum materia; atqui generatio est necessario productio vnionis formæ cum materia: ergo & vnitio.

Minor pr. Generatio est necessario actio per quam fit compositum; atqui productio vnionis formæ cum materia est actio per quam fit compositum: ergo generatio est necessario productio vnionis formæ cum materia.

Minor probatur. Posita vnione non potest non esse compositum: ergo productio vnionis formæ cum materia, est actio per quam fit compositum.

QVINTA CONCLVSIO:
Generatio est actio distincta ab alteratione.

GENERATIO est actio productiua formæ, aut vnionis eius cum materia; atqui alteratio non est eiusmodi actio: ergo alteratio non est generatio.

Minor pr. Illud non est actio productiua formæ, aut vnionis eius cum materia, quo posito potest non produci forma, aut materiæ non vniri; atqui posita alteratione potest non produci forma, aut materiæ non vniri: ergo alteratio non est huiusmodi productio.

Minor pr. Ex eo quòd posita alteratione non producatur forma, aut materiæ non vniatur, non sequitur neque esse, & non esse formæ nouæ, neque vllius alterius rei: ergo posita alteratione potest non produci forma, aut materiæ non vniri.

Antecedens pr. Sequitur tantùm formam non esse, etiam cùm sunt eius dispositiones in materia: ergo non sequitur illam esse, & non esse.

Obiicitur. Nulla est necessitas distinguendi generationem ab alteratione: ergo non distinguuntur.

Ant. probatur. Generatio est productio formæ, aut vnionis eius cum materia; atqui nulla est necessitas distinguendi eiusmodi productionem ab alteratione: ergo nec generationem.

Minor probatur. Posita alteratione, semper, & constanter ponitur productio formæ, & vnionis

eius cum materia: ergo non est necessitas illas distinguendi.

Solutio: *Neganda est consequentia. Ex eo enim quòd duæ actiones semper sint coniunctæ, non sequitur eas identificari.*

Contrà. Coniunctio constans illa cum negatione alterius argumenti, sufficit ad astruendam identitatem illarum duarum actionum; atqui ex concessis est constans illa coniunctio, & non est argumentum efficax in contrarium: ergo dicendum est ex eo, quòd duæ illæ actiones sunt semper coniunctæ, identificari.

Solutio: *Neganda est secunda pars minoris. Potest enim esse alteratio non existente productione formæ, neque vnionis, quod arguit euidenter illas distingui.*

SEXTA CONCLVSIO:

Generatio est natura sua instantanea.

ILLA actio est natura sua instantanea, cuius terminus produci potest simultaneè; atqui terminus generationis natura sua produci potest simultaneè: ergo ipsa est natura sua instantanea.

Minor pr. Terminus generationis est forma, aut eius vnio cum materia; atqui forma, & vnio eius cum materia natura sua produci possunt simultaneè: ergo terminus generationis produci etiam potest simultaneè.

Minor pr. Illa natura sua produci possunt simultaneè, quæ non habent contrarium, & non sunt necessariò coniuncta cum motu; atqui forma, & eius vnio non habent contrarium, & non

ſunt neceſſariò coniuncta cum motu: ergo natura ſua produci poſſunt ſimultaneè.

Prima pars minoris clara eſt, & ſecunda, formam, & eius vnionem cum materia, non eſſe coniunctas cum motu, probatur.

Forma, & eius vnio cum materia non ſunt neceſſariò coniunctæ cum alia actione, quæ fiat ſucceſſiuè: ergo non ſunt coniunctæ cum motu.

SEPTIMA CONCLVSIO:

Generatio viuentis ſtrictè ſumpta diſtinguitur ab aliis generationibus, per hoc quod ſit productio viuentis à viuente, vt à principio coniuncto in ſimilitudinem naturæ.

GENERATIO viuentis ſtrictè ſumpta, diſtinguitur rectè per hoc, quod de illa propriiſſimè verum eſt, & aliis non conuenit; atqui de illa propriiſſimè verum eſt, quòd ſit productio viuentis à viuente, vt à principio coniuncto in ſimilitudinem naturæ, & hoc non conuenit aliis: ergo generatio viuentis ſtrictè ſumpta diſtinguitur ab aliis generationibus, quòd ſit productio viuentis à viuente, vt à principio coniuncto in ſimilitudinem naturæ.

Secunda pars minoris patet. Generatio enim rerum inanimatarum non eſt productio viuentis, & productio animatarum à principio non coniuncto, aut non in ſimilitudinem naturæ non eſt à principio coniuncto, aut in ſimilitudinem naturæ, *& prima probatur.*

Omnis illa actio est productio viuentis à viuente, vt à principio coniuncto in similitudinem naturæ, per quam producitur viuens à viuēte, specificè ei simile per virtutem decisam à producente, & actiuè concurrentem ad geniti productionem; atqui generatio viuentis strictè sumpta est eiusmodi : ergo generatio viuentis est propriissimè productio viuentis à viuente, vt à principio coniuncto in similitudinem naturæ.

SECTIO II.

Quid sit corruptio substantialis, & an in ea fiat resolutio vsque ad materiam primam?

PRIMA CONCLVSIO:

Corruptio substantialis strictè sumpta est mutatio ab eo quod est, ad id quod non est.

ILLVD solum est mutatio ab eo quod est, ad id quod non est, quod vnicum est desitio compositi substantialis propter productionem alterius; atqui vnica corruptio substantialis est talis : ergo vnica corruptio substantialis est mutatio ab eo quod est, ad id quod non est.

Maior pr. Alia cùm quibus hoc posset dici habere commune, sunt annihilatio, aut destructio compositi accidentalis; atqui non conuenit illis : ergo sola corruptio substantialis est talis.

Minor pr. Mutatio ab eo quod est, ad id quod non est, est destructio vnius compositi substantialis propter productionem alterius; atqui nec

interitus compositi accidentalis, nec annihilatio sunt huiusmodi destructio: ergo non cõuenit illis.

Prima pars minoris probatur.

Interitus compositi accidentalis non potest dici esse destructio compositi substantialis: ergo interitus compositi accidentalis non est huiusmodi destructio.

Secunda pars minoris præcedentis argumenti pr. Illud non est destructio vnius compositi propter productionem alterius, per quod nihil eius, quod corrumpitur manet; atqui per annihilationem nihil eius, quod corrumpitur manet: ergo annihilatio non est huiusmodi destructio.

SECVNDA CONCLVSIO:

In corruptione substantiali non datur resolutio vsque ad materiam primam.

RESOLVTIO vsque ad materiam primam in corruptione substantiali, est desitio omnium accidentium corrupti cùm producitur genitum; atqui omnia accidentia corrupti non desinunt cùm producitur genitum: ergo in corruptione substantiali non datur resolutio vsque ad materiam primam.

Minor pr. Multa accidentia corrupti manent in genito: ergo omnia accidentia corrupti non desinunt cùm producitur genitum.

Antecedens pr. Accidentia illa, quæ cernuntur in genito, cùm primùm incipit, vel incipiunt ipsa simul cũ ipso, vel antea fuerũt in corrupto; atqui non incipiũt cum ipso: ergo fuerunt in corrupto.

Minor pr. Nulla est causa productiua de nouo illorum: ergo non incipiunt de nouo simul cum ipso.

Antecedens pr. Causa illa debet esse, vel materia prima vel præuiæ dispositiones, quæ erant in corrupto, vel forma substantialis de nouo adueniens, vel Deus, vel cœli; atqui nullum horum dici potest: ergo nulla est causa productiua illorum.

Probatur primò, non esse materiam.

Quod non est actiuum qualitatum, nec magis determinatum ad vnam, quàm ad aliam, non potest dici causa productiua illorum accidentium; atqui materia prima non est actiua qualitatum, & ex se non est magis determinata ad vnam, quàm ad aliam: ergo materia non est productiua illorum accidentium.

Probatur secundò, non esse dispositiones præuias.

Illud non potest dici causa istorum accidentium, quod non est cùm illa producuntur; atqui dispositiones præuiæ per aduersarios non sunt, cùm illa accidentia producuntur: ergo dispositiones præuiæ non sunt illorum causa.

Probatur tertiò, non esse formam.

Forma substantialis non potest dici causa accidentium sibi dissentaneorum, & quæ ipsa paulò pòst destruit, & expellit; atqui illa accidentia sunt dissentanea formæ geniti, & ab ea destruuntur, & expelluntur: ergo forma non est causa illorum.

Minor pr. Forma cadaueris est forma geniti, & accidentia quæ sunt in eo, sunt calor, color &c. atqui calor est dissentaneus formæ cadaueris, & ab illa destruitur paulò post sui introductionem: ergo illa sunt dissentanea formæ geniti, & ab ea destruuntur.

Probatur quartò, causam illorum accidentium non esse neque Deum, neque cœlum.

Deus, & cœlum non possunt dici causa illorum accidentium, nisi hoc exigatur à causis secundis; atqui causæ secundæ hoc non exigunt: ergo neque Deus, neque cœlum sunt illorum causa.

Minor pr. Causæ secundæ exigentes productionem illorum accidentium non possunt esse nisi materia prima, vel præuiæ dispositiones, vel forma geniti; atqui non sunt materia prima neque præuiæ dispositiones, neque forma geniti: ergo causæ secundæ hoc non exigunt.

Prima pars minoris probatur.

Materia prima est indifferens ad illa accidentia: ergo non exigit eorum productionem.

Antecedens probatur. Materia prima est indifferens ad omnia accidentia: ergo indifferens etiam est ad illa.

Antecedens pr. Tam est indifferens ad omnia accidentia, quàm ad formas substantiales; atqui est indifferens ad omnes formas substantiales: ergo & ad omnia accidentia.

Maior pr. Non exigit accidentia nisi propter formas substantiales: ergo tam est indifferens ad omnia accidentia, quàm ad formas substantiales.

Secunda pars minoris præcedentis argumenti, dispositiones præuias non exigere productionem illorum accidentium, probatur.

Illud, quod non est, nihil exigit; atqui dispositiones præuiæ non sunt, cùm producuntur illa accidentia: ergo non exigunt vt producantur.

Maior pr. Exigentia est, vel per appetitum eli-

citum, vel per innatum; atqui quod non eſt non exigit, neque appetitu elicito, neque innato: ergo illud quod non eſt, nihil exigit.

Prima pars minoris probatur.

Quod exigit appetitu elicito producit illum actum vitalem, qui dicitur appetitus elicitus; atqui quod non eſt non poteſt illum producere: ergo quod non eſt non exigit appetitu elicito.

Minor pr. Quod non eſt non poteſt producere ens reale; atqui actus ille, qui dicitur appetitus elicitus, eſt ens reale: ergo quod non eſt non poteſt illum producere.

Secunda pars minoris ſuperioris argumenti, de appetitu innato, probatur.

Exigentia per appetitum innatum eſt entitas rei, cui hoc, aut illud debetur; atqui ei quod non eſt non debetur aliquid poſitiuum: ergo quod non eſt non exigit appetitu innato aliquid poſitiuum, quale eſt productio accidentium.

Secunda pars minoris ſuperioris argumenti, formam geniti non exigere productionem illorum accidentium, probatur.

Forma geniti non exigit productionem accidentium, quæ & ipſi contraria ſunt, & quæ ipſa expellit paulò poſt ſui introductionem; atqui accidentia quæ ſunt in genito de nouo ſunt ipſi contraria, & ipſa ea expellit: ergo ipſa non exigit productionem illorum accidentium.

Obiicies. Reſolutio vſque ad materiam primam in corruptione ſubſtantiali, eſt deſtructio omnium accidentium corrupti, cùm producitur genitum; atqui omnia deſtruuntur: ergo in corruptione ſubſtantiali datur reſolutio vſque ad materiam primam.

Minor pr. Nulla ſunt accidentia corrupti in genito: ergo omnia accidentia corrupti deſtruuntur cùm producitur genitum.

Antecedens pr. Accidentia ſenſibilia corrupti (& par eſt ratio de inſenſibilibus) non manent in genito: ergo nulla accidentia corrupti ſunt in genito.

Antecedens pr. Accidentia ſenſibilia non poſſunt manere aliter, quàm ſimul cum ſubiecto, aut ſine ſubiecto; atqui neutrum dici poteſt: ergo non manent.

Prima pars antecedentis probatur, ſecunda enim clara eſt.

Accidentia ſenſibilia manere non poſſunt cum ſubiecto in genito, quin ſubiectum aliquod ſenſibile maneat ſub corrupto, & genito; atqui ex Ariſtotele nullum ſenſibile manet ſub corrupto, & genito: ergo non manent cum ſubiecto.

Solutio: *Accidentia ſenſibilia non poſſunt manere cum ſubiecto, quin ſubiectum aliquod ſenſibile completum, ſeu ſubſtantia completa maneat ſub genito, & corrupto*, Nego. *ſubiectum ſenſibile incompletum*, Concedo. atqui *ex Ariſtotele nullum ſenſibile completum manet ſub genito & corrupto*, Concedo. *incompletum*, Nego.

Contrà. Subiectum ſenſibile incompletum non poteſt manere, cùm non manet completum; atqui ex conceſſis non manet completum: ergo nec incompletum.

Maior probatur. Subiectum ſenſibile completum eſt ſubſtantia completa affecta accidentibus ſenſibilibus, & ſubiectum ſenſibile incompletum eſt materia prima affecta iiſdem; atqui cùm

non manet ſubſtantia completa affecta accidentibus ſenſibilibus, non manet etiam materia affecta iiſdem accidentibus ſenſibilibus: ergo ſubiectum ſenſibile incompletum non poteſt manere cùm non manet completum.

Minor pr. Cùm deſtruitur ſubſtantia completa non manet materia affecta accidentibus ſenſibilibus : ergo cùm non manet ſubſtantia completa affecta accidentibus ſenſibilibus, non manet materia affecta iiſdem.

Antecedens pr. Cùm deſtruitur ſubſtantia completa, pereunt accidentia ſenſibilia quæ ſunt in materia: ergo cùm deſtruitur ſubſtantia completa, materia non manet affecta accidentibus ſenſibilibus.

Antecedens pr. Subſtantia completa eſt idem cum prima ſubſtantia; atqui cùm prima ſubſtantia deſtruitur, illa accidentia pereunt: ergo pereunt etiam cùm deſtruitur ſubſtantia completa.

Minor pr. Sublatis primis ſubſtantiis ex Ariſtotele in Categoriis capite de Subſtantia, omnia tolli neceſſe eſt: ergo cùm deſtruitur prima ſubſtantia, illa accidentia pereunt.

Solutio : *Sublatis primis ſubſtantiis penitus, & totaliter omnia tolli neceſſe eſt,* Concedo. *ſublatis tantùm, ſeu deſtructis in ratione totius,* Nego. *Hoc autem duntaxat modo deſtruuntur primæ ſubſtantiæ, ac proinde non eſt neceſſe cùm deſtruuntur, omnia deſtrui, nec conſequenter accidentia ſenſibilia, quippe quorum maneat cauſa efficiens conſeruans, Deus ſcilicet, & ſubiectiua, nimirum materia prima.*

SECTIO III.

Quo sensu generatio vnius sit corruptio alterius, & vtra sit prior?

PRIMA CONCLVSIO:

Illa propositio Aristotelica, generatio vnius est corruptio alterius, non est vera in sensu importante identitatem.

ILLA propositio non est vera in sensu significante identitatem, cuius prædicatum non est idem cum subiecto; atqui prædicatum istius non est idem cum subiecto; ergo non est vera in sensu significante identitatem.

Minor pr. Prædicatum istius propositionis est corruptio, subiectum generatio; atqui corruptio non est eadem cum generatione: ergo nec prædicatum cum subiecto.

Minor pr. Negatiuum non est idem cum positiuo; atqui corruptio est quid negatiuum, & generatio quid positiuum: ergo non sunt idem.

Minor pr. Desitio formæ, aut eius vnionis cum materia est quid negatiuum, & actio productiua formæ, aut eius vnionis est quid positiuum; atqui corruptio est desitio formæ, aut eius vnionis, & generatio actio productiua formæ, aut eius vnionis: ergo prima est quid negatiuum, & secunda quid positiuum.

SECVN-

SECVNDA CONCLVSIO:

Illa propositio Aristotelica, generatio vnius est corruptio alterius, est vera in sensu importante concomitantiam, ac veluti causalitatem.

ILLA propositio est vera in sensu importante concomitantiam, & veluti causalitatem, cuius prædicatum, & subiectum sunt coniuncta, & vnum est quasi causa alterius; atqui subiectum, & prædicatum istius propositionis sunt coniuncta, & vnum est quasi causa alterius: ergo est vera in sensu importante concomitantiam, & quasi causalitatem.

Minor pr. Prædicatum istius propositionis est corruptio, & subiectum est generatio; atqui corruptio est coniuncta cum generatione, & generatio est veluti causa corruptionis: ergo prædicatum, & subiectum istius propositionis sunt coniuncta, & vnum est quasi causa alterius.

Prima pars minoris probatur.

Illa sunt coniuncta in simultanea existentia, quorum cùm vnum est, aliud etiam est; atqui cum est generatio vnius compositio est etiam corruptio alterius: ergo sunt coniuncta in simultanea existentia.

Minor pr. Cùm est generatio vnius compositi, non potest non esse corruptio alterius nisi materia vniatur simul duabus formis; atqui materia non potest vniri simul duabus formis substantia-

Tom. 9

libus : ergo cùm est generatio vnius compositi, est etiam corruptio alterius.

Minor pr. Cùm est generatio vnius compositi, non potest non esse destructio alterius, nisi forma vetus maneat in materia simul cum forma noua ; atqui forma vetus manens simul in materia cum noua supponit materiã vniri simul duabus formis : ergo cùm est generatio vnius compositi, non potest non esse corruptio alterius, nisi materia vniatur simul duabus formis.

Secunda pars minoris superioris argumenti, generationem esse veluti causam corruptionis, probatur.

Generatio est actio, per quam introducitur noua forma in materiam, & corruptio est desitio veteris in eadem materia ; atqui introductio nouæ est veluti causa, cur sit desitio veteris : ergo generatio est etiam veluti causa corruptionis.

Minor pr. Quod est ratio cur sit desitio veteris est veluti causa ipsius ; atqui introductio nouæ est ratio cur sit desitio veteris : ergo est veluti causa desitionis ipsius.

Minor pr. Ideo desinit vetus, quia introducitur noua : ergo introductio nouæ est ratio quare sit desitio veteris.

Antecedens pr. Introductio nouæ facit indebitam materiæ vnionem veteris : ergo ideo desinit vetus, quia introducitur noua.

TERTIA CONCLVSIO.

Propositio Aristotelica, generatio vnius est corruptio alterius, non est vera vniuersaliter sumpta in sensu importante concomitantiam

ILLA propositio non est vera vniuersaliter sumpta, quæ in aliquo casu deprehenditur falsa; atqui ista propositio in aliquo casu deprehenditur falsa: ergo non est vniuersaliter vera.

Minor pr. Sensus illius propositionis est, vel quòd generatio vnius formæ sit corruptio alterius, vel generatio vnius compositi sit destructio alterius; atqui secundùm hunc vtrumque sensum in aliquo casu est falsa: ergo & huiusmodi deprehenditur.

Prima pars minoris probatur.

Generatio formæ cadaueris est vera generatio atqui cum illa non est coniuncta destructio formæ veteris: ergo secundùm primum sensum non est vera in aliquo casu.

Minor pr. Forma vetus est anima rationalis; atqui cùm producitur forma cadaueris, non corrumpitur anima rationalis : ergo cum generatione cadaueris non est coniuncta destructio formæ veteris.

Secunda pars minoris superioris argumenti probatur.

Prima productio terræ est vera generatio compositi ; atqui illa non fuit coniuncta cum corruptione alterius compositi : ergo generatio

vnius compositi non est coniuncta cum destructione alterius.

Minor pr. Cùm primò est producta terra nullum compositum destructum est: ergo cum illius productione non fuit coniuncta destructio alterius compositi.

Antecedens pr. Illud compositum destructum debet fuisse simul, vel antè; atqui neque fuit simul neque antè: ergo nullum compositum fuit destructum cùm terra fuit primò producta.

Prima pars minoris probatur.

Dicere illud compositum fuissè simul, est dicere fuisse, & non fuisse; atqui non potest fuisse & non fuisse: ergo non fuit simul.

Secunda pars minoris, non fuisse antè, probatur.

Illud dici non potest fuisse ante ea, quæ Scriptura dicit fuisse initium operum Dei ad extra; atqui Scriptura dicit terram fuisse initium operum Dei ad extra: ergo compositum illud dici non potest fuisse ante terram.

Minor pr. Illud Scriptura dicit fuisse initium operum Dei ad extra, quod dicit Deum creasse in principio; atqui Scriptura dicit Deum in principio creasse terram: ergo Scriptura dicit terram fuisse initium operum Dei ad extra.

Geneseos primo habetur: *In principio creauit Deus cælum & terram*: ergo Scriptura dicit Deum creasse in principio terram.

QVARTA CONCLVSIO:

Generatio est quasi prior natura corruptione.

ILLVD est quasi prius natura corruptione, quod se habet per modum causæ respectu illius; atqui generatio se habet per modum causæ respectu corruptionis : ergo generatio est quasi prior natura corruptione.

Minor pr. Generatio est actio productiua vnionis formæ cum materia, & corruptio est suspensio concursus cõseruatiui vnionis formæ veteris cum materia; atqui actio illa habet se per modum causæ respectu illius: ergo generatio se habet per modum causæ respectu corruptionis.

Minor pr. Debet esse aliqua veluti causa suspensionis concursus conseruatiui vnionis formæ veteris cum materia; atqui illa non potest esse alia, quàm actio productiua vnionis formæ nouæ cum eadem materia : ergo hæc habet se per modum causæ respectu illius.

Minor pr. Quod est veluti causa suspensionis illius concursus, debet illam exigere propter incompossibilitatem cum termino illius cõcursus: atqui nihil est aliud, quod exigat suspensionem illam propter incompossibilitatem cum termino illius concursus, quàm actio productiua vnionis formæ nouæ : ergo ista etiam sola est veluti causa illius.

Minor pr. Nihil est aliud incompossibile cum termino illius concursus, quàm actio producti-

ua vnionis formæ nouæ cum materia: ergo etiam nihil eſt quod exigat ſuſpenſionem concurſus conſeruatiui vnionis formæ veteris cum materia.

Minor pr. Alia, quæ poſſunt dici incompoſſibilia cum termino illius concurſus, ſunt vnio accidentium ipſi conuenientium, aut vnio diſſentaneorum; atqui illæ vniones non ſunt incompoſſibiles per ſe primò cum termino illius concurſus: ergo nihil eſt aliud incompoſſibile cum termino illius concurſus, quàm actio productiua vnionis formæ nouæ cum materia.

Minor pr. Terminus illius concurſus eſt vnio formæ veteris cum materia; atqui cum illa vnione non ſunt incompoſſibiles aliæ duæ allatæ præcisè ſumptæ: ergo neque cum termino illius concurſus.

Minor pr. Illæ vniones non ſunt incompoſſibiles in materia, quarum materia ſimul capax eſt; atqui materia ſimul capax eſt vnionis formæ veteris cum materia, & aliarum duarum diſiunctiuè ſumptarum: ergo cum illa vnione aliæ duæ allatæ non ſunt incompoſſibiles præcisè ſumptæ.

Minor pr. Materia capax eſt terminorum iſtarum vnionum: ergo etiam ipſarummet vnionum.

Antecedens pr. Termini iſtarum vnionum ſunt vna forma ſubſtantialis, & multa accidentia; atqui materia capax eſt vnionis formæ ſubſtantialis, & multorum accidentium illi conuenientium, aut diſconuenientium cum diſiunctione; ergo & terminorum iſtarum vnionum.

Prima pars minoris probatur.

Materia recipit, & habet illa accidentia de facto cum forma substantiali: ergo est capax illorum.

Secunda pars minoris superioris argumenti probatur.

Non plus requiritur virtutis in materia ad formam substantialem recipiendam, & accidentia illi dissentanea, quàm consentanea; atqui recipere potest illam cum consentaneis: ergo & cum dissentaneis.

Maior pr. Accidentia ista dissentanea non sunt aliquid magis perfectum, aut superans consentanea: ergo non plus requiritur virtutis in materia ad recipiendam formam substantialem, & accidentia illi dissentanea, quàm consentanea.

Obiicitur. Corruptio est prior natura generatione: ergo generatio non est prior illa.

Antecedens pr. Quod prærequiritur ad generationem est prius natura generatione; atqui corruptio prærequiritur ad generationem: ergo est prior generatione.

Minor pr. Sublatio impedimenti ad generationem prærequiritur ad illam; atqui corruptio est sublatio impedimenti ad generationem: ergo prærequiritur ad illam.

Maior pr. Quod se habet antecedenter ad generationem prærequiritur ad illam; atqui sublatio impedimenti se habet antecedenter ad generationem: ergo prærequiritur ad illam.

Minor pr. Quod intelligitur in priori naturæ generationis se habet antecedenter ad illam; atqui sublatio impedimenti intelligitur in priori

naturæ generationis : ergo habet se antecedenter ad illam.

Minor pr. Sublatio impedimenti ad generationem, est non esse formæ veteris ; atqui non esse formæ veteris intelligitur in priori naturæ generationis : ergo & sublatio impedimenti.

Minor pr. Esse formæ veteris non intelligitur in illo priori naturæ : ergo eius non esse in eo intelligitur.

Consequentia pr. Esse formæ veteris intelligitur, & est in priori naturæ generationis, vel eius non esse ; atqui eius esse non est ex concessis: ergo eius non esse debet esse in illo.

Maior pr. Esse, & non esse formæ veteris non possunt non esse simul, & eodem instanti : ergo esse formæ veteris est in illo priori naturæ generationis, vel eius non esse.

Solutio : *Esse, & non esse formæ veteris non possunt non esse simul, & eodem instanti temporis,* Concedo: *causalitatis*, Nego.

Contra. Esse, & non esse formæ veteris non esse eodem instanti causalitatis respectu generationis, est neque esse, neque non esse formæ veteris esse causam generationis; atqui eius non esse est causa generationis: ergo esse, & non esse formæ veteris non possunt non esse eodem instanti causalitatis.

Minor pr. Ratio quæ posset afferri cur non sit causa, est quia dari non potest mutua prioritas, & posterioritas in causando ; atqui dari potest : ergo non esse formæ veteris est causa generationis.

Minor pr. Est vera mutua prioritas, & poste-

rioritas in causando cùm aperitur fenestra ad ingressum venti, & cùm duo baculi se mutuò sustentant in aere; atqui fenestra aperitur ad ingressum venti, & duo baculi se sustentant in aere: ergo dari potest mutua prioritas, & posterioritas in causando.

Prima pars maioris probatur.

Esse mutuam prioritatem, & posterioritatem in causando cùm aperitur fenestra ad ingressum venti, est ingressum venti esse priorem natura apertione fenestræ in genere causæ efficientis, & eadem posteriorem in genere causæ materialis; atqui ingressus venti est prior apertione fenestræ in genere causæ efficientis, & apertio fenestræ est prior ingressu venti in genere causæ materialis: ergo est mutua prioritas in causando cùm aperitur fenestra ad ingressum venti.

Minor pr. Ingressus venti efficit vt aperiatur fenestra: ergo ingressus venti est prior apertione fenestræ in genere causæ efficientis.

Antecedens pr. Non est aliud, quod efficiat vt aperiatur fenestra: ergo ingressus venti efficit vt aperiatur fenestra.

Solutio: *Negatur antecedens. Illud aliud est impulsus impressus à vento fenestræ, quem non præcedit, vt patet, apertio fenestræ, & consequenter ex eo capite non datur mutua prioritas, & posterioritas in causando.*

Secunda pars maioris superioris argumenti, esse mutuam prioritatem, cùm baculi se mutuò sustentant in aere, probatur.

Esse mutuam prioritatem dum duo baculi se sustentant in aere, est hunc producere impulsum

quo iste sustinetur, & istum producere similiter impulsum, quo ille sustentatur; atqui iste producit impulsum in illo, & ille in isto: ergo est mutua prioritas cùm duo baculi se sustentant in aëre.

Solutio: *Negatur maior. Ratio est, quia licet baculi isti mutuò producant impulsum, quo sustentantur, non datur tamen aliquid quod causet id, à quo causatur, prout requiritur ad mutuam causalitatem. Baculus enim, qui producit impulsum in alio baculo, non producitur ab illo, sed supponitur productus, & impulsus, aut vbi in illis recepta similiter non se mutuò producunt.*

SECTIO IV.

Vtrum generatio intendatur per se à natura.

VNICA CONCLVSIO.

Generatio per se intenditur à natura.

NATVRA intendit per se sui perennitatem: ergo & generationem.

Consequentia pr. Quod intẽdit finem, intẽdit etiam media necessaria ad illum; atqui generatio est medium necessarium ad perennitatem naturæ: ergo natura intendit per se generationem.

Minor pr. Perennitas naturæ debet esse per

plura indiuidua; atqui generatio eſt medium neceſſarium ad pluralitatem indiuiduorum: ergo & ad perennitatem naturæ.

Minor pr. Productio indiuiduorum eſt medium neceſſarium ad illorum pluralitatem; atqui generatio eſt productio illorum indiuiduorum: ergo & medium neceſſarium ad illorum pluralitatem.

Maior tertii argumenti, perennitatem naturæ debere eſſe per plura indiuidua, probatur.

Perennitas naturæ non poteſt eſſe in vnico indiuiduo: ergo debet eſſe per plura indiuidua.

Antecedens pr. Perennitas naturæ non poteſt eſſe in eo, per quod ſemper durare non poteſt; atqui in vnico indiuiduo ſemper durare non poteſt: ergo non poteſt eſſe in vnico indiuiduo.

Minor pr. Perennitas naturæ non poteſt plus durare in vnico indiuiduo, quãm illud ſit duraturum; atqui illud non eſt ſemper duraturum: ergo neque ipſa in eo.

Minor pr. Quod eſt aliquando corrumpendum non eſt ſemper duraturum; atqui vnicum indiuiduum naturale quodcumque tandem illud ſit eſt aliquando corrumpendum: ergo non eſt ſemperduraturum.

Obiicitur. Natura non intendit id, à quo abhorret; atqui abhorret à generatione: ergo eam non intendit.

Minor pr. Natura abhorret ab eo, quod eſt infinitum; atqui generationes ſunt infinitæ: ergo natura abhorret à generationibus.

Solutio: *Natura abhorret ab eo, quod eſt infi-*

nitum categorematicum, Concedo. *syncategorematicum*, Nego. atqui *generationes sunt infinitæ categorematicè*, Nego. *syncategorematicè*, Concedo.

Contrà. Natura abhorret à generationibus infinitis syncategorematicè: ergo nulla solutio.

Antecedens pr. Natura abhorret à terminis illarum generationum: ergo & ab illis.

Antecedens pr. Termini illarum generationum sunt sæpe quid imperfectum; atqui natura abhorret imperfectum: ergo & terminos illarum generationum.

Solutio: *Illarum generationum termini sunt quid imperfectum positiuè*, Nego. *negatiuè*, Concedo. atqui *natura abhorret imperfectum positiuè*, Concedo. *negatiuè*, Nego. *Imperfectum positiuè est illud quod caret aliqua virtute, & perfectione debita suæ speciei: imperfectum verò negatiuè est illud, quod habet quidem perfectiones debitas suæ speciei, non habet tamen tantas, quantas habent alia indiuidua specierum nobiliorum. Quod genus imperfectorum qui diceret abhorrere naturam, fateri deberet nihil vnquam producere. Nullum enim est indiuiduum tam perfectum, quo non dentur plura alia longè perfectiora, aut saltem dari possint.*

DISPVTATIO II.

De Alteratione.

Sectio Prima.

An alteratio sit motus continuus.

Prima Conclvsio:

Sola alteratio est motus ad qualitatem corruptiuam.

SOLA illa actio est motus ad qualitatem corruptiuam, per quam producitur qualitas successiuè, quæ inducendo vnam formam est causa corruptionis alterius; atqui sola alteratio est actio, per quam producitur successiuè qualitas, quæ inducendo vnam formam est causa corruptionis alterius: ergo sola alteratio est motus ad qualitatem corruptiuam.

Minor pr. Motus ad quantitatem, & vbi mutationes instantaneæ, & impropriæ alterationes non sunt productio successiua qualitatis corruptiuæ: ergo sola alteratio est actio, per quam producitur successiuè qualitas, quæ inducendo suam formam est causa corruptionis alterius.

Antecedens pr. Illa non ſunt productio ſucceſſiua qualitatis corruptiuæ, quæ nullo modo ſunt productio qualitatis, aut nullo modo producunt illam ſucceſſiuè, aut per eam non diſponunt ſubiectum ad corruptionem; atqui duo prima nullo modo ſunt productio qualitatis, tertium non eſt productio ſucceſſiua, & quartum non eſt productio qualitatis corruptiuæ: ergo motus ad quantitatem, & vbi mutationes inſtantaneæ, & impropriæ alterationes non ſunt productio ſucceſſiua qualitatis corruptiuæ.

Maior de duobus primis probatur.

Duo prima ſunt motus ad quantitatem, & vbi; atqui per illa nullo modo producitur qualitas: ergo duo prima nullo modo ſunt productio qualitatis.

Minor pr. Producitur tantum vbi, & quantitas: ergo non producitur qualitas.

Minor ſuperioris argumenti, de mutatione inſtantanea, probatur.

Productio inſtantanea non eſt productio ſucceſſiua; atqui mutationes inſtantanæ ſunt productiones inſtantaneæ: ergo mutatio inſtantanea non eſt productio ſucceſſiua.

Minor ſuperioris argumenti, de alteratione impropria, probatur.

Productio qualitatis cuiuſcumque, non eſt productio qualitatis corruptiuæ; atqui alteratio impropria eſt productio qualitatis cuiuſcumque: ergo alteratio impropria non eſt productio qualitatis corruptiuæ.

Secvnda Conclvsio
Alteratio est motus continuus, & successiuus.

Illa actio est motus continuus, & successiuus, quæ fit continuè, & successiuè; atqui alteratio fit continuè, & successiuè: ergo est motus continuus, & successiuus.

Minor pr. Productio qualitatis corruptiuæ fit continuè, & successiuè: ergo & alteratio.

Antecedens pr. Calefactio, frigefactio &c. sunt actiones productiuæ qualitatum corruptiuarum; atqui illæ fiunt continuè, & successiuè: ergo & productio qualitatis corruptiuæ.

Prima pars minoris probatur.

Quod fit sine intermissione, fit continuè; atqui calefactio ligni v. g. ab igne fit sine intermissione: ergo fit continuè.

Minor pr. Illud fit sine intermissione, quod agens non cessat facere; atqui ignis applicatus ligno non cessat calefacere lignum: ergo calefactio ligni ab igne fit sine intermissione.

Minor pr. Agens necessarium debitè applicatum subiecto non cessat in illud agere; atqui ignis est agens necessarium, & est debitè applicatum ligno: ergo non cessat in illud agere.

Respondent: *Agens necessarium debite applicatum subiecto non cessat in illud agere calorem, vel dispositionem ad calorem*, Concedunt. *calorem ipsum*, Negant. *& concessa minori*: ergo *non cessat in illud agere calorem, vel dispositionem ad calorem*, Concedunt. *calorem ipsum*, Negant.

Contrà. Nulla requiritur dispositio ad calorem inducendum: ergo agens non cessat à productione caloris, vt inducat in lignum dispositionem ad calorem.

Antecedens pr. Non magis requiritur dispositio ad inducendum calorem in lignum postquam introductum est aliquid caloris, quàm antequam quidquam fuerit introductum; atqui antequam quidquam fuerit introductum, nulla requiritur dispositio: ergo nulla requiritur dispositio ad calorem inducendum.

Minor pr. Statim atque lignum applicatur igni ab illo calefit: ergo antequam quidquam fuerit caloris introductum, nulla requiritur dispositio.

Maior praecedentis argumenti probatur.

Non magis requiritur dispositio ad introducendum calorem in lignum cùm lignum potest illum faciliùs recipere, quàm cùm difficiliùs; atqui lignum potest illum faciliùs recipere postquam est introductum aliquid caloris, quàm cùm nihil est introductum: ergo non magis requiritur dispositio ad inducendum calorem in lignum, postquam est introductum aliquid caloris, quàm cùm nihil est introductum.

Minor pr. Tunc lignum faciliùs recipere potest calorem cùm minus resistit eius introductioni; atqui lignum postquam est introductum aliquid caloris minus resistit eius introductioni, quàm cùm nihil est introductum: ergo lignum faciliùs potest recipere calorem, postquam est introductum aliquid caloris, quàm cùm nihil est introductum.

Minor pr. Tunc lignum minùs resistit introdu-

ctioni caloris cùm habet minus frigoris; atqui lignum cùm est introductum aliquid caloris habet minus frigoris, quàm cùm nihil est introductum: ergo lignum minus resistit introductioni caloris, postquam est introductum aliquid caloris, quàm cùm nihil est introductum.

Minor pr. Tunc lignum habet minus frigoris, cùm habet plus caloris; atqui cùm est introductum aliquid caloris habet plus caloris: ergo tunc lignum habet minus frigoris cùm est introductum aliquid caloris.

Minor pr. Habet illud caloris quod habebat, & prӕterea quod supponitur introductum: ergo tunc lignum habet plus caloris cùm est aliquid illius introductum.

Secunda pars minoris superioris argumenti, calefactionem fieri successiuè, probatur.

Illa actio fit successiuè, cuius terminus habet contrarium; atqui terminus calefactionis habet contrarium: ergo fit successiuè.

Minor pr Terminus calefactionis est calor; atqui calor habet contrarium, scilicet frigus: ergo terminus calefactionis habet contrarium.

Maior argumenti prӕcedentis probatur.

Illa actio fit successiuè, quӕ non fit tota simul; atqui actio, cuius terminus habet contrarium non fit tota simul: ergo fit successiuè.

Minor pr. Actio cuius terminus habet contrarium, non fit nisi qua proportione vincitur resistentia contrarij ipsius termino; atqui illa non vincitur simultaneè: ergo non fit tota simul.

Minor pr Vincitur tantùm sensim, & sensim, vt docet experientia: ergo non vincitur simultaneè

SECTIO II.

De causis successionis, & quotuplex sit contrarietas.

PRIMA CONCLVSIO:

Limitatio agentis, compossibilitas, & incompossibilitas formarum in certo gradu, & resistentia causant successionem alterationis.

ILLA causant successionẽ alterationis, propter quæ illa non fit tota simul; atqui propter limitationem agentis, compossibilitatem, & incompossibilitatem formarum in certo gradu, & resistentiam alteratio non fit tota simul: ergo limitatio agentis, compossibilitas, & incompossibilitas formarum in certo gradu, & resistentia causant successionem.

Prima pars minoris probatur.

Illud impedit suo modo ne alteratio producatur simultaneè, quod deuincere non potest simul resistentiam contrariæ qualitatis; atqui agens limitatum deuincere non potest simul resistentiam contrariæ qualitatis: ergo limitatio agentis impedit suo modo ne alteratio producatur simultaneè.

Minor pr. Illud deuincere non potest simul resistentiam contrariæ qualitatis, quod illam nunquam deuincit nisi in tempore; atqui agentia limitata nunquam illam deuincunt nisi in tem-

pore: ergo agens limitatum non poteſt deuincere ſimul reſiſtentiam contrariæ qualitatis.

Minor pr. Ignis, aqua, &c. ſunt agentia limitata; atqui illa nunquam deuincunt reſiſtentiam contrariæ qualitatis niſi in tempore: ergo agentia limitata nunquam illam deuincunt niſi in tempore.

Minor pr. Illa nunquam deuincunt reſiſtentiam contrariæ qualitatis niſi in tempore, quæ propriam, & expulſiuam alterius non inducunt niſi in tempore; atqui ignis, aqua, &c. non inducunt proprias qualitates niſi in tempore: ergo nunquam deuincunt reſiſtentiam contrariæ qualitatis niſi in tempore.

Minor pr. Illa proprias qualitates non inducunt niſi in tempore, quæ ab initio, quo agunt non inducunt tantum, quantum paulò pòſt; atqui ignis, aqua, &c. non inducunt tantum propriarum qualitatum ab initio, quantum paulò pòſt: ergo non inducunt illas niſi in tempore.

Minor probatur. Illa ab initio non inducunt tantum propriarum qualitatum, quantum paulo pòſt, quæ ab initio non efficiunt per illas tam vehementem ſenſationem, quantam paulo pòſt; atqui ignis, aqua, &c. non efficiunt tam vehementem ſenſationem ab initio, quantam paulo pòſt: ergo ignis, aqua, &c. non inducunt tantum propriarum qualitatum ab initio, quantum paulò pòſt.

Minor pr. Cùm primò applicamus manum igni aut aquæ, nõ tantum ſentimus caloris, aut frigoris, quantũ pauló pòſt: ergo ignis, aqua, &c. non efficiunt tam vehementem ſenſationem ab ini-

tio, quantam paulò post.

Secunda, & tertia pars minoris superioris argumenti, propter incompossibilitatem, & resistentiam alterationem non fieri totam simul, pr.

Alteratio non fit tota simul propter illa, quæ retardant actionem agentis; atqui incompossibilitas formarum, & resistentia expellendæ retardant actionem agentis: ergo alteratio non fit tota simul propter incompossibilitatem formarum, & resistentiam expellendæ.

Minor probatur. Illa retardant actionem agentis, quorum resistentia est maior, quàm sit eius actiuitas; atqui resistentia qualitatis expellendæ est maior quàm sit actiuitas agentis: ergo incompossibilitas, & resistentia expellendæ qualitatis retardant actionem agentis.

Minor pr. Resistentia, quæ non vincitur ab agente est maior eius actiuitate; atqui resistentia qualitatis expellendæ non vincitur simultaneè ab agente: ergo est maior eius actiuitate.

Minorem probat quotidie experientia.

SECVNDA CONCLVSIO:

Triplex est contrarietas, formalis scilicet, effectiua, & virtualis.

CONTRARIETAS est talis oppositio duorum, vt positio vnius sit causa destructionis alterius; atqui huiusmodi oppositio est triplex, scilicet formalis, effectiua, & virtualis: ergo contrarietas est triplex, formalis scilicet, effectiua, & virtualis.

Minor pr. Destructio vnius ad positionem alterius est, vel quia cùm vnum vnitur subiecto, aliud desinit ei vniri, vel quia cùm vnũ producit aliquid in alio impedit ne illud in se producat, vel quia cùm vnum est absolutè, aut est præsens alteri exigit ne aliud sit; atqui prima oppositio est contrarietas formalis, secunda effectiua, & tertia virtualis: ergo huiusmodi oppositio est triplex, formalis scilicet, effectiua, & virtualis.

TERTIA CONCLVSIO:

Quædam formæ contrariæ possunt esse simul in eodem subiecto in gradu remisso.

CALOR, & frigus, humiditas, & siccitas sunt formæ contrariæ; atqui possunt esse simul in eodem subiecto in gradu remisso: ergo quædam formæ contrariæ possunt esse simul in eodem subiecto in gradu remisso.

Minor pr. Aliquid caloris, & aliquid frigoris sunt calor, & frigus in gradu remisso; atqui in eodem subiecto est sæpe aliquid caloris, & aliquid frigoris: ergo calor, & frigus in gradu remisso possunt esse simul in eodem subiecto.

Minor pr. In aqua, cùm primò calefit est aliquid caloris, & aliquid frigoris: ergo & in eodem subiecto.

Minor probatur. In eo est aliquid caloris, & aliquid frigoris, in quo sentitur aliquid caloris & aliquid frigoris; atqui in aqua cùm primò calefit sentitur à manu frigida aliquid caloris, & à manu calida applicata aliquid frigoris: ergo in

aqua cùm primò calefit est aliquid caloris, & aliquid frigoris.

Respondent: Atqui *in aqua cum primò calefit sentitur verus calor, & verum frigus*, Negant. *sentitur qualitas æquiualens calori, & frigori*, Concedunt. *ergo in aqua est verus calor & verum frigus*, Negant. *qualitas æquiualens*, Concedunt.

Contrà. Illa qualitas est fictitia: ergo non sentitur huiusmodi qualitas.

Antecedens pr. Illa qualitas est fictitia, cuius assignari non potest causa; atqui nulla assignari potest causa istius qualitatis: ergo est fictitia.

Minor pr. Causa istius qualitatis non potest esse nisi ignis, aut aqua; atqui neutrum est: ergo nulla est.

Minor pr. Ignis non est productiuus frigoris, neque alicuius quod ei æquiualeat, & aqua non est productiua caloris, neque alicuius æquiualentis; atqui ista qualitas æquiualet calori, & frigori per aduersarios: ergo neque aqua, neque ignis sunt productiua illius.

Obiicitur. Calor, & frigus, humiditas, & siccitas, &c. nullo modo possunt esse simul in eodem subiecto: ergo formæ contrariæ non possunt esse in eodem subiecto in gradu remisso.

Antecedens pr. Formæ illæ contrariæ non possunt esse simul in eodem subiectò in gradu intẽso: ergo nullo modo possunt esse in eodem subiecto simul.

Consequentia pr. Tam repugnat illas qualitates esse simul in eodem subiecto in gradu remisso, atque in intenso; atqui non possunt esse simul in gradu intenso: ergo neque in remisso.

Maior pr. Qualitates istæ intensæ sunt, v. g. calor vt quatuor, & frigus vt octo, & in remisso calor vt duo, & frigus vt quatuor; atqui tam repugnat esse duos gradus caloris cũ quatuor frigoris, ac quatuor caloris cum octo frigoris: ergo tam repugnat illas qualitates esse simul in gradu remisso, ac in intenso.

Minor pr. Eadem est proportio inter duos gradus caloris, & quatuor frigoris, ac est inter quatuor caloris, & octo frigoris: ergo tam repugnat esse duos gradus caloris cũ quatuor frigoris, ac quatuor caloris cum octo frigoris.

Solutio: *Eadem est proportio Arithmetica inter quatuor gradus caloris, & octo frigoris, ac inter duos caloris, & quatuor frigoris*, Concedo. *Eadem est proportio physica, & quoad contrarietatem*, Nego.

Contrà. Esse eandem proportionem quoad contrarietatem, est duos gradus caloris æquè opponi quatuor frigoris, ac quatuor caloris octo frigoris; atqui duo æquè opponuntur quatuor, ac quatuor octo: ergo est eadem proportio quoad contrarietatem.

Minor pr. Gradus caloris opponuntur gradibus frigoris, vel singuli singulis, vel singuli omnibus: atqui quidquid dicatur, æque opponuntur duo quatuor, ac quatuor octo: ergo duo æque opponuntur quatuor, ac quatuor octo.

Solutio: *Neganda est maior, Ratio est, quia alio modo possunt opponi, nempe omnes omnibus, seu collectio collectioni.*

Contrà. Illa collectio est eiusdem rationis cum singulis illis gradibus: ergo non magis op-

ponuntur omnes omnibus, quàm ſinguli ſingulis.

Solutio : *Illa collectio eſt eiuſdem rationis cum ſingulis illis gradibus ſumptis ſecundùm entitatem,* Concedo. *in ratione totius*, Nego. *hoc eſt collectio illa cùm nihil aliud ſit quàm ſinguli illi gradus ſimul ſumpti, phyſicè non eſt quid diuerſum ab illis; vt ſumitur tamen ſimul differt à ſingulis, qui dici non poſſunt totum.*

Contrà. In ratione totius etiam quoad oppoſitionem eſt eiuſdem rationis cum ſingulis : ergo nulla ſolutio.

Antecedens pr. Collectio non opponitur collectioni magis quàm vnus gradus alteri gradui: ergo ſunt eiuſdem rationis quoad oppoſitionem, etiam in ratione totius.

Antecedens pr. Non debet deſtrui vllus gradus alterius collectionis ad poſitionem graduum iſtius : ergo non magis opponitur collectio collectioni, quàm vnus gradus alteri.

Antecedens pr. Ille, qui dici poteſt debere deſtrui, eſt vel primò introductus alterius collectionis, vel poſtremò introductus, vel alius; ſed nullum horum dici poteſt: ergo nullus deſtrui debet.

Minor pr. Non eſt maior ratio cur vnus ex illis deſtruatur quàm alius : ergo nullus deſtrui debet.

Conſequentia pr. Non debet deſtrui niſi is, de quo eſt potior ratio cur deſinat; atqui non eſt potior ratio de vno ex conceſſis, quàm de alio: ergo nullus debet deſtrui.

Solutio : *Neganda eſt maior. Ratio eſt, quia*

cùm

cùm aliquis debeat destrui propter incompossibilitatem manendi simul cum gradibus alterius collectionis, Dei est determinare, vt hic potiùs destruatur, quàm ille; quemadmodum determinat, vt hic potiùs producatur quàm ille, licèt non sit potior ratio, cur vnus producatur, quàm alius.

QVARTA CONCLVSIO.

Formæ contrariæ quædam possunt esse simul supernaturaliter, etiam in gradu intenso.

CALOR, & frigus possunt esse supernaturaliter in eodem subiecto, etiam in gradu intenso: ergo & formæ contrariæ.

Antecedens pr. Non aliud requiritur vt calor, & frigus sint simul in eodem subiecto in gradu intenso, quàm vt Deus non se accommodet exigentiæ, quam habet calor intensus, vt cùm introducitur in subiectum, suspendatur concursus conseruatiuus frigoris intensi; atqui Deus potest non se accommodare illi exigentiæ: ergo calor, & frigus possunt esse supernaturaliter in eodem subiecto in gradu intenso.

Maior pr. Liberè Deus se accommodat illi exigentiæ: ergo potest ei se non accommodare.

Antecedens pr. Opera ad extra Deus liberè facit; atqui accommodatio illi exigentiæ est opus Dei ad extra: ergo Deus liberè se accommodat illi exigentiæ.

Obiicitur. Calor non potest esse supernatu-

raliter simul cum frigore in gradu intenso: ergo, neque vllæ formæ contrariæ.

Antecedens pr. Priuatio caloris non potest esse simul cum ipso in eodem subiecto etiam supernaturaliter; atqui frigus est priuatio caloris: ergo calor non potest esse supernaturaliter simul cum frigore.

Minor pr. Vnum contrarium ex Aristotele est priuatio alterius; atqui frigus est contrarium calori: ergo est eius priuatio.

Solutio: *Vnum contrarium ex Aristotele est priuatio alterius causaliter*, Concedo. *formaliter*, Nego. ergo *frigus est priuatio caloris causalis*, Concedo. *formalis*, Nego. *Priuatio causalis est illud quod facit, vt calor desinat esse in subiecto; formalis verò est mera absentia caloris in subiecto. Non implicat autem, vt patet, vt calor sit illa prima priuatio: fieri autem non potest vt sit secunda, quippe qui sit aliquid positiuum.*

Contra. Non esse caloris formaliter, est priuatio formalis caloris; atqui frigus est non esse caloris formaliter: ergo frigus est priuatio formalis caloris.

Minor pr. Quod non est esse caloris formaliter est eius non esse formaliter; atqui frigus non est esse caloris vllo modo: ergo est eius non esse formaliter.

Maior pr. Quod non est vnum ex contradictoriis debet esse aliud; atqui esse, seu identificari cum esse caloris, & esse seu identificari cum eius non esse sunt contradictoria; ergo quod non est esse caloris formaliter, est eius non esse formaliter.

Minor pr. Identificari cum esse caloris, & non identificari cum esse caloris sunt contradictoria: atqui non identificari cum esse caloris,& identificari cum non esse caloris sunt idem:ergo identificari cum esse caloris, & identificari cum eius non esse sunt contradictoria.

Minor pr. Quod non identificatur cum esse caloris identificatur cum eius non esse:ergo non identificari cum esse caloris,est identificari cum eius non esse.

Solutio: *Quod non identificatur cum esse caloris, identificatur cum eius non esse formaliter sumpto, seu mero, & puro*, Nego. *cum eius non esse mero, aut alio, quod non est eius merum non esse, sed aliquid positiuum, alia scilicet entitas positiua*, Concedo. *& eodem modo distinguendum est consequens.*

Contrà. Quod non identificatur cum esse caloris, non est esse caloris; atqui quod non est esse caloris identificatur cum eius non esse mero & puro: ergo quod non est esse caloris identificatur cum eius non esse mero, & puro.

Minor pr. Illud identificatur cum non esse caloris mero, & puro, quod est non esse caloris;atqui quod non est esse caloris, est eius non esse: ergo quod non est esse caloris,identificatur cum eius non esse mero, & puro.

Solutio: *Illud identificatur cum non esse caloris mero, & puro, quod est non esse caloris merum, & purum*; Concedo. *quod est non esse caloris non merum, sed aliquid positiuum*, Nego. atqui *quod non est esse caloris, est eius non esse merum, & purum tantum*, Nego. *merum, vel positiuum*, Concedo.

Huiusmodi autem est frigus, quod non est quidem esse caloris, & consequenter est eius non esse, sed non merum. Est siquidem aliquid positiuum.

QVINTA CONCLVSIO:

Quædam formæ contrariæ non possunt esse supernaturaliter in eodem subiecto.

AFFIRMATIO, & negatio eiusdem de eadem re sunt formæ contrariæ; atqui illæ non possunt esse supernaturaliter in eodem subiecto: ergo nec quædam formæ contrariæ.

Minor. pr. Subiectum illarum formarum est intellectus; atqui non possunt esse etiam supernaturaliter in eodem intellectu: ergo neque in eodem subiecto.

Minor. pr. Non possunt esse in eodem intellectu, quin intellectus assentiatur falso vt tali cognito; atqui assentiri non potest falso vt tali cognito: ergo non possunt esse in eodem intellectu.

Maior pr. Assentiri falso vt tali cognito, est iudicare rem aliquam esse simul, & non esse, cum aduertentia quòd sit eadem res; atqui intellectus affirmans, & negans idem de eodem iudicat rem aliquam esse, & simul non esse, cum aduertentia quòd sit eadem res: ergo non possunt esse in eodem intellectu, quin intellectus assentiatur falso, vt tali cognito.

Maior pr. Eandem rem esse, & non esse est maximè falsum, & nemo potest hoc ignorare: ergo iudicare rem eandem esse, & non esse, cum aduertentia quòd sit eadem res, est assentiri falso, vt tali cognito.

Minor præcedentis argumenti probatur.

Per affirmationem iudicat esse, & per negationem dicit non esse : ergo intellectus affirmans, & negans idem de eodem, iudicat rem aliquam esse, & simul non esse.

Sexta Conclusio:

Datur resistentia passiua.

Resistentia passiua, est illa per quam sine actione impeditur, aut retardatur actio agentis in subiectum; atqui datur huiusmodi resistentia in ingenti saxo quando impellitur : ergo datur resistentia passiua.

Antecedens pr. Saxum illud impedit sine vlla actione, actionem impulsus in se : ergo datur huiusmodi resistentia in ingenti saxo, quando impellitur.

Antecedens pr. Actio, quæ prouenire potest ab impulsu in illo saxo, est productio motus localis; atqui productio motus localis illius saxi impeditur ab ipso sine vlla actione : ergo saxum illud impedit sine vlla actione, actionem impulsus in se.

Prima pars minoris probatur primò.

Saxum illud non mouetur : ergo impeditur productio motus in illo saxo.

Secunda pars minoris præcedentis argumenti probatur secundò.

Non potest assignari terminus illius actionis : ergo impedit sine actione.

SECTIO III.

De intensione & remissione qualitatum

PRIMA CONCLVSIO:

Intensio bene definitur productio plurium partium eiusdem qualitatis, in eadem parte subiecti.

HÆc conclusio intelligetur ex sequenti.

SECVNDA CONCLVSIO:

Intensio fit per additionem noui gradus ad gradum in eadem parte subiecti.

INTENSIO dici debet fieri per mutationem qualitatis indiuisibilis imperfectioris in perfectiorem, vel per eius maiorem radicationem, vel per abiectionem contrarij, vel per additionem noui gradus ad gradum in eadem parte subiecti; atqui non fit tribus primis modis: ergo dicendum est fieri per additionem noui gradus ad gradum in eadem parte subiecti.

Prima pars minoris probatur.

Calor non intenditur per mutationem imperfectioris caloris in perfectiorem: ergo intensio non fit per mutationem qualitatis indiuisibilis imperfectioris in perfectiorem.

Antecedens pr. Per illam mutationem imper-

ſectioris caloris in perfectiorem, vel calor imperfectior deſineret, & deſtrueretur, vel non; atqui neutrum dici poteſt: ergo calor non intenditur per mutationem caloris imperfectioris in perfectiorem.

Reſpondent *deſinere.*

Contrà. Calor imperfectior non debet dici deſinere, niſi ſit aliquid, quod exigat ſuſpenſionem concurſus conſeruatiui illius; atqui nihil eſt, quod exigat huiuſmodi ſuſpenſionem: ergo non debet dici deſinere.

Minor pr. Illud quod poteſt dici illam exigere, non poteſt eſſe aliud quàm perfectior ille calor adueniens; atqui ille non exigit hanc ſuſpenſionem: ergo nihil eſt, quod illam exigat.

Minor pr. Quod non eſt contrarium calori illi imperfectiori dici non debet exigere illam ſuſpenſionem; ſed calor perfectior non eſt contrarius calori imperfectiori: ergo non exigit hanc ſuſpenſionem.

Minor pr. Solum frigus eſt contrarium calori illi imperfectiori; atqui calor ille non eſt frigus ergo non eſt contrarius calori illi imperfectiori.

Secunda pars minoris primi argumenti, intenſionem ſcilicet, non eſſe maiorem radicationem, probatur.

Maior radicatio illa eſt vel perfectior exiſtentia qualitatis, vel eductio, vel vnio; atqui intenſio non eſt maior exiſtentia qualitatis, neque eductio, neque vnio: ergo intenſio non eſt maior radicatio qualitatis.

Prima pars minoris probatur.

Intenſio non eſt maior eſſentia, & entitas qua-

litatis : ergo neque existentia.

Consequentia pr. Essentia, & existentia qualitatis sunt idem: ergo radicatio, quæ non est maior essentia qualitatis, non est maior eius existentia.

Secunda pars minoris probatur.

Intensio non potest esse maior eductio, nisi qualitas intensa possit magis educi; atqui non potest magis educi: ergo intensio nō est maior eductio qualitatis.

Minor pr. Qualitas indiuisibilis semel educta non potest magis educi; atqui qualitas intensa per aduersarios est indiuisibilis: ergo non potest magis educi.

Maior pr. Qualitatem indiuisibilem magis educi, est vel fieri aliquid eius de nouo, vel ipsammet totam fieri noua actione; atqui neutrum dici potest: ergo qualitas indiuisibilis semel educta non potest magis educi.

Prima pars minoris, non fieri aliquid eius de nouo, probatur.

Quod non habet aliquid, & aliquid, non potest fieri secundùm aliquid sui de nouo; atqui qualitas indiuisibilis non habet aliquid, & aliquid: ergo non potest fieri secundùm aliquid sui de nouo.

Minor pr. Quod non habet partes non habet aliquid, & aliquid; atqui qualitas indiuisibilis non habet partes: ergo non habet aliquid, & aliquid.

Secunda pars minoris argumenti superioris, non fieri noua actione, probatur.

Illa noua actio, vel manet simul cum præce-

dente, vel destruit præcedentem; sed neutrum dici potest: ergo non fit noua actione.

Prima pars minoris, non manere, probatur.

Actio noua manens simul cum præcedente supponit illam qualitatem fieri simul duplici actione totali; atqui non potest fieri duplici actione totali: ergo actio noua nō manet simul cum præcedente.

Minor pr. Non possunt dari naturaliter duæ actiones, quarum altera sit superflua; atqui ex duabus actionibus totalibus eiusdem qualitatis altera est superflua: ergo non potest fieri duplici actione totali.

Secunda pars minoris superioris argumenti, non destruere præcedentem, probatur.

Non est contraria præcedenti: ergo non destruit præcedentem.

Antecedens pr. Actiones non sunt contrariæ, cùm earum termini non sunt contrarij; atqui termini illarum actionum non sunt contrarij: ergo neque ipsæ.

Minor pr. Est idem terminus illarum: ergo ipsarum termini non sunt contrarij.

Antecedens pr. Qualitas intensa est terminus; atqui est eadem qualitas: ergo & idem terminus.

Tertia pars minoris primi argumenti superioris, intensionem non esse maiorem vnionem, pr.

Vel per maiorem illam vnionem, intelligi debet noua manens cum præcedente, vel destruens præcedentem; atqui neutrum dici potest: ergo intensio non est maior vnio.

Prima pars probatur.

Vnio noua manens cum præcedente est super-

flua; atqui non datur vnio superflua : ergo noua vnio non manet cum præcedente.

Maior pr. Illa vnio est superflua, sine qua sufficienter vniuntur eius termini ; atqui sine noua ista vnione sufficienter vniuntur eius termini : ergo est superflua.

Minor pr. Sufficienter vniuntur eius termini per præcedentem vnionem : ergo sufficienter vniuntur sine noua.

Antecedens pr. Illa vnio vnit sufficienter suos terminos, per quam fit, vt quò vnus trahitur sequatur alius; atqui per præcedentem vnionem fit, vt quò trahitur vnus ex eius terminis sequatur alius : ergo per præcedentem vnionem sufficienter vniuntur eius termini.

Minor pr. Termini istius vnionis sunt qualitas, & eadem pars subiecti ; atqui quò trahitur pars subiecti debet sequi qualitas, & è conuerso : ergo per vnionem præcedentem fit, vt quò vnus eius terminus trahitur sequatur alius.

Secunda pars minoris superioris argumenti, vnionem nouam non destruere præcedentem, pr.

Præcedens vnio non destruitur nisi ab eo, quod est illi contrarium ; atqui vnio noua adueniens non est illi contraria : ergo vnio noua non destruit præcedentem.

Minor pr. Vniones non sunt contrariæ, cùm earum termini non sunt contrarij ; atqui istarum vnionum termini non sunt contrarij : ergo neque ipsæ.

Minor pr. Habent eosdem terminos: ergo istarum vnionum termini non sunt contrarij.

Tertia pars primi argumenti superioris, in-

tensionem non esse abiectionem contrarii, probatur.

Intensio caloris non est mera abiectio frigoris: ergo intensio non fit per meram abiectionem contrarij.

Antecedens pr. Intensio caloris non potest esse mera abiectio frigoris, quin etiam intensio frigoris sit mera abiectio caloris; atqui non est: ergo intensio caloris non est mera abiectio frigoris.

Minor pr. Sententia dicens intensionem frigoris esse abiectionem caloris, dicit vtramque qualitatem esse indiuisibilem; atqui non potest dici, quòd hæ qualitates sint indiuisibiles: ergo intensio frigoris non est maior abiectio caloris.

Minor pr. Nō potest esse maior abiectio caloris, aut frigoris, quin sit in subiecto maior, aut minor calor, maius, aut minus frigus; atqui qualitates, quæ habent magis, & minus non sunt indiuisibiles: ergo istæ qualitates non sunt indiuisibiles.

Minor pr. Qualitates quæ habent partes non sunt indiuisibiles; atqui quæ habent magis, & minus habent partes: ergo non sunt indiuisibiles.

Minor pr. Qualitates, quæ habent aliquid, & aliquid, habent partes; atqui qualitates, quæ habent magis, & minus, habent aliquid, & aliquid: ergo habent partes.

Minor pr. Magis est aliquid, minus etiam est aliquid: ergo qualitates quæ habent magis, & minus, habent aliquid, & aliquid.

Obiicitur. Intensio fit per abiectionem contrarij: ergo non fit per additionem gradus ad gradum.

Antecedens pr. Intensio fit per minorem ad-

mixtionem contrarij ex Aristotele: ergo fit per abiectionem contrarij.

Solutio: *Intensio fit per minorem admixtionem contrarii ex Aristotele, hoc est, vbi est calor intensus, est minus frigoris*, Concedo. *hoc est, non producitur de nouo calor, sed tantùm abiicitur frigus*, Nego.

Contrà. Nouus calor non potest esse cum præcedente in eadem parte subiecti: ergo non producitur nouus calor.

Antecedens pr. Calor ille nouus, vel differt specie à præcedente, vel tantùm numero; atqui neutrum dici potest: ergo nouus calor non potest esse cum præcedente.

Respondeo *differre numero*.

Contrà. Accidentia differentia tantùm numero, non possunt esse in eadem parte subiecti: ergo calores differentes tantùm numero, non possunt esse in eadem parte subiecti.

Antecedens pr. Entia, quorum differentia indiuidualis est subiectum, non possunt esse plura in eodem subiecto; atqui differentia indiuidualis accidentium est subiectum: ergo accidentia differentia tantùm numero, non possunt esse plura in eadem parte subiecti.

Minor pr. Differentia indiuidualis est illud, à quo indiuiduantur; atqui indiuiduantur à subiecto: ergo differentia indiuidualis accidentium est subiectum.

Minor pr. Per illud indiuiduantur, per quod sunt hæc, & non illa; atqui per subiectum sunt hæc, & non illa: ergo indiuiduantur à subiecto.

Solutio: *Neganda est minor. Ratio est, quia*

vnaquaeque res est haec, & non illa per seipsam.

Contrà. Quantumuis accidentia sint hæc, & non illa per seipsa, & non per subiectum, plura solo numero differentia non possunt esse in eodem subiecto: ergo nulla solutio.

Solutio: *Plura solo numero differentia, & non componentia vnum totale, non possunt esse in eodem subiecto*, Concedo. *componentia vnum totale*, Nego.

Contrà. Plura componentia vnum totale non possunt esse in eodem subiecto simul, quin in illo simul producantur, aut successiuè vnum post aliud; atqui neutrum dici potest: ergo non possunt esse simul in eodem subiecto, etiam cùm componunt vnum totale.

Respondeo *successiuè produci.*

Contrà. Ista accidentia cùm successiuè producuntur, desinit præexistens ad introductionem noui: ergo plura accidentia solo numero differentia successiuè producta, non possunt esse simul in eodem subiecto.

Antecedens pr. Terminus à quo desinit, cùm introducitur terminus ad quem; atqui accidens præexistens est terminus à quo, & nouum accidens est terminus ad quem: ergo desinit præexistens cùm nouum introducitur.

Solutio: *Cum introducitur terminus ad quem terminus à quo desinit, secundum entitatem*, Nego. *secundum rationem termini à quo*, Concedo. *& concessa minori*: ergo *cum nouum introducitur desinit praexistens secundum entitatem*, Nego. *secundum rationem termini à quo*, Concedo. *Sensus distinctionis est, qualitatem remissam, quae est*

terminus à quo intensionis, desinere in ratione remissæ, non autem in sua entitate, quippe quæ maneat cum aduenient, à quo habet vt desinat dici remissa, & incipiat vocari intensa.

TERTIA CONCLVSIO:

Solis qualitatibus conuenit intensio per se primò.

INTENSIO est additio gradus ad gradum; atqui additio illa conuenit solis qualitatibus per se primò: ergo solis qualitatibus conuenit intensio per se primò.

Minor pr. Additio gradus ad gradum non conuenit per se primo substantiæ, quantitati, aut entibus aliorum prædicamentorum: ergo conuenit per se primo solis qualitatibus.

Antecedens probatur primo de substantia, & quantitate.

Additio gradus ad gradum nullo modo conuenit illis, quæ non habent plures partes in eadem parte subiecti; atqui substantia, & quantitas non habent plures partes in eadem parte subiecti: ergo additio gradus ad gradum non conuenit illis per se primo.

Prima pars minoris probatur.

Nullum est fundamentum dicendi esse plures partes substantiæ in eadem parte subiecti: ergo substantia non habet illas.

Vide probationem antecedentis disp. vltima huius Tractatus sect. 1. concl. 1.

Secunda pars minoris præcedentis argumenti pr.

Illud, cuius partes sunt impenetrabiles, non ha-

bet plures partes in eadem parte subiecti; atqui partes quantitatis sunt impenetrabiles: ergo non habet plures partes in eadem parte subiecti.

Probatur secundo, additionem gradus ad gradum non conuenire per se primo entibus aliorum prædicamentorum.

Additio gradus ad gradum non conuenit illis per se primò, quibus conuenit tantùm ratione termini, aut ratione subiecti; atqui aliis entibus aliorum prædicamentorum conuenit tantùm ratione termini, aut ratione subiecti: ergo non cõuenit illis per se primò.

Minor pr. Illa entia sunt actio, passio, vbi, & duratio; atqui duobus primis conuenit ratione termini, & postremo ratione subiecti: ergo conuenit illis tantùm ratione termini, aut subiecti.

Minor pr. Illis conuenit additio gradus ad gradum ratione termini, & ratione subiecti, quæ ideò habent plures partes in eadem parte subiecti, quia terminus, & subiectum habent plures partes in ea; atqui ideò actio, & passio, vbi, & duratio habent plures partes in eadem parte subiecti, quia terminus duorum primorum, & subiectum duorum postremorum habent plures partes: ergo duobus primis conuenit ratione termini, & postremo ratione subiecti.

QVARTA CONCLVSIO.

Partes intensiuæ vniuntur inter se.

ILLAE partes qualitatum inter se vniuntur, quæ sunt capaces vnionis, sunt sufficienter applicatæ ad illam habendam, & sunt illius productiuæ; atqui partes intensiuæ sunt capaces vnionis cum aliis partibus, sunt sufficienter applicatæ ad illam habendam, & sunt productiuæ illius: ergo partes intensiuæ vniuntur inter se.

Prima pars minoris, esse capaces vnionis, pr.

Partes intensiuæ non minùs sunt capaces vnionis quàm extensiuæ; atqui extensiuæ sunt capaces: ergo & intensiuæ.

Maior pr. Intensiuæ possunt esse extensiuæ, & extensiuæ intensiuæ: ergo non minùs sunt capaces vnionis hæ, quàm illæ.

Secunda pars minoris superioris argumenti, esse sufficienter applicatas, probatur.

Non maior potest esse applicatio ad habendam vnionem, quàm indistantia; atqui partes intensiuæ sunt indistantes: ergo habent sufficientem applicationem ad habendam vnionem.

Minor pr. Quæ sunt in eodem loco sunt indistantia; atqui partes intensiuæ sunt in eodem loco: ergo sunt indistantes.

Minor pr. Quæ sunt in eadem parte subiecti sunt in eodem loco; atqui partes intensiuæ sunt in eadem parte subiecti: ergo & in eodem loco.

Maior argumenti superioris, indistantiam esse maiorem applicationem, quæ potest esse ad vnionem, pr.

Applicatio ad habendam vnionem est coniunctio vniendorum; atqui non potest esse maior coniunctio, & approximatio, quàm indistantia: ergo non potest esse maior applicatio ad habendam vnionem, quàm indistantia.

Tertia pars primi argumenti superioris, partes intensiuas esse productiuas vnionis, probatur.

Partes extensiuæ producunt per se vnionem, qua vniuntur: ergo & intensiuæ.

Antecedens probatur. Non minus partes extensiuæ qualitatum producunt vnionem inter se quàm partes quantitatis, aut materiæ; atqui partes quantitatis, & materiæ producunt vnionem inter se: ergo & partes qualitatis.

Min. pr. Partes materiæ, & quantitatis, quæ sunt in gutta aquæ, cùm iungitur alteri aquæ, sunt verè partes materiæ, & quantitatis; atqui illæ producunt vnionem cum aliis partibus quantitatis, aut materiæ alterius aquæ: ergo & partes materiæ, & quantitatis.

Minor pr. Nihil est aliud, quod dici possit producere illam vnionem: ergo producitur ab illis.

Antecedens pr. Illud aliud non potest esse nisi impulsus, aut motus localis, quo vna iungitur alteri; atqui neque impulsus, neque motus localis sunt productiua illius vnionis: ergo nihil est aliud, quod dici possit illam producere.

Minor pr. Impulsus est tantum productiuus motus, & motus vbicationis: ergo neque impulsus, neque motus sunt productiua illius vnionis.

QVINTA CONCLVSIO:
Partes intensiuæ sunt perfectè similes.

NVLLA est necessitas dicendi partes intensiuas esse dissimiles: ergo dicendum est esse perfectè similes.

Antecedens pr. Non est alia necessitas ad dicendum esse dissimiles, quàm vt explicetur quomodo in eodem subiecto sit, v. g. modò minor calor, modò maior, & magis actiuus; atqui ad hoc necessarium non est dicere partes intensiuas esse dissimiles: ergo nulla est necessitas dicendi esse dissimiles.

Minor pr. Illud dici non potest necessarium ad explicandam maiorem actiuitatem illius caloris, sine quo facilè explicari potest; atqui sine illa dissimilitudine partium intensiuarum facilè explicari potest: ergo ad hoc necessarium non est dicere partes ipsius esse dissimiles.

Minor pr. Explicari potest facilè maior illa actiuitas per solam multiplicationẽ partium omnino similium: ergo & sine illarũ dissimilitudine.

Antecedens pr. Explicari facilè potest maior illa actiuitas caloris per id, quod auget illius vires; atqui sola multiplicatio partium omnino similium auget illius vires: ergo per illam explicari potest facilè maior illa actiuitas.

Minor pr. Partes omnino similes sunt omnes æquè actiuæ; atqui multiplicatio partium æquè actiuarum auget vires caloris: ergo & multiplicatio partium omnino similium.

Minor pr. Agens minùs actiuum iunctum ma-

gis actiuo auget illius vires : ergo etiam multiplicatio partium æquè actiuarum.

Consequentia pr. Plus habet virium agens æquè actiuum ad augendas vires alterius æquè actiui quàm minùs actiuum ; atqui minùs actiuum auget : ergo & magis actiuum.

Obiicitur. Partes intensiuæ sunt dissimiles:ergo non sunt perfectè similes.

Antecedens pr. Non sufficit vt faciant intensionem, quòd sint in eadem parte subiecti, nisi etiam sint dissimiles ; ergo partes intensiuæ sunt dissimiles.

Antecedens pr. Partes quantitatis diuinitus penetratæ non faciunt intensionem, propterea quòd non sint dissimiles : ergo partes qualitatis quæ faciunt intensionem, debent esse dissimiles.

Antecedens pr. Non est alia ratio, propter quam partes quantitatis non faciant intensionem : ergo non faciunt intensionem præcisè, quia non sunt dissimiles.

Solutio : *Negandum est antecedens, & dicendum illam aliam rationem esse, quia partes quantitatis non sunt vnibiles natura sua in eadem parte subiecti.*

Contrà. Partes qualitatis natura sua vnibiles non faciunt intensionem nisi sint dissimiles : ergo nulla solutio.

Antecedens pr. Partes vnibiles natura sua in eadem parte subiecti non faciunt intensionem nisi sint inæquales in perfectione ; atqui non possunt esse inæquales in perfectione, quin sint dissimiles : ergo partes natura sua vnibiles non faciunt intensionem nisi sint dissimiles.

Maior. pr. Gradus caloris sunt natura sua vnibiles in eadem parte subiecti; atqui non faciunt intensionem nisi sint inæquales in perfectione: ergo partes qualitatis natura sua vnibiles non faciunt intensionem nisi sint inæquales in perfectione.

Minor probatur. Illi gradus non faciunt intensionem, qui non faciunt augmentum intensiuum; atqui gradus caloris, qui non sunt inæquales in perfectione non faciunt augmentum intensiuum: ergo neque intensionem.

Minor pr. Augmentum intensiuum debet esse perfectius extensiuo; atqui perfectius esse non potest, nisi gradus illud componentes sint inæquales in perfectione: ergo gradus caloris, qui non sunt inæquales in perfectione, non faciunt augmentum intensiuum.

Solutio: *Augmentum intensiuum debet esse perfectius extensiuo secundum entitatem*, Nego. *secundum modum*, Concedo. atqui *nisi gradus illud componentes sint inæquales in perfectione non potest esse perfectius extensiuo secundum entitatem*, Concedo. *secundum modum*, Nego. *Perfectio illa maior secundum modum consistit in eo, quod gradus facientes augmentum intensiuum sint magis vniti, quippe qui sint in eadem parte subiecti: illi verò, qui faciunt augmentum extensiuum non ita sint coniuncti. Sunt siquidem in diuersis partibus subiecti.*

Contrà. Gradus secundus caloris, tertius, quartus, & reliqui maiores sunt perfectiores secundũ entitatem primo: ergo gradus facientes augmentum intensiuum sunt perfectiores secundum entitatem.

Antecedens pr. Secundus non poteſt producere tertium : ergo tertius eſt perfectior ſecundùm entitatem ſecundo, & primo.

Antecedens pr. Secundus producens tertium agit in ſimile; atqui ſimile non poteſt agere in ſimile : ergo nec ſecundus producere tertium.

Maior pr. Calidum vt duo eſt ſimile alteri calido vt duo; atqui ſecundus gradus caloris producens tertium agit in aliud calidum vt duo : ergo ſecundus producens tertium agit in ſimile.

Minor probatur. Calidum vt duo poteſt agere in aliud calidum vt duo, cùm poteſt producere in eo tertium gradum caloris; atqui ſecundum gradum poſſe producere tertium, eſt calidum vt duo poſſe in alio calido vt duo producere tertium : ergo ſecundus gradus caloris producens tertium agit in aliud calidum vt duo.

Minor pr. Calidum vt duo poteſt producere tertium gradum caloris ex conceſſis, & calidum vt duo poteſt etiam recipere tertium illum gradum : ergo ſecundum gradum caloris poſſe producere tertium, eſt calidum vt duo poſſe in alio calido vt duo producere tertium.

Solutio : *Calidum vt duo poteſt producere tertium gradum caloris in eo ſubiecto, quod eſt minus calidum*, Concedo. *in ſubiecto æquè calido aut magis calido*, Nego.

Contrà. Non aliud requiritur vt calidum vt duo producat in alio æquè calido tertium gradum, quàm vt ſit productiuum illius, & alterum receptiuum ipſius; atqui vnum eſt productiuum illius, & alterum receptiuum : ergo calidum vt duo poteſt producere tertium gradum caloris in alio æquè calido.

Solutio : *Neganda est maior , quia præter hoc requiritur dissimilitudo inter agens , & passum. Agens enim non agit nisi vt assimilet sibi passum. Ea autem dissimilitudo non est inter calidum vt duo , & calidum vt duo , sunt enim perfectè similia.*

SECTIO IV.

An qualitates habeant terminos magnitudinis , & paruitatis quoad intensionem , & remissionem.

PRIMA CONCLVSIO:

Qualitates naturales habent naturaliter maximum quod sic intensionis.

ILLAE qualitates habent maximum quod sic intensionis, in quibus datur gradus aliquis ad quem vsque intendi possunt non vltrà ; atqui qualitates naturales habent naturaliter gradum aliquem ad quem vsque intendi possunt non vltrà : ergo qualitates naturales habent naturaliter maximum quod sic intensionis.

Minor pr. Qualitates , quæ non intenduntur semper magis , ac magis , & in infinitum habent certum gradum , ad quem vsque intendi possunt, & non vltrà ; atqui qualitates naturales intendi non possunt semper magis , ac magis , & in infinitum : ergo habent certum gradum , ad quem

vſque intendi poſſunt, non vltrà.

Minor probatur. Illæ qualitates dici non poſſunt intendi naturaliter ſemper magis, ac magis, & in infinitum, quæ non habent agens productiuum illius intenſionis, & ſubiectum receptiuum; atqui agentia naturalia non habent vim productiuàm illius intenſionis, neque ſubiecta vim receptiuam: ergo qualitates naturales intendi non poſſunt ſemper magis, ac magis.

Minor probatur. Agentia naturalia, & ſubiecta dicenda non ſunt habere vim, quam nunquam exercuerunt, neque exercent; atqui agentia naturalia, & ſubiecta nunquam exercuere, neque exercent vim productiuam, aut ſuſceptiuam huiuſmodi intenſionis: ergo illam non habent.

Minor pr. Nunquam fuit intenſus calor, & frigus in infinitum: ergo agentia naturaliter, & ſubiecta non exercuere vim productiuam, aut ſuſceptiuam huiuſmodi intenſionis.

SECVNDA CONCLVSIO:

Qualitates naturales non habent minimum quod ſit intenſionis,

ILLAE qualitates non habent minimum quod ſit remiſſionis, quæ non habent certum gradum, ad quem vſque remitti poſſint non infrà; atqui qualitates naturales non habent certum gradum, ad quem vſque remitti poſſint non infrà: ergo non habent minimum quod ſit intenſionis.

Minor pr. Illæ qualitates non habent certum

subiectum nisi exigatur ab illo, neque in eo conseruari cum dissentaneo omnino temperamento; atqui id, per quod exigitur forma est certa intensio qualitatum, & contrarium ei temperamentum est certa remissio ipsius qualitatum: ergo forma induci non potest in subiectum nisi sit certa intensio qualitatum, neque in eo conseruari in quacunque earumdem remissione.

DISPVTATIO III.

De Rarefactione & Condensatione.

SECTIO VNICA.

Quid sint?

PRIMA CONCLVSIO:

Rarefactio est acquisito maioris vbi, & condensatio minoris.

RAREFACTIO est vel acquisitio maioris quantitatis, vel positio eiusdem rei in pluribus locis, vel dilatatio pororum vacuorum, vel productio extensionis, vel intromissio corpusculorum intra poros, vel productio specialis qualitatis, quæ dicatur raritas, vel acquisitio ma-

ioris vbi; atqui nullum est ex primis: ergo est acquisitio maioris vbi.

Prima pars minoris probatur.

Per rarefactionem non producitur maior quantitas: ergo rarefactio non est productio maioris quantitatis.

Antecedens pr. Illa maior quantitas producta, vel est in subiecto, vel non; sed neutrum dici potest: ergo per rarefactionem non producitur maior quantitas.

Respondent *esse in subiecto.*

Contrà. Vel est in eodem subiecto, quo præcedens minor, vel in diuerso; atqui non est in eodem, quo præcedens, neque in diuerso: ergo non est in subiecto.

Prima pars minoris probatur.

Maior quantitas non potest esse in eodem subiecto, quo præcedens minor sine penetratione; atqui non datur penetratio: ergo non est in eodem subiecto, quo præcedens minor.

Maior pr. Tunc datur penetratio, quando plures partes quantitatis sunt in eodem subiecto; atqui maior quantitas, & præcedens minor sunt partes quantitatis: ergo non possunt esse in eodem subiecto sine penetratione.

Secunda pars minoris superioris argumenti, quantitatem illam maiorem non esse in subiecto diuerso ab eo, in quo est præcedens, probatur.

Diuersum illud subiectum debet esse noua materia; atqui non datur noua materia: ergo non sunt in diuerso subiecto.

Minor pr. Non potest dari noua materia sine creatione; atqui non datur huiusmodi creatio:

ergo non datur noua materia.

Maior pr. Materia fit per creationem: ergo non potest dari noua materia sine creatione.

Secunda pars minoris primi argumenti, scilicet rarefactionem non esse positionem eiusdem rei in diuersis locis, probatur.

Eadem res non potest esse in pluribus locis naturaliter; atqui rarefactio fit naturaliter: ergo non fit per positionem eiusdē rei in diuersis locis.

Respondent: *Res non potest esse in pluribus locis continuis, & non totalibus*, Negant. *discretis & totalibus*, Concedunt. *& concessa minori: ergo rarefactio non est positio eiusdem rei in pluribus locis continuis & non totalibus*, Negant. *discretis, & totalibus*, Concedunt.

Contrà. Rarefactio olei est vera rarefactio; atqui per illam partes olei non ponuntur in pluribus locis continuis, & non totalibus: ergo rarefactio non est positio eiusdem rei in pluribus locis continuis, & non totalibus.

Minor pr. Partes olei per rarefactionem poni in pluribus locis continuis, & non totalibus, est post vnam partem olei sequi non aliam, sed ipsammet; atqui post vnam partem olei non sequitur ipsamet: ergo partes olei per rarefactionem non ponuntur in pluribus locis continuis.

Minor pr. Quælibet pars vnitur cum eo, quod sequitur post ipsam; atqui nihil vnitur sibi ipsi: ergo post vnam partem olei non sequitur ipsamet.

Maior pr. Quælibet pars vnitur cum eo, à quo separatur; sed quælibet pars olei separari potest ab eo, quod sequitur post ipsam: ergo

quælibet pars vnitur cum eo, quod sequitur post ipsam.

Minor pr. Sumi potest quod sequitur, & relinqui pars illa, post quam sequitur: ergo quælibet pars olei separari potest ab eo, quod sequitur post ipsam.

Tertia pars minoris primi argumenti superioris, rarefactionem non esse pororum vacuorum dilatationem, probatur.

Rarefactio non potest esse dilatatio pororum vacuorum corporis rarefacti quin detur vacuum; atqui non potest dari vacuum: ergo rarefactio non est dilatatio pororum vacuorum.

Minor pr. Illud non datur quod natura abhorret; atqui natura abhorret vacuum: ergo non potest dari vacuum.

Respondent: Atqui *natura abhorret vacuum magnum*, Concedunt. *exiguum aliquod*, Negant. ergo *non potest dari vacuum magnum*, Concedunt. *exiguum*, Negant.

Contrà. Natura abhorret illud, quod vt vitetur res naturales agunt contra propriam inclinationem; atqui res naturales vt vitetur vacuum etiam exiguum agunt contra propriam inclinationem: ergo natura abhorret vacuum etiam exiguum.

Minor pr. Aqua est res naturalis; atqui aqua agit contra propriam inclinationem vt vitetur vacuum etiam exiguum: ergo res naturales agunt contra propriam inclinationem vt vitetur vacuum etiam exiguum.

Minor pr. Cùm aqua ascendit agit contra propriam inclinationem; atqui aqua ascendit vt vitetur vacuum etiam exiguum: ergo agit con-

tra propriam inclinationem vt illud vitet.

Vt probetur minor, Suppono, *asserem latum, & planum applicatum aquæ eleuari magna vi, & sic argumentor:*

In casu posito aqua ascendit contra propriam inclinationem, vt vitetur vacuum etiam exiguum: ergo aqua ascendit vt vitetur vacuum etiam exiguum.

Prima pars antecedentis probatur.

Aqua eleuatur simul cum assere: ergo ascendit.

Secunda pars, ascensum illum esse vt vitetur vacuum exiguum, probatur.

Non est alia ratio propter quam aqua ascendat, quàm vt vitetur vacuum; atqui illud quod tunc daretur esset exiguum: ergo aqua ascendit vt vitetur vacuum etiam exiguum.

Minor pr. Illud vacuum est exiguum quod est minus, quàm sit latitudo illa parua illius asseris; atqui illud quod tunc daretur esset minus: ergo & exiguum.

Maior præcedentis argumenti probatur.

Illud vacuum est exiguum, quod est minus eo, quod admittit contraria sententia; atqui vacuum, quod est minus quàm sit latitudo illius asseris, est minus eo, quod admittit contraria sententia: ergo vacuum quod est minus, quàm sit latitudo illius asseris est verè exiguum.

Minor pr. Vacuum quod relinquitur à poris constrictis per congelationem magni alicuius flu ij, aut maris glacialis, est maius, quàm sit illud, quod est minus, quàm sit latitudo illius asseris; atqui contraria sententia admittit istud va-

tuum : ergo illud vacuum eſt minus eo, quod admittit contraria ſententia.

Quarta pars minoris primi argumenti, rarefactionem non eſſe productionem extenſionis, pr.

Extenſio eſt qualitas, per quam plures partes materiæ, & quantitatis exiſtentes in eodem ſpatio ponuntur in diuerſo; atqui rarefactio non eſt productio huiuſmodi qualitatis : ergo rarefactio non eſt productio huiuſmodi extenſionis.

Minor pr. Illa qualitas eſt impoſſibilis : ergo rarefactio nõ eſt productio huiuſmodi qualitatis.

Antecedens pr. Qualitas, cuius nullum aſſignari poteſt ſubiectum eſt impoſſibilis; atqui illius qualitatis nullum aſſignari poteſt ſubiectum : ergo eſt impoſſibilis.

Minor pr. Subiectum illud non poteſt eſſe niſi partes materiæ, & quantitatis; atqui neque partes materiæ, neque quantitatis dici poſſunt eſſe illius ſubiectum : ergo nullum aſſignari poteſt ſubiectum illius qualitatis.

Minor pr. Subiectum illius qualitatis non poteſt eſſe niſi vna pars quantitatis, aut materiæ, aut omnes ſimul; atqui neque vna ſola, neque omnes ſimul poſſunt dici eius ſubiectum : ergo neque partes materiæ, neque quantitatis dici poſſunt illius ſubiectum.

Prima pars minoris probatur.

Non eſt potior ratio cur vna ſit eius ſubiectum quàm alia, & deinde illa ſola participaret eius effectum formalem, non aliæ : ergo vna ſola non eſt eius ſubiectum.

Secunda pars antecedentis probatur.

Forma non communicat ſuum effectum for-

malem nisi ei, cui vnitur; atqui vnitur vni soli: ergo non communicat suum effectum formalem nisi vni soli, vnáque tantùm illum participat.

Secunda pars minoris superioris argumenti, omnes partes materiæ, & quantitatis non esse subiectum illius qualitatis, probatur.

Omnes simul non possunt esse eius subiectum, quin illa sit in pluribus locis simul, & habeat plura subiecta; atqui non potest esse simul in pluribus locis, neque habere plura subiecta: ergo omnes simul non possunt esse eius subiectum.

Prima pars maioris pr. Omnes simul esse eius subiectum est illam esse in locis in quibus illæ sunt; atqui illæ sunt in pluribus locis: ergo omnes simul non possunt esse eius subiectum quin sit in pluribus locis.

Secunda pars maioris argumenti præcedentis pr.

Omnes simul sunt plura subiecta: ergo omnes simul esse eius subiectum est illam habere plura subiecta.

Quinta pars minoris primi argumenti, scilicet rarefactionem non esse intromissionem corpusculorum probatur.

Rarefactio non potest esse intromissio corpusculorum intra poros rei rarefactæ, quin condensatio sit eiectio illorum; atqui condensatio non est eiectio illorum corpusculorum: ergo neque rarefactio intromissio ipsorum.

Minor pr. Condensatio aëris inclusi intra vtrem cùm hic comprimitur est vera condensatio; atqui illa non est eiectio corpusculorum: ergo neque condensatio.

Minor pr. Condensatio, in qua eiiciuntur cor-

puſcula relinquit aliquid ſpatij non occupatum à corpore illo condenſato; atqui iſta condenſatio non relinquit ſpatium non occupatum à corpore condenſato: ergo non eſt eiectio corpuſculorum.

Minor pr. Aër eſt corpus quod condenſatur; atqui iſta condenſatio non relinquit ſpatium non occupatum ab aëre: ergo nec à corpore condenſato.

Minor pr. Aër occupat totum ſpatium, quod antè occupabat: ergo iſta condenſatio non relinquit ſpatium non occupatum ab aëre.

Antecedens pr. Latus, quod comprimebatur redit ad priorem ſtatum, remoto agente comprimente; ergo aër occupat totum ſpatium, quod antè occupabat.

Reſpondent: Ergo *aër occupat totum ſpatium, quod antè occupabat, & manet condenſatus*, Nego. *& non manet condenſatus*, Concedo.

Contrà. Illud corpus manet condenſatum, intra cuius poros non intromittuntur corpuſcula; atqui intra poros aëris incluſi intra vtrem remoto agente comprimente non intromittuntur corpuſcula: ergo manet condenſatus.

Minor pr. Illa corpuſcula intromiſſa, vel ſunt intra vtrem, vel extra; atqui neque dici poſſunt eſſe intra vtrem, neque extra: ergo nulla intromittuntur.

Prima pars minoris probatur.

Minor pr. Corpuſcula illa in eo loco non ſunt, ex quo fuere eiecta; atqui eiecta fuere ex vtre: ergo non ſunt intra vtrem.

Secunda pars minoris argumenti præcedentis,

corpuscula illa non posse dici esse extra vtrem, probatur.

Corpuscula illa extra vtrem sunt partes aëris, atomi, aut exhalationes; atqui neque partes aëris, neque atomi, neque exhalationes ingrediuntur poros aëris inclusi: ergo corpuscula intromissa non sunt extra vtrem.

Minor pr. Partes aëris, atomi, & exhalationes non possunt ingredi poros aëris inclusi, nisi permeent latera vtris; atqui non permeant latera vtris: ergo non ingrediuntur poros aëris inclusi.

Minor pr. Partes aëris, atomi, & exhalationes permeare non possunt latera vtris, nisi vel propria sponte, vel attractæ vi aliena; atqui non permeant illa neque propria sponte, neque attractâ vi aliena: ergo non permeant latera vtris.

Prima pars minoris probatur.

Partes aëris propria sponte non recedunt ex loco proprio in alium; atqui partes illæ aëris extra vtrem sunt in proprio loco: ergo non permeant latera vtris propria sponte.

Secunda pars minoris præcedentis argumenti probatur.

Corpus attrahens partes aëris, atomos, aut exhalationes, non potest esse nisi vel latera vtris, vel aër inclusus; atqui non est neque latera vtris, neque aër inclusus: ergo partes aëris, atomi, aut exhalationes non permeant latera vtris attractæ vi aliena.

Minor pr. Latera vtris, & aër inclusus dici non possunt attrahere partes aëris extra positas, nisi vt hæ occupent locum ab ipsis relictum; atqui illa nullum relinquere debent ex suppositione eie-

ctionis corpusculorum: ergo corpus illud attrahens non est neque latera vtris, neque aër inclusus.

Minor probatur. Ratio quæ afferri potest, cur aliquem locum debeant relinquere est, vt redeant ad eum, quem ante condensationem occupabant; atqui ad illum redire non debent ex suppositione eiectionis corpusculorum: ergo nullum locum debent relinquere.

Minor pr. Ad illum locum redire non debent nisi eo pellantur; atqui ad illum non pelluntur ex suppositione eiectionis corpusculorum: ergo ad illum locum redire non debent ex suppositione eiectionis corpusculorum.

Minor probatur. Ad illum locum pelli non possunt nisi vel à seipsis, vel à corpusculis eiectis, vel ab impulsu impresso à comprimente; atqui nullum horum dici potest: ergo ad illum locum non pelluntur ex suppositione eiectionis corpusculorum.

Duæ primæ partes minoris probantur.

Ad illum locum pelli non possunt à seipsis, aut corpusculis eiectis, nisi hæc eo se moueant propria vi; atqui propria vi eo non se mouent: ergo ad illum locum pelli non possunt neque à seipsis, neque à corpusculis eiectis.

Minor pr. Quo aër, & latera se mouent propria vi, semper se mouent cùm non impediuntur; atqui semper eo non se mouent etiam si non impediantur: ergo eo non se mouent propria vi.

Minor pr. Cùm orificium est apertum non impediuntur quominus eo se moueant; atqui eò tunc non se mouent: ergo propria vi eo non se mouent.

Tertia pars minoris, quòd eo non se mouerant per impulsum impressum à comprimente, probatur.

Non magis impulsus impressus à comprimente debet ea ad illum locum pellere ex suppositione eiectionis corpusculorum, quàm cùm orificium vtris apertum est; atqui cùm orificium vtris apertum est impulsus impressus à comprimente ea non pellit ad illum locum: ergo ad illum locum pelli non possunt ad impulsu impresso à comprimente.

Maior pr. Ideo impulsus impressus à comprimente ea non pellit ad illum locum, cùm orificium vtris apertum est, quia nihil est obsistens, quod illum determinet ad mouendum in contrariam partem; atqui etiam cùm eiecta sunt corpuscula, nihil est, quod illum determinet ad mouendum in contrariam partem: ergo non magis impulsus impressus à comprimente debet ea ad illum locum pellere ex suppositione eiectionis corpusculorum, quàm cùm orificium vtris apertum est.

Minor pr. Quod potest dici illum determinare ad mouendum in contrariam partem est aër inclusus, aut latus aliud vtris; atqui cùm corpuscula sunt eiecta non determinant illum ad mouendum in contrariam partem: ergo etiam cùm eiecta sunt corpuscula, nihil est, quod dici possit illum determinare ad mouendum in contrariam partem.

Minor pr. Aer inclusus, & latus aliud vtris non aliter dici possunt determinare illum ad mouendum in contrariam partem, quàm quia ei obsistunt; atqui ei non obsistunt: ergo illum non de-

terminant ad mouendum in contrariam partem.

Minor pr. Latus aliud vtris, & aër inclusus non magis ei obsistunt, cùm eiecta sunt corpuscula, quàm cùm orificium est apertum; atqui cùm orificium est apertum, ei non obsistunt: ergo latus aliud vtris, & aër inclusus ei non obsistunt.

Minor pr. Aër inclusus non obsistebat ipsi initio; nisi quia ipsi simul cum corpusculis non erat sufficiens locus; atqui cùm eiecta sunt corpuscula, est sufficiens locus: ergo aër inclusus cùm eiecta sunt corpuscula ipsi non obsistit.

Sexta pars minoris primi argumenti, scilicet rarefactionem non esse productionem specialis qualitatis, probatur.

Rarefactio non est productio qualitatis superfluæ; atqui specialis illa qualitas est superflua: ergo rarefactio non est productio specialis qualitatis.

Minor pr. Illa qualitas est superflua, sine qua explicantur omnia, quæ dicuntur de rarefactione; atqui sine ista qualitate speciali explicantur omnia, quæ dicuntur de rarefactione: ergo specialis ista qualitas est superflua.

Minor pr. Nihil aliud explicatur per istam specialem qualitatem, quàm causæ productiuæ maioris vbi; atqui sine ista qualitate explicantur causæ productiuæ maioris vbi: ergo & omnia, quæ dicuntur de rarefactione.

Minor pr. Causæ productiuæ istius qualitatis habent vim sufficientem ad producendum illud maius vbi: ergo sine ista qualitate explicantur causæ productiuæ maioris vbi.

Antecedens pr. Causæ, quæ habent sufficien-

tem vim ad producendam causam maioris vbi, habent etiam vim sufficientem ad producendum illud maius vbi; atqui ista qualitas est productiua per aduersarios vbi illius: ergo causæ, quę habent vim sufficientem ad illam producendam sunt etiam sufficientes ad ipsum vbi producendum.

Obiicitur: Rarefactio est intromissio corpusculorum: ergo rarefactio non est productio maioris vbi.

Antecedens pr. Tam benè rarefactio est intromissio corpusculorum, quàm condensatio eorundem eiectio; atqui condensatio est eiectio illorum corpusculorum: ergo rarefactio est eorum intromissio.

Minor pr. Per condensationem fit maior approximatio partium rei condensatæ; atqui illa fieri non potest sine eiectione corpusculorum: ergo condensatio est eiectio corpusculorum.

Minor pr. Approximatio partium rei condensatę fieri non potest, quin quod intercipitur inter illas expellatur, aut cedat loco, seu occupet minus; atqui quod intercipitur inter illas sunt corpuscula: ergo approximatio illa fieri non potest sine eiectione corpusculorum.

Minor pr. Quæ intercipiuntur inter partes rei condensatæ sunt corpuscula, aut aliæ partes eiusdem rei; atqui non sunt aliæ partes eiusdem rei: ergo sunt corpuscula.

Minor pr. Partes sunt contiguæ aliæ aliis: ergo non sunt id quod intercipitur inter partes rei condensatæ.

Solutio: *Partes sunt contiguæ singulæ omnibus*, Nego. *singulæ singulis*, Concedo.

Contrà. Singulæ singulis magis approximari debent: ergo singulæ singulis non sunt contiguæ.

Solutio: *Approximari debent magis singulæ singulis inadæquatè sumptis*, Concedo. *singulæ singulis inadæquatè sumptis*, Nego.

Contrà. Singulas singulis adæquatè sumptis magis approximari, est illas ratione partium remotiorum, & remotiorum, quas includunt magis approximari; atqui partes illarum remotiorum, & remotiorum magis approximari, est singulas singulis inadæquatè sumptis magis approximari: ergo approximari debent magis singulæ, singulis inadæquatè sumptis.

Minor pr. Remotiores, & remotiores magis approximari non possunt, quin intermediæ magis approximentur; atqui intermediæ sunt singulæ inadæquatè sumptæ: ergo remotiores magis approximari, est singulas singulis inadæquatè sumptis magis approximari.

Minor pr. Intermediæ, vel sunt singulæ inadæquatè sumptæ, vel adæquatè sumptæ; atqui non sunt singulæ adæquatè sumptæ: ergo sunt singulæ inadæquatè sumptæ.

Minor pr. Singulas adæquatè sumptas magis approximari, est minus occupare spatij, quàm antè; atqui non possunt dici minus occupare spatij, quàm antè: ergo intermediæ non sunt singulæ, adæquatè sumptæ.

Vt probetur minor, Supponunt, *illas partes adæquatè sumptas esse duos palmos, & illud minus spacij esse vnum palmum, & sic argumentantur*:

Non possunt illi duo palmi occupare tantùm spatium vnius palmi: ergo partes adæquatè sum-

ptæ non possunt occupare minus spatij, quam antè.

Antecedens pr. Duo palmi occupantes tantùm spatium vnius sunt penetratiuè; atqui dari non potest penetratio: ergo duo palmi non occupant tantum spatium vnius.

Maior pr. Tunc datur penetratio quando duæ quantitates ponuntur in eodem spatio; atqui illi duo palmi sunt duæ quantitates, & alter palmus est idem spatium: ergo duo palmi occupantes spatium vnius sunt penetratiuè.

Solutio: *Tunc datur penetratio, quando duæ quantitates retinentes idem vbi, quod antè habebant, ponuntur in eodem spatio,* Concedo. *quando amittentes præcedens, & mutantes illud in nouum ponuntur in eodem spatio,* Nego. ergo *duo palmi occupantes tantum spatium vnius sunt penetratiuè si retineāt idem vbi, quod antea habebant,* Concedo. *si amittant illud, & mutent in nouum minus,* Nego. *Ratio est, quia vt sit penetratio necessarium est, vt eidem planè parti spatij respondeant duæ, aut plures partes quantitatis, quando autem duo palmi amittentes vbi præcedens ponuntur in spatio vnius, nulla est pars istius spatij cui correspondeant duæ partes quantitatis.*

Contrà. Duæ quantitates non possunt mutare vbi maius in minus: ergo nulla solutio.

Antecedens pr. Illud vbi minus est extensio, & dimensio illarum quantitatum; atqui duæ illæ quantitates non possunt mutare suam extensionem, & dimensionem; ergo neque vbi maius in minus.

Minor pr. Extensio, & dimensio identificantur cum quantitate: ergo quantitates mutare non

possint suam extensionem, & dimensionem.

Solutio: *Dimensio aptitudinalis, & in actu primo identificatur cum quantitate*, Concedo. *actualis & in actu secundo*, Nego. ergo *quantitates mutare non possunt suam dimensionem aptitudinalem, & in actu primo*, Concedo, *actualem, & in actu secundo*, Nego.

Contrà. Dimensio actualis est saltem proprietas quantitatis; atqui quantitas non potest mutare suam proprietatem: ergo neque suam dimensionem actualem.

Solutio: *Dimensio actualis est proprietas quantitatis hæc, vel illa maior, aut minor*, Concedo. *hæc certa, & determinata*, Nego. ergo *quantitas non potest mutare suam dimensionem actualem omnem*, Concedo. *hanc in illam*, Nego.

Contrà. Quantitas non potest mutare maiorem dimensionem in minorem: ergo non potest mutare hanc in illam.

Antecedens pr. Vt minor dimensio actualis mutetur in maiorem dimensionem debet quantitas augeri, & habere plures partes; atqui non augetur, neque habet plures partes: ergo minor extensio non potest mutari in maiorem.

Maior pr. Subiectum habere debet tot partes, quot forma extensa illi inhærens: ergo vt minor actualis mutetur in maiorem, debet quantitas augeri, & habere plures partes.

Solutio: *Negandum est antecedens, quia potest esse forma extensa in subiecto carente partibus, vt in Angelo, qui nullas habet partes ubi, per quod fit præsens toti isti scholæ.*

Contrà. Forma extensa subiectari non potest in

subiecto extenso, quin subiectum habeat partes correspondentes illius extensioni; atqui quantitas est subiectum extensum: ergo cùm extensio quantitatis habet plures partes, quantitas debet etiam habere plures partes.

Solutio: *Forma extensa subiectari non potest in subiecto extenso, quin subiectum habeat partes correspondentes illius extensioni entitatiuè sumptas*, Concedo. *sumptas in ordine ad spatium*, Nego. *& concessa minori: ergo cùm extensio habet plures partes entitatiuè, subiectum habet etiam plures partes entitatiuè*, Concedo. *Cùm extensio habet plures partes in ordine ad spatium, subiectum habet plures partes entitatiuè*, Nego.

Contrà. Subiectum habet plures partes entitatiuè, cùm correspondet pluribus partibus rei alterius, quàm antè; atqui cùm extensio eius habet plures partes in ordine ad spatium, partes subiecti correspondent pluribus partibus alterius rei: ergo cùm extensio habet plures partes in ordine ad spatium, subiectum eius habet plures partes entitatiuè.

Solutio: *Cùm subiectum correspondet pluribus partibus alterius rei quàm ante, habet plures partes entitatiuè si non habeat illas aliter dispositas*, Concedo. *si sint diuerso modo disposita*, Nego. atqui *cùm extensio habet plures partes in ordine ad spatium partes subiecti correspondent pluribus partibus alterius rei, & non sunt aliter disposita* Nego. *& sunt aliter disposita*, Concedo.

Contrà. Diuersa illa dispositio nihil facit, vt possint correspondere pluribus partibus alterius rei: ergo partes aliter dispositæ non correspondent pluribus partibus alterius rei.

Antecedens pr. Diſpoſitio illa diuerſa conferens aliquid ad hoc facit etiam rem non raram habere æquale vbi cum rara; atqui res non rara non poteſt habere æquale vbi cum rara: ergo diuerſa illa diſpoſitio nihil facit, vt partes ſubiecti poſſint correſpondere pluribus partibus alterius rei.

Minor pr. Quod eſt terminus rarefactionis non debet eſſe æquale cum eo, quod non eſt eius terminus; atqui vbi rei raræ eſt terminus rarefactionis, & vbi rei non raræ non eſt eius terminus: ergo vbi rei raræ non poteſt eſſe æquale cum vbi rei non raræ.

Maior pr. Quod eſt maius non poteſt eſſe æquale ei, quod eſt minus; atqui terminus rarefactionis eſt quid maius, & terminus eius quod non eſt rarefactio, quid minus: ergo terminus rarefactionis non poteſt eſſe æqualis cum eo, quod non eſt eius terminus.

Solutio: *Quod eſt maius non poteſt eſſe æquale ei, quod eſt minus, ſi maioritas illa, & minoritas ſint reſpectu eiuſdem,* Concedo. *ſi ſint reſpectu diuerſorum,* Nego. atqui *terminus rarefactionis eſt quid maius, & terminus eius quod non eſt rarefactio quid minus, & maioritas illa, & minoritas ſunt reſpectu eiuſdem,* Nego. *reſpectu diuerſorum,* Concedo. *Maioritas in termino rarefactionis dicitur reſpectu vbi minoris eiuſdem rei cùm non erat rarefacta, & minoritas vbi, quod eſt terminus rarefactionis, deſumitur per comparationem ad aliud vbi rei alterius maioris.*

DISPVTATIO IV.

De Actione & Reactione.

SECTIO I.

An idem possit agere in seipsum, & qualis requiratur propinquitas inter agens, & passum.

PRIMA CONCLVSIO:

Non est necessarium, vt agens distinguatur realiter à passo.

AGENS potest esse idem cum passo: ergo non est necessarium, vt ab eo distinguatur.

Antecedens pr. Agens est id, quod producit aliquem effectum, & passum est id, quod illum recipit; atqui id, quod effectum producit, est sæpe idem cum eo, quod illum recipit: ergo agens potest esse idem cum passo.

Minor probatur. Id, quod efficit intellectiones, & volitiones, illas recipit: ergo id quod effectum producit est sæpè idem cum eo, quod illum recipit,

Minor probatur. Anima rationalis vna, & ea-

dem producit intellectiones, & easdem recipit: ergo id, quod illas producit eas recipit.

SECVNDA CONCLVSIO:

Necessaria est propinquitas aliqua inter agens, & passum.

ILLVD necessarium est vt agens agat in passum, sine quo in illud agere non potest; atqui sine aliqua propinquitate agens agere non potest in passum: ergo necessaria est propinquitas aliqua inter agens, & passum.

Minor pr. Quod agere non potest in passum ex quacumque distantia, agere non potest illud sine aliqua propinquitate; atqui agens agere non potest in passum ex quacumque distantia: ergo agens agere non potest in passum sine aliqua propinquitate.

Minor pr. Ignis, sonus, lux, & similes causæ agere non possunt in passum ex quacumque distantia: ergo nec vllum aliud agens.

Ant. probatur. Ignis calefacere non potest quæ sunt ab ipso valde remota, lux videri non potest ex omni loco, neque sonus audiri teste experientia: ergo ignis, sonus, lux, & similes causæ agere non possunt in passum ex quacumque distantia.

* *
* * *

Tertia Conclusio:

Agens creatum agit vniformiter difformiter.

Illvd agit vniformiter difformiter, quod fortiùs agit in partes propinquas, & remissiùs in remotiores; atqui agens creatum agit fortiùs, & intensiùs in partes propinquas passi, & remissiùs in remotiores: ergo agit vniformiter difformiter.

Minor pr. Ignis, lux, & similes causæ creatæ fortiùs, & intensiùs agunt in partes passi propinquas, & remissiùs in remotiores: ergo & alia agentia creata.

Antecedens pr. Quod producit maiorem calorem in partibus passi propinquioribus, & remissiorem in remotioribus fortiùs, & intensius agit in partes passi propinquas, & remissiùs in remotiores; atqui ignis producit maiorem calorem in partibus passi propinquioribus, & remissiorem in remotioribus: ergo ignis fortiùs, & intensiùs agit in partes passi propinquas, & remissius in remotiores.

Minor pr. Lignum, aër, manus, &c. sunt passum, in quod agit ignis; atqui in partibus ligni, aëris, & manus propinquioribus sibi ignis producit maiorem calorem, & minorem in remotioribus: ergo & in partibus passi.

Minor pr. In illis partibus ignis producit maiorem calorem, in quibus maior sentitur; atqui maior calor sentitur in partibus propinquioribus

igni, quàm in remotioribus: ergo ignis producit maiorem calorem in partibus propinquioribus sibi, quàm in remotioribus.

Obiicitur. Quod agit vniformiter difformiter, agit vsque ad non gradum sui effectus; atqui agens creatum agere non potest vsque ad non gradum sui effectus: ergo agens creatum agere non potest vniformiter difformiter.

Solutio: *Quod agit vniformiter difformiter agit vsque ad non gradum, hoc est vsque ad minimum sui effectus,* Nego. *hoc est donec finiatur eius actio,* Concedo. atqui *non pot est agere vsque ad non gradum, hoc est vsque ad minimum sui effectus,* Concedo. *vsque ad non gradum, hoc est donec finiatur eius actio,* Nego.

Contrà. Illud, per quod finitur actio agentis, est minimum effectus ipsius: ergo nulla solutio.

Antecedens pr. Illud, per quod finitur actio agentis non est actiuum; atqui illud, quod non est actiuum est minimum ipsius effectus: ergo illud, per quod finitur actio agentis est minimum effectus ipsius.

Solutio: *Illud, per quod finitur actio agentis non est actiuum in actu primo, seu coniunctum alteri agenti intensiori,* Nego. *in actu secundo seu solitariè sumptum,* Concedo. atqui *illud quod non est actiuum in actu primo, est minimum ipsius effectus,* Concedo. *quod non est actiuum in actu secundo,* Nego. *Non tantum enim aliquid exiguum potest non esse actiuum in actu secundo, sed etiam sæpe valdè magnum, cùm nimirum id, in quod debet agere habet plus resistentiæ, quàm ipsum actiuitatis, vt sæpius contingere posse per se patet.*

QVARTA CONCLVSIO:

Agens non producit in passo tantam intensionem, quantam in se habet.

LVMINOSVM, calidum, & similia agentia creata non producunt in tanta intensione lucem, & calorem in quanta illa habent: ergo agens non producit in passo tantam intensionem, quantam in se habet.

Minor pr. Lux, & calor producta in passo à luminoso, & igne in tanta intensione, in quanta illa habent, faciunt illud æquè lucidum, & calidum; atqui passum vicinum igni, & luminoso non est æquè lucidum, neque calidum ac ipsa: ergo ignis, & luminosum non producunt in passo vicino lucem, & calorem in tanta intensione, in quanta illa habent.

Minor pr. Passum vicinum igni, & luminoso æquè luminosum, & æquè calidum, ac ipsa, communicat passo sibi vicino, & immediato calorem, & lucem æqualem suæ, & istud ea affectum alteri pariter sibi vicino non minorem, & sic consequenter; atqui passum vicinum igni, & luminoso non communicat calorem, & lucem ęqualem suę: ergo passum vicinum igni, & luminoso non est æquè lucidum neque calidum, ac ipsa.

Minor pr. Passum illud producere in isto, & istud in alio, & sic de aliis lucem æqualem ei, quam habet agens, est tantam lucem esse in partibus remotioribus à luminoso, ac est in propinquioribus; atqui non est tanta lux in remotioribus,

ac est in propinquioribus: ergo passum vicinum igni, & luminoso non communicat calorem, & lucem æqualem suæ.

Minor pr. Partes remotiores sunt v. g. partes aëris in quo sumus, & propinquiores sunt illæ, quæ sunt prope solem; atqui in istis non est tanta lux quanta est in illis: ergo neque in remotioribus, ac in propinquioribus.

Maior argumenti præcedentis probatur.

Vt sit tanta lux in partibus remotioribus, ac in propinquioribus non aliud requiritur, quàm vt detur agens contiguum æquè lucidum istis partibus remotioribus, ac est illud, quod est contiguum partibus propinquioribus; atqui passum producere in passo sibi vicino lucem æqualem ei, quam habet agens, & illud in alio, & sic consequenter est dari agens contiguum æquè lucidum istis partibus remotioribus: ergo est etiam esse tantam lucem in partibus remotioribus à luminoso, ac in propinquioribus.

Minor pr. Nullum est passum intermedium, quod non habeat æqualem lucem, ei quam habet primũ agens: ergo passum producere in passo sibi vicino lucem æqualem ei, quam habet agens, & illud in alio, & sic consequenter est dari agens contiguũ æquè lucidum istis partibus remotioribus.

Obiicitur. Vt agens producat effectum in tanta intensione, in quanta illum habet, requiritur tantum, vt illum producat similem ei, quem habet; atqui potest producere in passo contiguo effectum similem ei, quem habet: ergo potest illum producere in tanta intensione, in quanta illum habet.

Solutio:

Solutio: *Vt agens producat effectum in tanta intensione, in quanta illum habet, requiritur tantùm vt illum producat similem in natura tantùm*, Nego *similem in natura, & in intensione*, Concedo. atqui *potest producere in passo contiguo effectum ei, quem habet similem in natura tantùm*, Concedo. *similem in natura, & intensione*, Nego.

Contrà. Agens potest producere effectum perfectè similem in passo contiguo: ergo & similem non tantùm in natura, sed etiam in intensione.

Antecedens pr. Agens non minùs potest producere effectum accidentalem similem in natura, & intensione ei quem habet, quàm formam substantialem; atqui producere potest formam substantialem perfectè similem ei, quam habet: ergo & effectum accidentalem.

Maior pr. Quod potest producere formam substantialem, potest etiam producere dispositiones ipsi connaturales; atqui illæ dispositiones sunt similes in natura, & intensione illis, quas habet agens: ergo agens non minùs potest producere effectum accidentalem perfectè similem ei, quem habet, quàm formam substantialem.

Maior pr. Agens potest producere dispositiones in eo statu, propter quem intendit illarum productionem; atqui intendit illarum productionem in statu, in quo sunt connaturales formæ substantiali: ergo quod potest producere formam substantialem, potest etiam producere dispositiones ipsi connaturales.

Solutio: *Agens potest producere dispositiones mediatè, vel immediatè in statu, in quo sunt con-*

naturales, Concedo. *immediatè semper*, Nego. & *concessa minori*: ergo quod *potest producere formam substantialem, potest etiam producere dispositiones ipsi connaturales mediatè, vel immediatè*, Concedo. *immediatè semper*, Nego.

Contrà. Illud intermedium earum productiuum, non potest esse nisi forma substantialis producta; atqui non est forma substantialis producta; ergo non producit illas dispositiones mediatè.

Minor pr. Dispositiones illas produci à forma substantiali producta de nouo, est illam introduci in subiectum in statu non connaturali; atqui non introducitur in statu non connaturali: ergo dispositiones illæ in statu connaturali non producuntur à forma.

Solutio: *Dispositiones illas produci à forma, est illam introduci in subiectum in statu non connaturali omninò*, Concedo. *dissentaneo, aut disconuenienti*, Nego. atqui *non introducitur in statu omnino non connaturali*, Nego. *dissentaneo aut disconuenienti*, Concedo. *Ratio est, quia forma introduci debet cùm vetus desinit, vetus autem desinit antequam dispositiones ad formam nouam sint omnino introductæ. Perit siquidem, cùm non sunt sufficientes dispositiones ad sui conseruationem: fiunt autem insufficientes, cùm dispositiones ad formam nouam illas valdè excedunt, licèt adhuc illas omnino non destruxerint.*

QVINTA CONCLVSIO:

Non datur actio in distans naturaliter.

AGENTIA naturalia non agunt in distans: ergo naturaliter non datur actio in distans.

Antecedens pr. Quod agit in distans, producit aliquid in passo remoto nihil producendo in medio, & medio ei non cooperante; atqui agens naturale non potest quidquam producere in passo remoto, cùm nihil producit in medio, & illud ei non cooperatur: ergo agentia naturalia non agunt in distans.

Minor pr. Lumen, calor, &c. sunt agentia naturalia, & illorum effectus illius quidem lumen, & istius calor, &c. atqui lumen producere non potest aliud lumen, neque calor alium calorem in passo remoto, cùm illum non producit in medio, & istud eis non cooperatur: ergo agens naturale producere non potest quidquam in passo remoto, cùm nihil producit in medio, & istud ei non cooperatur.

Minor pr. Passum remotum respectu luminis, extra scholam positi, est aer v. g. & medium fenestra lignea, aut ferrea interiacens inter vtrumque; atqui lumen producere non potest in aere istius scholæ lumen, cùm illud non producit in fenestra lignea, aut ferrea: ergo lumen non potest producere aliud lumen in passo remoto, cùm illud non producit in medio, & istud ei non cooperatur.

Obiicies. Sol, & ignis producunt suos effectus,

in passo remoto, nihil producendo in medio, & licèt medium eis non cooperetur: ergo agentia creata agunt in distans.

Antecedens pr. Cùm ignis inflammat stupam aliquantulum distantem, producit effectum in passo remoto, nihil producendo in medio, & medium ei non cooperatur; atqui ignis inflammat sæpè stupam aliquantulum distantem: ergo ignis producit effectum in passo remoto nihil producendo in medio, & licèt medium ei non cooperetur.

Maior pr. Non est magis necessarium, cùm ignis inflammat stupam aliquantulum distantem, vt producat aliquid in medio, aut medium ipsi cooperetur, quàm cùm magnes trahit ferrum vno, aut altero passu distans; atqui magnes tunc non producit aliquid in medio, licèt medium ei non cooperetur: ergo cùm ignis inflammat stupam aliquantulum distantem, producit effectum in passo remoto nihil producendo in medio, & medium ei non cooperatur.

Minor pr. Medium est aer; atqui nihil producit in aere, & aer ei non cooperatur: ergo nihil producit in medio, & medium ei non cooperatur.

Minor pr. Illud productum in aere non potest esse aliud, quàm qualitas similis illi, quæ trahit ferrum; atqui nulla huiusmodi qualitas producitur in aere intermedio: ergo nihil producit in aere.

Minor pr. Qualitas illa producta in aere ipsum traheret; atqui non trahit: ergo nulla huiusmodi qualitas producitur in aere.

Maior pr. Causa necessaria necessario producit effectum; atqui ista qualitas est causa necessaria, & eius effectus tractio: ergo necessario producit tractionem in aere.

Solutio: *Causa necessaria necessariò producit effectum, positis requisitis ad illum ponendum*, Concedo. *deficiente aliquo ex iis*, Nego. Atqui *ista qualitas est causa necessaria*, *& eius effectus tractio*, *& habet omnia necessaria ad illam producendam*, Nego. *& non habet*, Concedo. *Requisitum quod deest, est peculiaris dispositio aëris, qua redditur incapax tractionis illius, ad quam ferrum est maximè idoneum.*

Sexta Conclusio:

Agens creatum agere potest in distans, si medium illi cooperetur, aut compatiatur.

Pars luminosi extensi est agens creatum; atqui pars luminosi extensi agit in passum distans medio ei cooperante: ergo agens creatum agit in passum distans cùm medium ei cooperatur.

Minor pr. Luminosum extensum est v. g. fax, cuius partes sunt A B C, & passum distans à parte A, aer contiguus parti C, medium autem inter aerem, & partem A sunt partes B, & C; atqui pars A agit in aerem contiguum parti C, & partes B, & C ei cooperantur: ergo pars A agit in passum distans medio ei cooperante.

Prima pars minoris probatur.

Illud agit in aerem contiguum parti C, quod producit in illo aliquid luminis; atqui pars A producit in illo aliquid luminis: ergo pars A, agit in aerem contiguum parti C.

Minor pr. Illud producit aliquid luminis in aere contiguo parti C, quod non est mera conditio, & eo posito est maius lumen in illo, eoque sublato, aut impedito ne agat non est tantùm luminis; atqui posita parte A est maius lumen in aere contiguo parti C, & ea sublata, aut impedita ne agat non est tantum luminis, ipsaque non est mera conditio: ergo pars A producit in illo aliquid luminis.

Minor pr Illud non est mera conditio augmenti illius luminis, quod non est mera applicatio agentis, aut sublatio impedimenti; atqui pars A non est applicatio agentis, nec sublatio impedimenti: ergo pars A non est mera conditio augmenti illius luminis.

Minor pr Applicatio agentis est indistantia agentis à passo, & sublatio impedimenti desitio formæ contrariæ; atqui pars A non est indistantia agentis à passo, nec desitio formæ contrariæ: ergo pars A non est applicatio agentis, nec sublatio impedimenti.

Minor pr. Indistantia agentis à passo est vbi vnius immediatum vbi alterius, & desitio formæ contrariæ est quid negatiuum; atqui pars A non est vbi vnius immediatum vbi alterius, nec quid negatiuum: ergo non est indistantia agentis à passo, nec desitio formæ contrariæ.

Secunda pars minoris secundi argumenti superioris, medium seu partes B, & C, cooperari parti A, probatur.

Illud cooperatur parti A, quod producit simul cum illa lumen in aere contiguo parti C; atqui partes B, & C producunt in illo lumen: ergo partes B, & C cooperantur parti A.

Minor pr. Partes B, & C sunt æquè productiuæ luminis, ac pars A, & sunt magis applicatæ aeri contiguo parti C: ergo producunt in illo lumen.

SEPTIMA CONCLVSIO:

Agens creatum agit in distans medio tantùm compatiente.

IGNIS agit in passum distans medio tantùm compatiente: ergo & agens creatum.

Ad probationem antecedentis, Suppono eodem tempore excitari duos ignes A, & B à se distantes, & directè ac per rectam lineam oppositos, *& sic argumentor*:

Passum distans ab igne A sunt partes contiguæ igni B, & passum distans ab igne B sunt partes contiguæ parti A; atqui ignis A agit in partes contiguas igni B, & ignis B in partes contiguas igni A, medio tantùm compatiente: ergo ignis agit in passum distans medio tantùm compatiente.

Prima pars minoris probatur.

Quod producit in partibus contiguis igni B, lumen reliquis intermediis tantùm compatientibus, agit in partes contiguas igni B medio tantùm compatiente; atqui ignis A producit lumen in partibus contiguis igni B reliquis intermediis,

& sibi vicinioribus tantùm compatientibus: ergo ignis A agit in partes contiguas igni B medio tantùm compatiente.

Minor pr. Illud tantùm compatitur, quod non cooperatur; atqui partes intermediæ, & viciniores non cooperantur igni A, producenti lumen in partibus contiguis igni B: ergo partes intermediæ tantùm compatiuntur.

Minor probatur. Non magis partes intermediæ, & viciniores cooperantur igni A, producenti lumen in partibus contiguis igni B, quàm cooperentur partes intermediæ, & viciniores igni B, eidem producenti lumen in partibus contiguis igni A; atqui partes istæ intermediæ non cooperantur igni B, producenti lumen in partibus contiguis igni A: ergo partes intermediæ & viciniores non cooperantur igni A, producenti lumen in partibus contiguis igni B.

Minor pr. Quod cooperatur igni B, producenti lumen in partibus contiguis igni A, producit illud lumen; atqui partes intermediæ, & viciniores igni B, non producunt illud lumen: ergo non cooperantur igni B, producenti lumen in partibus contiguis igni A.

Minor pr. Partes viciniores igni A, non producunt lumen in partibus contiguis igni B: ergo neque partes viciniores igni B, in partibus contiguis igni A.

Antecedens pr. Partes viciniores igni A, non producunt partes luminis, à quibus sunt productæ; atqui ex suppositione sunt productæ à partibus vicinioribus igni B: ergo partes viciniores igni A, non producunt lumen in partibus contiguis igni B.

Obiicitur. Nullum est agens creatum, quod dici possit potiori ratione agere in distans cùm medium illi cooperatur, aut compatitur, quàm ignis, aut sol; atqui neque ignis, neque sol agere possunt in distans, licèt illis medium cooperetur, aut compatiatur: ergo agens creatum agere non potest in distans medio ei cooperante, aut tantùm compatiente.

Minor pr. Ignis, & sol vt agant in passum debent esse illi immediata; atqui quod agit in distans licèt illi medium cooperetur, aut compatiatur non est immediatum passo: ergo ignis, & sol agere non possunt in distans licèt illis medium cooperetur, aut compatiatur.

Minor pr. Illud debet esse immediatum passo, quod debet esse vbi est passum; atqui ignis, & sol cùm agunt in passum debent esse vbi ipsum est: ergo ignis, & sol cùm agunt in passum debent esse illi immediata.

Minor pr. Causa debet esse vbi est passum: ergo ignis, & sol cùm agunt in passum debent esse vbi ipsum est.

Antecedens pr. Causa debet esse in eodem loco, in quo est passum: ergo & vbi est istud.

Antecedens pr. Causa non minùs debet esse in eodem loco, in quo est passum, quàm in eodem tempore; atqui debet esse in eodem tempore cum passo: ergo & in eodem loco.

Solutio: *Neganda est maior. Ratio disparitatis est; quia vt causa det esse effectui debet illud habere; non potest autem illud habere nisi sit in eodem tempore cum passo, & effectu, potest verò illud habere, etiam si non sit in eodem loco cum passo, vt par*

tet, & consequenter in illud agere potest.

Contrà. Ex Diuo Paulo Actorum 7. requiritur necessario, vt causa sit in eodem loco, in quo est passum: ergo non minùs causa debet esse in eodem loco cum passo, quàm in eodem tempore.

Antecedens pr. Illa necessario sunt in eodem loco, quæ ita se habent, vt ex vnius existentia inferatur esse illi præsens alterum; atqui ex existentia effectus infertur præsens esse illi causa ex Apostolo: ergo ex D. Paulo necessarium est, vt causa sit in eodem loco, in quo est passum.

Minor pr. Creaturæ sunt effectus Dei; atqui ex existentia creaturarum Deus infertur esse illis præsens: ergo ex existentia effectus infertur illi præsens esse causa.

Solutio: Atqui ex *existentia creaturarum infertur Deus esse illis præsens præsentia physica*, Nego. *præsentia intentionali*, Concedo, ergo *ex existentia effectus, infertur causa esse illi præsens præsentia physica, vel intentionali*, Concedo. *physica tantùm*, Nego.

Contrà. Deus infertur ab Apostolo esse præsens creaturis præsentia illa; quæ explicatur per ista verba, non longè abest ab vnoquoque nostrûm; atqui per illa explicatur præsentia physica: ergo Deus infertur illis esse præsens præsētia physica.

Solutio: *Neganda est maior. Ratio est, quia non alia præsentia dici debet necessario explicari, quàm ea, quam intendebat Apostolus, intendebat autem tantùm præsentiam intentionalem. Volebat enim illis suadere Deum facilè cognosci posse ex creaturis. Addi potest, licèt causa prima propter summam suam perfectionem, inferri possit esse præ-*

sens suis effectibus præsentia physica, non idem dici debere de causis secundis, quæ sunt longè imperfectiores.

Sectio II.

An vnum simile agere possit in aliud simile.

Vnica Conclvsio:

Simile non potest agere in aliud simile.

Calidvm vt duo est simile alteri calido vt duo; atqui calidum vt duo agere non potest in aliud calidum vt duo: ergo neque simile in aliud simile.

Minor pr. Calidum vt duo agens in aliud calidum vt duo producit in illo tertium gradum caloris; atqui producere non potest in illo tertium gradum caloris: ergo neque in illud agere.

Minor pr. Calidum vt duo producens in alio tertium gradum caloris facit illud sibi dissimile; atqui facere non potest illud sibi dissimile: ergo neque producere in illo tertium gradum caloris.

Minor pr. Agens non potest agere contra finem, quem intendit; atqui calidum vt duo faciens sibi dissimile aliud calidum vt duo agit contra finem, quem intendit: ergo non potest facere illud sibi dissimile.

Minor pr. Finis, quem intendit calidum, vt duo cùm agit est facere sibi simile illud, in quod agit: ergo faciens illud sibi dissimile agit contra finem, quem intendit.

Antecedens pr. Calidum vt duo non aliud intendit finem, quàm alia agentia; atqui alia agentia intendunt tantùm facere sibi simile illud, in quod agunt: ergo & calidum vt duo.

Minor probatur. Finis, quem intendunt alia agentia per actionem est propria conseruatio; atqui assimilatio passi est propria ipsorum conseruatio: ergo intendunt sibi facere illud simile, in quod agunt.

Maior probatur. Illud est propria conseruatio agentis, per quod illam obtinet; atqui per assimilationem passi illam obtinet: ergo assimilatio passi est ipsorum conseruatio.

Minor pr. Agens per illud obtinet propriam conseruationem, per quod remouetur à contrariis; atqui per assimilationem passi remouetur à contrariis: ergo per illam obtinet propriam conseruationem.

Minor pr. Per illud remouetur à contrariis, per quod eorum loco ponit amica; atqui per assimilationem passi ponit amica: ergo per assimilationem passi remouetur à contrariis.

Minor pr. Similia sunt amica; atqui per assimilationem passi ponit similia: ergo & amica.

Obiicitur. Tam potest agere simile in aliud simile, quàm idem in seipsum actione vniuoca; atqui idem agit in seipsum actione vniuoca: ergo & simile in aliud simile.

Minor pr. Cùm calidum v.g. vt quatuor producit in suo subiecto calorem vt quinque, agit in seipsum actione vniuoca; atqui calidum vt quatuor producit in suo subiecto calorem vt quinque: ergo idem agit in seipsum actione vniuoca.

Minor pr. Quod auget calorem calidi, vt quatuor producit in illo calorem vt quinque; atqui calidum vt quatuor auget calorem sui subiecti: ergo producit in illo calorem vt quinque.

Minor pr. Illud auget calorem calidi vt quatuor, quod facit vt maiorem in illo experiamur calorem; atqui calidum vt quatuor facit, vt maiorem experiamur calorem in ipsius subiecto: ergo auget illius calorem.

Ad probandum minorem, Supponunt aliquem immittere manum in aquam putealem hieme calidam vt quatuor, & post aliquod tempus, vt docet experientia, sentire in ea maiorem calorem, *& sic argumentantur.*

Manus illa immissa in illam aquam experitur in ea maiorem calorem, quàm antea esset; atqui non est aliud quod faciat, vt experiatur maiorem illum calorem quàm calidum vt quatuor: ergo calidum vt quatuor facit, vt experiamur maiorem calorem in ipsius subiecto.

Minor pr. Nihil est aliud, quod dici possit facere, vt experiamur illum maiorem calorem, quàm forma aquæ, aut calidum vt quatuor; atqui forma aquæ non facit, vt experiamur illum maiorem calorem: ergo non est aliud quod faciat, vt experiamur maiorem illum calorem quàm calidum vt quatuor.

Maior pr. Illud aliud non potest esse nisi aduentus exhalationum calidarum se insinuantium per eosdem meatus per quos aquæ puteales; atqui non est aduentus illarum exhalationum: ergo nihil est aliud quod possit dici facere, vt experiamur illum maiorem calorem.

Minor pr. Illæ exhalationes aduenientes non sunt magis calidæ, quàm sit calidum vt quatuor; quod supponimus inibi esse; atqui calidum vt quatuor; quod inibi est ex concessis non potest facere; vt experiamur maiorem illum calorem: ergo neque illæ exhalationes.

Solutio: *Illæ exhalationes non sunt magis calidæ secundùm intensionem, quàm calidum vt quatuor,* transeat. *secundùm extensionem,* Nego. Atqui *calidum, vt quatuor inibi existens non facit, vt experiamur maiorem calorem, & habet tantam extensionem,* Nego. *& non habet tantam extensionem,* Concedo.

Contrà. Calidum magis extensum, est maior multitudo agentium æquè calidorum; atqui maior multitudo agentium æquè calidorum non potest plus, quàm minor eorum multitudo: ergo exhalationes illæ calidæ magis secundùm extensionem non possunt facere, vt experiamur maiorem calorem.

Minor pr. Maiorem numerum agentium æquè calidorum plus posse, quàm minorem eorum numerum, est simile agere in simile; atqui ex concessis simile non potest agere in simile: ergo maior multitudo agentium æquè calidorum, non plus potest quàm minor.

Maior pr. Simile agere in simile est calidum v.g. vt quatuor agere supra suam intensionem; atqui maiorem numerum plus posse, quàm minorem, est calidum vt quatuor agere supra suam intensionem: ergo & in simile.

Minor pr. Minor numerus producit æqualem intensionem suæ, aut valdè accedentem; atqui

maior numerus agentium æquè calidorum plus potest,& facit:ergo maiorem numerum plus posse,quàm minorem,est calidum vt quatuor agere supra suam intensionem.

Solutio : Atqui *maior numerus plus potest infra suam intension m*, Concedo. *supra suam intensionem*, Nego. ergo *maiorem numerum plus posse, quàm minorem supra suam intensionem, est calidum vt quatuor agere supra suam intensionem*, Concedo. *plus posse tantùm infra suam intensionem*, N.go.

Contrà. Maior numerus ille agere potest supra suam intensionem:ergo nulla solutio.

Vt probent antecedens: Supponunt duo luminosa vt sex produxisse in aëre vicino lumen vt quinque,supponunt deinde aduenire tria,aut quatuor luminosa vt sex,&illa producere sextum gradum: postea admoueri etiam centum alia æquè luminosa, *& hoc posito sic argumentantur:*

Illa luminosa vltimò aduenientia faciunt maiorem numerum agentium æquè intensorum;atqui illa agunt supra suam intensionem:ergo maior numerus agentium æquè intensorum agere potest supra suam intensionem.

Minor pr. Illa luminosa vt sex agunt supra suam intensionem, quæ producunt septimum gradum luminis ; atqui ista producunt septimum gradum luminis : ergo agunt supra suam intensionem.

Minor pr. Producunt aliquem gradum luminis in aëre habente iam sex gradus;atqui gradus ille additus sex aliis est septimus:ergo producunt septimum gradum luminis.

Solutio: *Producunt aliquem gradum nouum luminis*, Nego. *praexistentes*, Concedo. atqui *ille gradus nouus est septimus*, Concedo. *praexistens*, Nego.

Contra. Luminosa illa penetratiuè posita producerent quinque, & sex gradus supra suam intensionem: ergo coniuncta, & applicata eidem aëri producunt septimum.

Antecedens pr. Lumina illorum luminosorum penetratiuè positorum, non minùs habent virium, quàm si facerent intensionem; atqui si facerent intensionem producere possent sex alios, & septem etiam gradus lucis: ergo & penetratiuè posita.

Maior pr. Nihil est, quod possit augere vires illorum luminum penetratiuè positorum, quàm vnio; atqui vnio non auget vires illorum luminum: ergo non minùs habent virium, quàm si facerent intensionem.

Solutio: *Nihil est, quod possit augere vires illorum luminum penetratiuè positorum, quàm vnio tanquam principium productiuum, aut conditio*, Concedo. *tanquam principium productiuum tantùm*, Nego. atqui *vnio non auget vires illorum tanquam principium productiuum*, Concedo. *tanquam conditio*, Nego. *facit enim, vt componant vnum agens intensius, & quod producendo septimum gradum non agat contra finem, quem intendit inducendo scilicet dissimilitudinem, sed illam quantum potest promouendo.*

Contra. Tam possunt ad minus multa illa lumina vt sex penetratiuè posita sine vnione producere septimum gradum, ac intensum vnum aliquod vt tria producere in intenso vt quatuor

quintum gradum; atqui intensum vnum vt tria producit in intenso vt quatuor quintum gradum: ergo vnio etiam, vt conditio non auget illorum vires ad producendum septimum gradum.

Ad probationem minoris, Supponunt solem illuminare vt quinque speculum aëre intermedio lucido tantùm vt tria, *& sic argumentantur*:

In suppositione facta aër producit quintum illum gradum lucis in speculo: ergo intensum vt tria producit quintum gradum in intenso vt quatuor.

Solutio: *In suppositione facta aër solus producit quintum illum gradum lucis in speculo*, Nego. Aër *iunctus cum sole*, Concedo. ergo *intensum vt tria solùm producit quintum gradum in intenso vt quatuor*, Nego. *iunctum alteri agenti intensiori*, Concedo.

Contrà. Sol non agit cum aëre lucem speculi: ergo solus aër producit illam.

Antecedens pr. Sol agit vniformiter difformiter; atqui actio illa solis productiua luminis speculi non est vniformiter difformis: ergo sol non producit lumen speculi.

Solutio: *Sol agit vniformiter difformiter, per medium æqualiter dispositum*, Concedo. *inæqualiter dispositum*, Nego. atqui *actio solis productiua luminis speculi, non est vniformit r d fformis, & medium est æqualiter disp situm*, Nego. *& est inæqualiter dispositum*, Concedo.

Contrà. Medium illud est aër, & speculum; atqui aër tam est dispositus ad recipiendam lucem, ac speculum: ergo sol non agit vniformiter difformiter per medium æqualiter dispositum.

Minor pr. Diſpoſitio illa medij conſiſtit in eo, quòd ſit capax tantæ lucis; atqui aër eſt capax tantæ lucis, ac ſpeculum: ergo aër tam eſt diſpoſitus ad recipiendum lucem, ac ſpeculum.

Solutio: atqui *aër eſt capax tantæ lucis, productæ ab agente principali in ea diſtantia in qua ſupponitur eſſe, ac ſpeculum,* Nego. *tantæ lucis productæ ab alio agente coadiuuante,* Concedo. ergo *aër eſt tam diſpoſitus ac ſpeculum ad recipiendam tantam lucem ab agente principali in ea diſtantia, in qua ſupponitur eſſe,* Nego. *ab ipſo, & alio agente coadiuuante,* Concedo.

Contrà. Aër eſt capax eius lucis quam recipit de facto; atqui tantam lucem recipit de facto ab agente principali poſito ſpeculo, aut alio corpore polito: ergo eſt capax tantæ lucis productæ ab agente principali, etiam in ea diſtantia in qua ſupponitur eſſe.

Solutio: atqui *recipit de facto tantam lucem à ſolo agente principali,* Nego. *ab ipſo, & lumine ſpeculi, aut illius corporis politi, quod ponitur, coadiuuante,* Concedo.

Contrà. Agens coadiuuans productionem lucis eſt vera illius cauſa; atqui lumen ſpeculi non eſt cauſa illius lucis in aëre: ergo aër non recipit illam maiorem lucem à lumine ſpeculi coadiuuãte.

Minor pr. Lumen ſpeculi non eſt cauſa illius lucis à qua producitur; atqui lux aëris producit lucem ſpeculi: ergo lumen ſpeculi non eſt cauſa lucis productæ in aëre.

Solutio: atqui *lux aëris, quæ producitur à lumine ſpeculi, producit lumen ſpeculi,* Nego. *lux aëris, quæ non producitur à lumine ſpeculi, ſed*

ab agente principali, Concedo. ergo *lumen speculi non est causa lucis productæ in aër. à solo agente principali*, Concedo. *productæ ab ipso, & ab agente principali*, Nego.

Contrà. Distinctio supponit duas esse actiones diuersas productiuas graduum lucis, qui sunt in aëre; atqui non debent poni illæ actiones diuersæ: ergo non dantur gradus in aëre, qui producantur à solo agente principali, & alij à lumine speculi.

Minor probatur. Actiones non debent poni diuersæ, vbi est terminus eiusdem rationis; atqui terminus istarum actionum est eiusdem rationis: ergo illæ non debent poni diuersæ.

Solutio: *Actiones non debent dici diuersæ vbi est terminus eiusdem rationis, si agens & subiectum sint etiam eiusdem rationis*, Concedo. *si non sint eiusdem rationis*, Nego. atqui *terminus istarum actionum est eiusdem rationis, & agentia, & subiecta illarum sunt etiam eiusdem rationis*, Nego. *& non sunt*, Concedo.

Contrà. Probant agens esse eiusdem rationis de subiecto enim non est dubium.

Agens productiuum termini istarum actionum est lux aëris producta in ipso ab agente directo; atqui illa est eiusdem rationis: ergo & agens productiuum istarum actionum.

Maior pr. Termini istarum actionum sunt lux intensior speculi, & augmentum lucis adueniens aëri; atqui lux producta in aëre ab agente directo est productiua vtriusque huius lucis: ergo & termini istarum actionum.

Minor probatur. Lux producta in aere ab

agente directo agere potest supra suam intensionem: ergo est productiua vtriusque huius lucis.

Antecedens probatur. Non minus lux illa producta in aëre ab agente directo agere potest supra suam intensionem, quàm lux recepta in speculo concauo, & calor ignis inclusus in furnis chimicis; atqui illa duo agunt supra suam intensionem: ergo lux recepta in aëre ab agente directo agere potest supra suam intensionem.

Secunda pars minoris probatur primò.

Calor ignis extra furnum chimicum producit calorem æqualem suæ intensioni; atqui producit maiorem intra furnum chimicum: ergo producit calorem supra suam intensionem.

Solutio: *Neganda est maior, & ratio est, quia vt probatum est conclusione quarta sectionis præcedentis, agens non producit effectum in tanta intensione, in quanta illum habet.*

Prima pars minoris præcedentis argumenti, probatur secundò.

Lux recepta in speculo concauo producit in aëre medio maiorem lucem sua: ergo agit supra suam intensionem.

Solutio: *Lux recepta in speculo concauo producit sola in aëre medio maiorem lucem sua,* Nego. *adiuta ab agente principali intensiori,* Concedo. ergo *agit supra suam intensionem sola,* Nego. *adiuta ab agente principali,* Concedo.

Contrà. Agens principale non producit illam maiorem lucem: ergo lux recepta in speculo illam producit sola.

Antecedens pr. Agens principale non producebat illam antequam ibi poneretur speculum

concauum: ergo neque nunc illam producit.

Solutio: *Agens principale non producebat illam antequam ibi poneretur speculum concauum, quod non iuuaretur ab iis agentibus quibus iam,* Concedo. *adiutus ab iis agentibus, quibus iam iuuatur,* Nego. Agentia, *quibus iam iuuatur sunt lumina recepta in partibus speculi concaui, quæ cum omnes concurrant ad producendum lumen in illa parte medij, in qua vehementius apparet, producunt in illa maius, quàm in alijs, ad quas non se extendit omnium actio. Multiplicatio siquidem coagentium confert multum ad fortiorem actionem.*

SECTIO III.

An detur reactio, & repassio.

VNICA CONCLVSIO:

Datur actio, & reactio secundum eandem planè partem, & contrarietatem.

DARI actionem, & reactionem secundum eandem planè partem, & contrarietatem, est partem aliquam v.g. ignis producere calorem in aqua, & ab aqua recipere frigus; atqui pars ignis, quæ producit calorem in aqua, illa eadem potest recipere frigus ab aqua: ergo datur actio, & reactio secundum eandem partem, & contrarietatem.

Minor probatur. Vt pars ignis producat in aqua calorem, & recipiat ab ea frigus, non aliud

requiritur, quàm vt habeat vim producendi in ipsa calorem, & sit capax frigoris producti ab illa; atqui ignis habet vim productiuam caloris in aqua, & est capax frigoris producti ab aqua: ergo pars ignis, quæ producit calorem in aqua, illa eadem potest recipere frigus ab illa.

Prima pars minoris clara est, & secunda probatur.

Ferrum candens est capax frigoris producti ab aqua: ergo & ignis.

Antecedens pr. Aqua, in quam immergitur ferrum candens, producit frigus in illo: ergo ferrum candens est capax frigoris producti ab aqua.

Antecedens pr. Illud producit frigus in ferro candenti, quod minuit eius calorem; atqui aqua minuit calorem ferri candentis: ergo producit in illo frigus.

Minor pr. Illud minuit calorem ferri candentis, quod facit vt non sentiamus tantum in illo, quantum antea sentiebamus; atqui aqua in quam immergitur facit vt non tantum sentiamus in illo calorem, quantum antea sentiebamus: ergo minuit eius calorem.

Obiicitur. Vt detur actio, & reactio secundùm eandem partem, & contrarietatem debent duo agentia in se inuicem agere effectus contrarios; atqui duo agentia agere non possunt in se inuicem effectus contrarios: ergo non potest dari actio, & reactio secundùm eandem partem, & contrarietatem.

Minor pr. Agentia in se inuicem agentia effectus contrarios debent necessariò esse æqualis virtutis, vel inæqualis; atqui agentia, quæ sunt

æqualis virtutis, aut inæqualis, non possunt in se inuicem agere effectus contrarios : ergo neque duo vlla agentia.

Minor pr. Quæ in se agunt inuicem effectus contrarios debent esse fortiora & non esse fortiora vnum alio; atqui non possunt esse fortiora, & non esse fortiora vnum alio: ergo neque agere in se inuicem effectus contrarios.

Solutio : *Quæ in se inuicem agunt effectus contrarios debent esse fortiora , facta comparatione actiuitatis ipsorum cum resistentia passi*, Concedo. *& non esse fortiora facta comparatione actiuitatis cum actiuitate*, Nego. atqui *non possunt esse fortiora, & non esse fortiora facta comparatione tantùm actiuitatis cum actiuitate*, Concedo. *facta comparatione actiuitatis cum actiuitate, & simul etiam eiusdem cum resistentia, ita vt sint fortiora respectu istius, & non sint fortiora respectu illius*, Nego.

Contrà. Non possunt esse fortiora respectu resistentiæ alterius agentis, & non esse fortiora respectu actiuitatis illius: ergo nulla solutio.

Antecedens pr. Non debet in illis agentibus admitti dum agunt, quod impedit ne assequantur finem, propter quem agunt; atqui illa esse fortiora respectu resistentiæ, & non esse fortiora respectu actiuitatis, impedit ne assequantur finem, quem intendunt per actionem: ergo non possunt esse fortiora respectu resistentiæ alterius agentis, & non esse fortiora respectu actiuitatis illius.

Minor pr. Finis, quem intendunt per actionem est sibi assimilare illud, in quod agunt; at-

qui illa esse fortiora respectu resistentiæ, & non esse fortiora respectu actiuitatis impedit ne assimilare possint illud, in quod agunt: ergo & ne assequi possint finem quem intendunt per actionẽ.

Minor pr. Illud impedit ne assimilare possint sibi illud, in quod agunt, quod facit vt non modò non communicent ei tantum qualitatis, quantum habebant ante actionem, sed etiam efficit, vt ipsamet tantum non habeant; atqui illa esse fortiora respectu resistentiæ, & non esse fortiora respectu actiuitatis facit, vt non modò non communicent ei in quod agunt, tantum qualitatis, quantum habebant ante actionem, sed etiam vt ipsa minus habeant: ergo impedit ne assimilare sibi possint illud, in quod agunt.

Solutio: *Illud impedit ne assimilare sibi possint illud, in quod agunt, quod facit vt non modò non communicent ei tantum qualitatis, quantum habebant ante actionem, sed etiam efficit vt ipsa non habeant tantumdem durante pugna,* Nego. *ea finita,* Concedo. Atqui *illa esse fortiora respectu resistentiæ, & non esse fortiora respectu actiuitatis facit, vt non modò non communicent ei in quod agunt, tantum qualitatis, quantum habebant ante actionem, sed etiam vt ipsa minus habeant durante pugna,* Concedo. *ea finita,* Nego.

Contrà. Nihil debet durante pugna facere, vt non communicent tantum qualitatis, quantum habebant ante actionem, aut ipsa minus habeant: ergo nulla solutio.

Antecedens pr. Fieri non potest vt ipsa minus habeant qualitatis, quàm habebant ante actionem, quin moueatur duobus motibus contrariis;

riis: ergo non debent minus habere qualitatis durante pugna, quàm habebant ante illam.

Minor pr. Frigefieri v. g. & calefieri sunt motus contrarij; atqui non potest fieri vt agens calidum v. g. durante pugna minus habeat caloris, quàm ante actionem, quin frigefiat simul, & calefiat: ergo fieri non potest vt ipsa habeant minus qualitatis quàm habebant ante actionem, quin moueantur duobus motibus contrariis.

Vt probetur minor, Supponunt esse *ignem cuius partes sint A, B, C, agentes in aquam D, reagentem in partem vltimam C, & hoc posito sic argumentantur.*

Pars ista C, non potest habere minus calori durante pugna cum aqua D, quin calefiat simul & frigefiat: ergo fieri non potest vt calidum v. g. durante pugna minus habeat caloris quàm ante actionem, quin frigefiat simul, & calefiat.

Respondeo *frigefieri, sed non calefieri.*

Contrà. Illa pars C, calefit à partibus ignis A & B: ergo pars ignis C, calefit cùm simul frigefit.

Antecedens pr. Illa pars ignis calefit ab illis, quæ in ipsa producunt calorem; atqui partes A, & B, producunt in ipsa calorem: ergo calefit ab illis.

Minor pr. Vt partes ignis A, & B, producant in parte C, calorem, nihil aliud requiritur, quàm dissimilitudo; atqui cùm pars C, frigefit est vera dissimilitudo: ergo partes A, & B, producunt in ipsa calorem.

Solutio: *Vt partes A, & B, producant in parte C, calorem, nihil aliud requiritur quàm dissimilitudo, si non sit aliquod agens obsistens illarum actio-*

ni, Concedo. *fit fit*, Nego. Atqui *cum pars C, frigefit est vera dissimilitudo, & nullum est agens obsistens actioni partium A, & B, in partem C*, Nego. *& est agens obsistens illarum actioni*, Concedo.

Contrà. Illud agens obsistens actioni A, & B in partem C, non potest esse nisi aqua reagens in partem C; atqui aqua reagens non est agens obsistens illi actioni: ergo nullum est agens obsistens.

Minor probatur. Non magis aqua obsistit actioni duarum partium A, & B, in partem C, quàm actioni earumdem in seipsam; atqui non obsistit actioni partium illarum in seipsam: ergo neque earumdem actioni in partem C.

Minor probatur. Illud non obsistit actioni partium illarum in seipsam, quod ab illis calefit; atqui aqua calefit ab illis partibus: ergo non obsistit actioni illarum in seipsam.

Solutio: *Quod calefit ab illis partibus non obsistit actioni partium illarum in seipsam resistentia æquali illarum actiuitati*, Concedo. *minori, quàm sit actiuitas illarum*, Nego. *& concessa minori*: ergo *aqua non obsistit actioni partium illarum in seipsam resistentia æquali ipsarum actiuitati*, Concedo. *resistentia minori*, Nego.

Contrà. Aqua non obsistit vlla resistentia actioni partium illarum in seipsam: ergo nulla solutio.

Antecedens probatur. Resistentia illa aquæ actioni partium illarum in seipsam debet exhiberi ab omnibus gradibus frigoris illius aquæ, vel tantùm ab aliquibus; atqui dici non potest a-

quòd exhibeatur ab omnibus, neque ab aliquibus: ergo non obſiſtit vlla reſiſtentia.

Reſpondeo *exhiberi ab aliquibus tantum.*

Contrà. Non eſt potior ratio cur exhibeatur ab aliquibus, quàm ab omnibus; atqui ex conceſſis non exhibetur ab omnibus: ergo neque ab aliquibus.

Maior probatur. Maior exhibetur reſiſtentia, quo plures ſunt gradus: ergo non eſt potior ratio, cur exhibeatur ab aliquibus, quàm ab omnibus.

Conſequentia probatur. Vt exhibeatur potius reſiſtentia ab aliquibus, quàm ab omnibus debent aliqui reſiſtere & non alij; atqui cùm aliqui reſiſtunt, reſiſtunt etiam alij: ergo non eſt potior ratio, cur reſiſtentia exhibeatur ab aliquibus, quàm ab omnibus.

Minor probatur. Cùm gradus ſunt eiuſdem rationis, reſiſtentibus aliquibus reſiſtere debent etiam alij; atqui gradus frigoris ſunt eiuſdem rationis: ergo cum aliqui reſiſtunt, reſiſtunt etiam alij.

Solutio; *Cum gradus ſunt eiuſdem rationis reſiſtentibus aliquibus reſiſtere etiam debent alij, ſi non debeant aliqui ex illis deſtrui*, Concedo. *ſi aliqui debeant deſtrui*, Nego. ergo *cum aliqui reſiſtunt, reſiſtunt etiam alii, ſi nulli debeant deſtrui*, Concedo. *ſi aliqui debeant deſtrui*, Nego.

Contrà. Nulli deſtruendi ſunt: ergo reſiſtentibus aliquibus, reſiſtere debent alij.

Antecedens pr. Aliqui deſtruendi non ſunt: ergo nulli deſtruendi ſunt.

Consequentia probatur. In gradibus eiusdem rationis cùm aliqui destruendi non sunt, nulli destruendi sunt; atqui isti gradus sunt eiusdem rationis: ergo cùm aliqui non sunt destruendi, nulli destruendi sunt.

Solutio: *In gradibus eiusdem rationis, cùm aliqui destruendi non sunt nulli destruendi sunt, si contrarij nulli introducendi sint,* Concedo. *si contrarij aliqui introducendi sint,* Nego. ergo *cùm aliqui non sunt destruendi, nulli destruendi sunt si nulli contrarij sint introducendi,* Concedo. *si aliqui contrarij sunt introducendi,* Nego.

Contrà. Nulli destruendi sunt cùm non est potior ratio cur vnus destruatur, quàm alius; atqui, etiam si contrarij introducendi sint, non est potior ratio cur vnus destruatur, quàm alius: ergo nulli destruendi sunt etiam si contrarij sint introducendi.

Solutio: *Nulli destruendi sunt cùm non est potior ratio cur vnus destruatur, quàm alius, neque ex parte ipsorum, neque ex voluntate Dei determinantis, vt hic potius desinat quàm alius,* Concedo. *ex parte tantùm ipsorum,* Nego. atqui *etiam si contrarij sint introducendi non est potior ratio ex parte ipsorum cur vnus destruatur quàm alius,* Concedo. *ex parte Dei determinantis, vt hic potius desinat, quàm alius,* Nego.

Contrà. Cùm non est potior ratio ex parte ipsorum, cur vnus destrui debeat, quàm alius, non est etiam potior ratio ex parte voluntatis Dei; atqui ex concessis non est potior ratio ex parte ipsorũ: ergo neque ex parte voluntatis Dei.

Minor probatur. Voluntas diuina accommodat

se voluntatis Dei exigentiæ: ergo cùm non est potior ratio ex parte ipsorum cur vnus destrui debeat quàm alius, non est etiam potior ratio ex parte ipsorum.

Solutio: *Voluntas diuina accommodat se ipsorum exigentiæ in iis, quæ possunt exigere*, Concedo. *in iis, quæ non possunt exigere*, Nego. *Non possunt autem exigere vt vnus potiùs pareat quàm alius, sicut nec possunt exigere vt vnus potius producatur, quàm alius: ac proinde Deus non attendendo hac in parte ipsorum exigentiam, quippe quæ nulla esse posit, determinare ipse debet quid fieri velit, & cum aliquis desinere debeat vt hoc in hunc cadat potius quàm in alium.*

DISPVTATIO V.

De Elementis, ut sunt principia mixti.

SECTIO PRIMA.

Quid sunt primæ qualitates, & quo ordine illis conueniat actiuitas, & resistentia.

PRIMA CONCLVSIO:

Primæ qualitates sunt omnes vera entia positiua.

PRIMAE qualitates sunt calor, frigus, humiditas, & siccitas; atqui calor, frigus, humiditas, & siccitas sunt vera entia positiua: ergo & omnes primæ qualitates.

Minor pr. Illæ qualitates sunt vera entia positiua, quæ verè immutant sensum; atqui calor, frigus, humiditas, & siccitas verè immutant sensum: ergo sunt verè entia positiua.

Minor pr. Illæ qualitates immutant sensum, quæ percipiuntur tactu; atqui calor, frigus, humiditas & siccitas verè percipiuntur tactu: ergo verè immutant sensum.

Obiicitur. Frigus, & ſiccitas non ſunt entia poſitiua: ergo omnes primæ qualitates non ſunt entia poſitiua.

Antecedens pr. Quod eſt mera abſentia caloris, & humiditatis non eſt ens poſitiuum; atqui frigus eſt mera caloris abſentia, & ſiccitas humiditatis: ergo frigus, & humiditas non ſunt entia poſitiua.

Minor pr. Illud eſt mera abſentia caloris, & humiditatis, quod nihil eſt aliud, quàm non eſſe caloris, & humiditatis in ſubiecto capaci; atqui frigus, & ſiccitas nihil aliud ſunt quàm non eſſe caloris, & humiditatis in ſubiecto capaci: ergo ſunt mera abſentia caloris, & humiditatis.

Minor pr. Non minùs frigus, & ſiccitas ſunt non eſſe caloris & humiditatis in ſubiecto capaci, quàm tenebræ non eſſe lucis in aëre, aut ſimili ſubiecto; atqui tenebræ nihil aliud ſunt, quàm non eſſe lucis: ergo etiam frigus, & ſiccitas ſunt non eſſe caloris, & humiditatis.

Maior pr. Ideo tenebræ ſunt non eſſe lucis in aëre, quia hoc ipſo, nullo alio addito, quod recedit luminoſum reperiuntur in aëre; atqui pariter frigus, & ſiccitas hoc ipſo, quod recedit agens calefactiuum, & humefactiuum reperiuntur in ſubiecto capaci caloris, & humiditatis: ergo non minus frigus, & ſiccitas ſunt non eſſe caloris, & humiditatis in ſubiecto capaci, quàm tenebræ non eſſe lucis in aëre, aut ſimili ſubiecto.

Minor pr. Aër, & homo ſunt ſubiectum capax caloris, & pannus laneus, aut lineus humiditatis;

atqui hoc ipso, quod remouetur agens calefactiuum, sol v. g. ex aëre de nocte, & ex extremitatibus hominis tertiana laborantis spiritus vitales, pariterque ex panno vapores ipsum humefacientes, nullo alio addito reperitur in duobus primis frigus, & in vltimo siccitas: ergo frigus, & siccitas hoc ipso, quod recedit agens calefactiuum, aut humefactiuum reperiuntur in subiecto capaci caloris, & humiditatis.

Solutio: *Neganda est minor. Ratio est, quia additur aliud, scilicet entitas positiua frigoris producta in primo ab aqua, & terra reducentibus se remoto agente contrario ad natiuum frigus, & illud communicantibus aëri vicino, & in panno similiter entitas positiua nimirum, siccitas prouenit ab agente exsiccatiuo expellente vapores.*

SECVNDA CONCLVSIO.

Calor, frigus, humiditas, & siccitas rectè dicuntur qualitates primæ.

ILLAE qualitates rectè dicuntur primæ, quæ præsupponuntur aliis, & ipsæ alias non præsupponunt in subiectis, in quibus hæ, & aliæ reperiuntur; atqui calor, frigus, humiditas, & siccitas præsupponuntur aliis qualitatibus, & ipsæ alias non præsupponunt in subiectis, in quibus reperiuntur cum aliis: ergo calor, frigus, humiditas, & siccitas rectè dicuntur qualitates primæ.

Minor pr. Qualitates, quæ præsupponuntur

ormæ ſubſtantiali, præſupponuntur etiam qualitatibus, quæ ipſam formam ſubſtantialem præſupponunt; atqui calor, frigus, humiditas & ſiccitas præſupponuntur formæ ſubſtantiali, & aliæ qualitates præſupponunt formam ſubſtantialem: ergo calor, frigus, humiditas, & ſiccitas præſupponuntur aliis qualitatibus, & illas non præſupponunt.

Maior pr. Quod eſt diſpoſitio ad formam ſubſtantialem illi præſupponitur, & quod eſt proprietas, aut quaſi proprietas illius illā præſupponit; atqui calor, frigus, humiditas, & ſiccitas ſunt diſpoſitiones ad formam ſubſtantialem, & aliæ qualitates ſunt proprietas, aut quaſi proprietas formæ ſubſtantialis: ergo calor, frigus, humiditas, & ſiccitas præſupponuntur formæ ſubſtantiali, & aliæ qualitates illam præſupponunt.

Obiicitur. Illæ qualitates non dici debent primæ quæ alias non antecedunt; atqui calor, frigus, humiditas, & ſiccitas non antecedunt alias: ergo non debent dici primæ.

Minor pr. Calor, frigus, humiditas, & ſiccitas non antecedunt illas qualitates, à quibus producuntur, aut quas non producunt; atqui calor, frigus, humiditas, & ſiccitas producuntur à quibuſdam ex aliis qualitatibus, & alias non producunt: ergo non antecedunt illas.

Minor pr. Impetus, lumen, vis tractiua ferri in magnete, & figura ſunt qualitates; atqui duæ primæ producunt calorem, & duæ poſtremæ non producuntur ab eo, neque ab aliis: ergo calor, & frigus producuntur à quibuſdam ex aliis qualitatibus, & alias non producunt.

Solutio : *Impetus, lumen, vis tractiua ferri in magnete, & figura sunt qualitates propriæ rerum sublunarium, & sensibiles*, Nego. *communes corporibus cælestibus, aut insensibiles*, Concedo. *& permissa minori : ergo calor, & frigus non producunt, aut producuntur à quibusdam ex aliis qualitatibus propriis rerum sublunarium, & sensibilibus*, Nego. *communibus corporibus cælestibus, aut insensibilibus*, transeat. *Respectu enim illarum non dicuntur primæ, sed tantum comparatæ cum aliis, quæ sunt sensibiles, & propriæ corporum sublunarium.*

Contrà. Colores sunt qualitates sensibiles, & propriæ corporum sublunarium ; atqui calor, frigus, humiditas, & siccitas non producunt colores : ergo neque quasdam qualitates sensibiles, & proprias corporum sublunarium.

Minor probatur. Illud non producit calores, quo mutato, aut non existente, non mutantur, aut existunt colores ; atqui mutatis calore, frigore, humiditate, & siccitate, aut non existentibus non mutantur, aut existunt colores : ergo calor, frigus, humiditas, & siccitas non producunt colores.

Solutio : *Illud non producit colores tanquam causa adæquata, quo mutato aut non existente non mutantur aut existunt colores*, Concedo. *tanquam causa inadæquata*, Nego. *& concessa minori : ergo calor, frigus, humiditas, & siccitas non producunt colores tanquam causa adæquata*, Concedo. *inadæquata*, Nego.

Contrà. Quod cum illis dici potest causa productiua colorum est forma substantialis ; atqui

forma substantialis non est productiua colorum: ergo calor, frigus, humiditas, & siccitas debent dici causa adæquata colorum, si semel admittas illos causare.

Minor pr. Illud non est causa productiua colorum etiam inadæquata & partialis, quo pereunte, & mutato perseuerant colores; atqui pereunte, & mutata forma substantiali perseuerant colores in corpore hominis v. g. recens mortui: ergo forma substantialis non est productiua colorum simul cum calore, frigore, humiditate, & siccitate.

Solutio: *Illud non est causa productiua colorum, quo mutato, & non substituto alio, quod habeat æqualem vim, non mutantur colores*, Concedo. *quo mutato, & substituto alio habente æqualem vim non mutantur colores*, Nego. *Istud enim succedens forma, scilicet noua substantialis facit, quod faciebat prima, unde non est necessarium, vt fiat mutatio in coloribus saltem magna & statim, vt plurimum enim fit aliqua, & post aliquod tempus satis notabilis.*

TERTIA CONCLVSIO:

Calor est omnium maximè actiuus, frigus deinde, & postea humiditas, siccitas vero omnium minimè.

ILLVD est magis actiuum aliis, quod citiùs agit, & ad maiorem distantiam; atqui calor citiùs agit, & ad maiorem distantiam, quàm aliæ res qualitates, frigus quàm humiditas, & hu-

miditas, quàm ſiccitas: ergo calor eſt omnium maximè actiuus, frigus deinde, & poſtea humiditas, ſiccitas verò omnium minimè.

Experientia probat minorem.

QVARTA CONCLVSIO:

Siccitas eſt maxime reſiſtitiua, deinde humiditas, tertio loco frigus, poſtremo calor.

Eo modo dicere debemus conuenire iſtis qualitatibus reſiſtentiam, qui neceſſarius eſt vt ſaluemus communem ſententiam, & conſenſum auctorum calorem eſſe maximè actiuum, frigus deinde, poſtea humiditatem, & omnium minimè ſiccitatem; atqui vt ſaluemus hanc communem ſententiam, & conſenſum auctorum, dicere debemus ſiccitatem eſſe maximè reſiſtitiuam, humiditatem deinde, tertio loco frigus, & poſtremo calorem: ergo ſiccitas eſt maximè reſiſtitiua, deinde humiditas, tertio loco frigus, poſtremo calor.

Minor pr. Siccitatem eſſe maximè reſiſtitiuam, humiditatem deinde, tertio loco frigus, & poſtremo calorem, nihil aliud eſt, quàm ſiccitatem eſſe magis reſiſtitiuam, quàm ſit humiditas, & frigus quàm ſit calor; atqui vt ſaluemus communem ſenſum auctorum calorem eſſe maximè actiuum, frigus deinde, tertio loco humiditatem, & poſtremo ſiccitatem, dicere debemus ſiccitatem eſſe magis reſiſtitiuam quàm humiditatem, & frigus quàm calorem; ergo vt ſaluemus com-

munem sensum auctorum calorem esse maximè actiuum, frigus deinde, tertio loco humiditatem & quarto loco frigus, dicere debemus siccitatem esse maximè resistitiuam, humiditatem deinde, tertio loco frigus, & postremo calorem

Minor pr. Ex suppositione, quòd frigus non sit magis resistitiuum, quàm calor, non potest dici, quòd calor sit maximè actiuus: ergo frigus est magis resistitiuum, quàm calor.

Antecedens pr. Ideo tantùm calor dicitur magis actiuus, quàm frigus, quia agit citiùs, & ad maiorem distantiam; atqui hoc argumentum nullum est ex suppositione, quòd frigus non sit magis resistitiuum, quàm calor: ergo frigus debet esse magis resistitiuum, quàm calor.

Minor pr. Illud argumentum nullum est ad probandum maiorem ignis actiuitatem, quàm frigoris, cui æquè responderi potest per minorem frigoris resistentiam, ac per maiorem ignis actiuitatem; atqui quòd citiùs agat calor, & ad maiorem distantiam, quàm frigus, explicari potest æquè per minorem frigoris resistentiam, ac per maiorem ignis actiuitatem: ergo hoc argumentum nullum est ex suppositione, quod frigus non sit magis resistitiuum, quàm calor.

Minor pr. Agens minùs actiuum, quàm aliud citiùs agit, & ad maiorem distantiam cùm ei passum minùs resistit, quàm agens fortius, cùm ei passum plus resistit: ergo quod calor citiùs agat, quàm frigus, & ad maiorem distantiam æquè explicari potest per minorem frigoris resistentiam, ac per maiorem ignis actiuitatem.

Minor probatur. Homo communis magnitudinis est agens minùs actiuum, quàm sit gigas; atqui homo communis magnitudinis citius agit, & ad maiorem distantiam cum ei passum minùs resistit, quàm gigas cùm ei passum magis resistit: ergo & agens minus actiuum, quàm aliud.

Minor pr. Proiectio lapidis decem librarum est actio hominis communis magnitudinis, & proiectio lapidis mille librarum est actio gigantis, in qua passum plus ei resistit, quàm passum resistat actioni hominis communis magnitudinis; atqui illa proiectio decem librarum fit celeriùs, & ad maiorem distantiam ab homine communis magnitudinis, quàm proiectio lapidis mille librarum à gigante: ergo agens minùs actiuum cùm passum minus resistit citius agit, & ad maiorem distantiam, quàm magis actiuum cum passum ei plus resistit.

SECTIO II.

Quomodo primæ qualitates conueniant elementis.

PRIMA CONCLVSIO:

Igni conuenit calor, & siccitas.

IGNI conueniunt qualitates, quas constanter in illo experimur, & quas constanter ipse pro-

ducit; atqui calor, & ſiccitas conſtanter deprehenduntur in igne,& producuntur ab ipſo: ergo calor,& ſiccitas illi conueniunt.

Experientia probat minorem.

Secvnda Conclvsio:

Humiditas,& calor conueniunt aëri.

Illae qualitates conueniunt aëri, quæ ſunt præuia diſpoſitio ad eius generationem; atqui humiditas, & calor ſunt præuia diſpoſitio ad generationem aëris: ergo illi conueniunt.

Minor probatur. Illæ qualitates ſunt præuia diſpoſitio ad generationem aëris, quæ introduci debent in materiam, vt generetur aër; atqui calor, & humiditas debent introduci vt generetur aër: ergo ſunt præuia diſpoſitio ad eius generationem.

Minor pr. Aër ſæpe generatur ex aqua; atqui tunc in materiam aquæ nihil aliud introducitur quàm calor perſeuerante in eadem humiditate: ergo calor, & humiditas debent introduci in materiam,vt generetur aër.

Tertia Conclvsio:

Aquæ conuenit frigus, & humiditas; & terræ ſiccitas, & frigus.

Illae qualitates conueniunt naturaliter

aquæ, & terræ; ad quas aqua, & terra se restituunt remoto agente extrinseco contrario; atqui aqua,& terra remoto agente extrinseco contrario restituunt se, illa quidem humiditati, & frigori, ista verò siccitati & frigori:ergo frigus, & humiditas conueniunt aquæ,& terræ siccitas,& frigus.

Minor probatur. Aqua, quæ est in medio oceani, & terra quæ magis accedit ad centrum vniuersi,sunt remotæ ab agente extrinseco contrario;atqui illæ se restituunt, illa quidem humiditati, & frigori, & ista siccitati, & frigori :ergo aqua, & terra remoto agente extrinseco contrario restituunt se,illa quidem humiditati, & frigori, ista verò siccitati, & frigori.

Minor probatur. Illis qualitatibus aqua in medio oceani, & terra, quæ magis accedit ad centrum vniuersi se restituunt,quæ in illis tactu deprehenduntur; atqui in illa tactu deprehenduntur frigus,& humiditas,& in ista siccitas, & frigus:ergo illis se restituunt.

Minor probatur experientia.

Obiicitur primò contra calorem aëris. Illa qualitas non conuenit aëri connaturaliter,ad quam non se restituit non impeditus à contrario; atqui aër non impeditus à contrario non se restituit calori: ergo calor non conuenit connaturaliter aëri.

Minor probatur. Aër de nocte non impeditur à contrario;atqui de nocte non se restituit calori: ergo aër non impeditus à contrario non se restituit calori.

Maior pr. Illud agens contrarium dici non de-

bet esse aliud quàm terra, & aqua; atqui aqua, & terra non sunt illa agentia contraria impeditiua illius caloris: ergo de nocte non impeditur à contrario.

Minor probatur. Illa agentia non sunt impeditiua caloris natiui in aëre, quæ non producunt in illo frigus; atqui aqua, & terra non producunt in illo frigus: ergo non sunt impeditiua caloris ipsius.

Minor probatur. Non alia dici debet causa frigoris producti in aëre contingente terram, & aquam, quàm illius, qui producitur in aëre mediæ regionis; atqui illius qui producitur in aëre mediæ regionis terra, & aqua non sunt causa: ergo neque vllius alterius.

Minor pr. Illius frigoris terra, & aqua non dici debent causa, quod non est intra sphæram actiuitatis earum; atqui frigus aëris mediæ regionis non est intra sphæram actiuitatis terræ, & aquæ: ergo terra, & aqua non sunt illius causa.

Minor probatur. Illud frigus dici non debet esse intra sphæram actiuitatis terræ, & aquæ, quod longiùs distat ab ea, quàm alia, quæ intra illam contineri non censentur; atqui frigus mediæ regionis longiùs distat à terra, & aqua, quàm alia multa, quæ intra illam contineri non censentur: ergo est extra sphæram actiuitatis illarum.

Minor pr. Aues per aëra volitantes non sunt intra sphæram actiuitatis terræ, & aquæ; atqui frigus mediæ regionis magis distat à terra, & aqua, quàm aues in aëre volitantes: ergo distat etiam magis quàm illa quæ non sunt intra sphæ-

ram actiuitatis aquæ, & terræ.

Minor pr. Quod magis acccedit ad cœlum longius distat à terra, & aqua, quàm quod minus accedit; atqui aues per aera volitantes minus accedunt ad cœlum, quàm frigus mediæ regionis: ergo frigus mediç regionis magis distat ab aqua, & terra, quàm aues per aera volitantes.

Solutio: *Quod magis accedit ad cœlum longius distat à terra & aqua quam calcamus pedibus, & aqua quam manibus contrectamus*, Concedo. *aqua resoluta in vapores, & terra redacta in exhalationes*, Nego. *& concessa minori* : ergo *frigus mediæ regionis magis distat à terra quam pedibus calcamus, & aqua, quam potamus, quàm aues in aëre volitantes*, Concedo. *Aqua resoluta in vapores, & terra redacta in exhalationes*, Nego.

Contrà. Exhalationes illæ, & vapores, à quibus frigus illud minus distare dicitur ipsum non producunt : ergo terra, & aqua non producunt frigus mediæ regionis.

Antecedens pr. Exhalationes, & vapores dici non debent producere illud frigus, quod oritur per emanationem à forma aeris; atqui frigus aeris mediæ regionis oritur per emanationem à forma aeris : ergo exhalationes, & vapores non producunt illud.

Minor. pr. Illud frigus oritur per emanationem à forma aeris, quod est in ipso, cum est remotior à suis contrariis; atqui aer in media regione est remotior à suis contrariis : ergo frigus mediæ regionis oritur per emanationem à forma aeris.

Minor pr. Quod est medium in elemento ali-

quo remotius est à contrariis illius elementi; atqui aer mediæ regionis, est in medio elementi aeris: ergo est remotior à suis contrariis.

Solutio: *Quod est medium in elemento aliquo remotius est à contrariis illius in loco connaturali constitutis,* Concedo. *positis extra locum naturalem,* Nego. *& concessa minori:* ergo *est remotior à suis contrariis in loco naturali constitutis,* Concedo. *positis extra locum naturalem,* Nego.

Contrà. Contraria posita extra locum naturalem, à quibus aer mediæ regionis potest dici non esse remotior, sunt exhalationes, & vapores; atqui exhalationes, & vapores nullam habent vim producendi in illo frigus: ergo est remotior etiam à contrariis positis extra locum naturalem.

Minor pr. Exhalationes illæ, & vapores non habent frigus: ergo nullam habent vim producendi frigus in aere.

Minor pr. Habent calorem: ergo non habent frigus.

Antecedens pr. Vapores sunt calidi, sicut & exhalationes: ergo habent calorem.

Solutio: *Vapores sunt calidi antequam se restituant ad temperamentum connaturale,* Concedo. *cùm se restituunt, aut postquam se restituere ad connaturale temperamentum, vt faciunt in media regione,* Nego. *Restituunt autem se quamprimùm possunt, & sol recidens in aliud hemisphærium desiit in ipsos agere.*

Obiicitur secundò contra humiditatem aeris.

Illi elemento non conuenit humiditas, cui conuenit siccitas; atqui siccitas conuenit aeri: ergo illi non conuenit humiditas.

Minor pr. Illi conuenit ficcitas, quod exficcat; atqui aër exficcat: ergo ficcitas illi conuenit.

Solutio: *Siccitas conuenit illi, quod exficcat per se,* Concedo. *exficcat tantùm per accidens,* Nego. atqui *aër exficcat per se,* Nego. *per accidens,* Concedo.

Contrà. Illud elementum exficcat per se, quod quo purius eſt magis exficcat; atqui aër quo purior eſt magis exficcat: ergo verè exficcat per ſe.

Solutio: *Illud elementum exficcat per ſe, quod quo purius eſt ab omnibus aliis magis exficcat,* Concedo. *quod quo purius eſt tantùm ab aliquibus, & non ab aliis, quæ habent præcipuam vim exficcandi magis exficcat,* Nego. atqui *aër quò purior eſt à vaporibus & exhalationibus magis exficcat,* Nego. *à vaporibus tantùm,* Concedo.

Contrà. Aër altiorum locorum eſt purior à vaporibus, & exhalationibus; atqui ille magis exficcat: ergo aër purior ab exhalationibus, & vaporibus magis exficcat.

Maior pr. Aër ille locorum altiorum non minùs eſt liber ab exhalationibus, quàm à vaporibus; atqui eſt liber à vaporibus: ergò & ab exhalationibus.

Solutio: *Neganda eſt maior, quia cùm vapores ſint craſſiores, non poſſunt tam facilè eò peruenire, ac exhalationes, quæ ſunt ſubtiliores, quæ aliunde cùm ſint valde ſiccæ exficcant etiam illos, qui reſpirant illum aerem atque hæc eſt ratio, ob quam phthiſici prohibentur à medicis vti huiuſmodi aere.*

QVARTA CONCLVSIO:

Primæ qualitatès conueniunt in summo elementis.

PRIMÆ qualitates conueniunt in summo mixtis, vel elementis; atqui non conueniunt in summo mixtis: ergo conueniunt in summo elementis.

Minor pr. Qualitates primæ non conueniunt illis in summo, quæ exigunt illarum mixtionem; atqui mixta exigunt mixtionem quatuor primarum qualitatum; ergo non conueniunt mixtis in summo.

Maior pr. Primæ qualitates non conueniunt illis in summo; in quibus non possunt esse in summo; atqui non possunt esse in summo in illis, quæ exigunt mixtionem quatuor primarum qualitatum: ergo non conueniunt illis in summo.

Minor pr. Primæ qualitates non possunt esse in summo in illis, in quibus debent esse aliæ ipsis contrariæ; atqui in iis, quæ exigunt mixtionem primarum qualitatum debent esse aliæ aliis contrariæ: ergo non possunt esse in summo in illis, quæ exigunt mixtionem primarum qualitatum.

Minor pr. Illa quæ exigunt mixtionem primarum qualitatum, exigunt omnes primas qualitates; atqui aliæ aliis sunt contrariæ: ergo in iis, quæ exigunt mixtionem primarum qualitatum, debent esse aliæ aliis contrariæ.

QVINTA CONCLVSIO:

Binæ qualitates connaturales vnicuique elemento, non sunt ambæ in summo.

ILLAE qualitates non sunt ambæ in summo, quarum vna est intensior alia; atqui vna ex qualitatibus connaturalibus vnicuique elemento est intensior alia: ergo binæ qualitates connaturales vnicuique elemento non sunt ambæ in summo.

Minor pr. Non minus ex qualitatibus connaturalibus vnicuique elemento vna debet esse intensior alia, in aqua, terra, & igne; quàm in aëre; atqui in aëre vna est intensior alia: ergo & in vnoquoque elemento.

Minor pr. Qualitates connaturales aëri sunt humiditas, & calor; atqui humiditas est intensior calore: ergo vna qualitas connaturalis aeris est intensior alia.

Minor pr. Humiditas in summo est intensior, quàm calor qui non est in summo; atqui humiditas aeris est in summo, & calor aeris non est in summo: ergo humiditas aeris est intensior eiusdem calore.

Minor pr. Illa qualitas non est in summo in aere, quam difficile est probare esse in eo in excellenti; atqui obiectiones suprà factæ contra calorem aeris, probant difficile esse ostendere calorem illi inesse in excellenti: ergo calor non est in summo in aere.

SEXTA CONCLVSIO:

Igni conuenit calor in summo, & siccitas in excellenti; terræ siccitas in summo, & frigus in excellenti; aquæ frigus in summo, & humiditas in excellenti; & aeri in summo humiditas, & calor in excellenti.

VERITAS huius conclusionis supposita veritate duarum præcedentium, & communi consensu quod ignis sit maximè calidus, & illi conueniat calor in summo, non potest esse dubia. Siccitas enim, quæ est eius altera qualitas debet esse in ipso tantum in excellenti, & in alio elemento in summo: illud est terra, & huius frigus in excellenti debet esse pariter in summo in aqua, & istius humiditas in excellenti necesse est vt sit in summo in aere, qui consequenter habebit tantum calorem in excellenti, prout asserit conclusio.

Obiicitur. Humiditas non conuenit in summo aquę, & aeri; atqui conuenit aquæ: ergo non conuenit aeri.

Minor pr. Illi conuenit humiditas in summo, quod est magis humidum, quàm aliud; atqui aqua est magis humida, quàm aer: ergo humiditas in summo conuenit aquæ.

Minor pr. Illud est magis humidum, quàm aer, quod magis humectat, quàm aer, & ipsum etiam aerem humefacit; atqui aqua magis humectat alia ab aere, & ipsum etiam aerem humefacit: er-

go est magis humida, quàm aër.

Secunda pars minoris probatur.

Illud humefacit aerem, quod facit vt maior in eo sit humiditas; atqui aqua facit, vt maior fit humiditas in aere: ergo aqua illum humefacit.

Minor pr. Aqua pluuialis facit, vt maiorem sentiamus humiditatem in aere: ergo facit etiam vt in eo sit maior humiditas.

Antecedens pr. Quo tempore pluit sentimus maiorem humiditatem in aere; atqui nihil est quod faciat, vt sit maior illa sensatio humiditatis, quàm pluuia: ergo pluuia facit, vt sentiamus maiorem humiditatem in aere.

Solutio: *Neganda est maior. Ratio est, quia non sentimus in aere tunc temporis maiorem humiditatem sed in vaporibus, qui ipsi immiscentur, qui cum sint crassiores habent vim efficiendi maiorem sensationem humiditatis.*

SEPTIMA CONCLVSIO:

Qualitas, qua est in excellenti in elementis, nihil habet permixtum contraria qualitatis.

SICCITAS est in igne in excellenti; atqui nihil habet admixtum contrariæ qualitatis: ergo qualitas, quæ est in elementis in excellenti, nihil habet admixtum contrariæ qualitatis.

Minor pr. Contraria qualitas siccitati ignis est humiditas; atqui siccitas ignis nihil habet admixtum humiditatis: ergo neque contrariæ qualitatis.

Minor

Minor pr. Siccitas ignis habere non poteſt quidquam admixtum humiditatis, quin ignis ſit elementum ſymbolum cum omnibus aliis; atqui non eſt elementum ſymbolum cum omnibus aliis: ergo nihil habet admixtum humiditatis.

Maior pr. Illud elementum eſt ſymbolum cum omnibus aliis, quod habet aliquam qualitatem ſimilem ei, quæ reperitur in aliis; atqui ſiccitatem ignis habe e aliq i l admixtum humiditatis, eſt ignem habere aliquam qualitatem ſimilem ei, quæ reperitur in aliis elementis: ergo ſiccitatem ignis habere aliquid admixtum humiditatis, eſt eſſe elementum ſymbolum cum omnibus aliis.

Minor pr. Alia elementa ſunt aqua, terra, & aër; atqui ſiccitatem ignis habere aliquid admixtum humiditatis eſt habere aliquam qualitatem ſimilem ei, quæ reperitur in aqua, terra, & aëre: ergo & ei quæ reperitur in aliis elementis.

Minor pr. Aër, aqua, & terra, habent vnam ex iſtis qualitatibus, calorem ſcilicet, humiditatem, aut ſiccitatem; atqui ſiccitatem ignis habere aliquid admixtum humiditatis, eſt ignem habere calorem, ſiccitatem, & humiditatem: ergo ſiccitatem ignis habere aliquid admixtum humiditatis, eſt ignem habere aliquam qualitatem ſimilem ei, quæ reperitur in aqua, terra, & aere.

Obiicitur. Siccitas ignis habet aliquid admixtum humiditatis: ergo qualitas, quæ eſt in elementis in excellenti, habet aliquid admixtum contrariæ.

Antecedens pr. Siccitas ignis facti ex aëre habet aliquid admixtum humiditatis: ergo & illa omnis alterius ignis.

Antecedens pr. Illi gradus humiditatis miſcentur ſiccitati ignis facti ex aëre, qui non fuere deſtructi per illam generationem; atqui aliqui gradus non fuere deſtructi: ergo ſiccitas illius ignis, habet aliquid admixtum humiditatis.

Solutio: *Gradus humiditatis, qui non fuere deſtructi per generationem ignis facti ex aere, miſcentur eius ſiccitati propter exigentiam, quam habet ignis illius humiditatis*, Nego. *quòd non adſit cauſa illorum deſtructiua*, Concedo. atqui *aliqui gradus non fuere deſtructi propterea quod ignis eos exigat*, Nego. *propterea quòd non adfuerit cauſa illorum deſtructiua*, Concedo.

Contrà. Ignis exigit gradus illos humiditatis, qui non fuere deſtructi: ergo nulla ſolutio.

Antecedens pr. Ignis exigit, quod exigit eius materia; atqui eius materia exigit vt gradus humiditatis, qui non fuere deſtructi maneant: ergo non fuere deſtructi, quia ignis eos exigit.

Minor pr. Materia ignis exigit, vt expleta ſit latitudo contrarietatis inter ſiccitatem & humiditatem; atqui non poteſt eſſe expleta, quin maneant gradus humiditatis, qui non fuere deſtructi: ergo exigit vt maneant.

Solutio: *Materia ignis exigit, vt expleta ſit latitudo contrarietatis inter ſiccitatem, & humiditatem cùm eſt ſub forma mixti*, Concedo. *cùm eſt ſub forma elementi*, Nego. *& conceſſa minori* ergo *exigit, vt maneant cum eſt ſub forma mixti*, Concedo. *cùm eſt ſub forma elementi*, Nego.

Contrà. Non minùs materia exigit, vt ſit expleta latitudo contrarietatis ſub forma elementi, quàm ſub forma mixti; atqui exigit ſub

forma mixti ex concessis : ergo & sub forma elementi.

Maior pr. Materia non minus exigit sub forma elementi, quàm sub forma mixti id, quod est necessarium vt alteratio sit successiua; atqui expletio latitudinis necessaria est, vt alteratio sit successiua: ergo non minus materia exigit, vt sit expleta latitudo contrarietatis sub forma elementi, quàm sub forma mixti.

Maior pr. Materia non potest minus exigere sub forma elementi, quàm sub forma mixti id, quod est necessarium, vt alteratio sit successiua, quin dari possit alteratio non successiua; atqui non datur alteratio non successiua : ergo materia non minus exigit sub forma elementi, quàm sub forma mixti id, quod est necessarium, vt alteratio sit successiua.

Minor pr. Nulli omnino deesse possunt gradus in materia vllius contrarietatis : ergo non datur alteratio non successiua.

Antecedens pr. Deesse non possunt gradus aliqui in materia vnius contrarietatis, quin falsum sit quod dicit Aristoteles, eo plus esse vnius contrarij in ea, quo minus est alterius; atqui illud effatum Aristotelicum non debet dici falsum: ergo nulli desunt vnquam gradus in materia alicuius contrarietatis.

Solutio : *Deesse non possunt gradus aliqui in materia vnius contrarietatis, quin falsum sit quod dicit Aristoteles eo plus esse vnius contrarij in materia, quo minus est alterius, si applicetur elementis,* Concedo. *si applicetur mixtis,* Nego. atqui *effatum illud non est falsum intellectum de mix-*

tis iuxta mentem Aristotelis, qui eo loci de illis tantùm agebat, Concedo. *intellectum de elementis contra eius mentem*, Nego.

OCTAVA CONCLVSIO:
Qualitates ſymbola elementorum ſunt eiuſdem ſpeciei.

ILLAE qualitates ſunt eiuſdem ſpeciei, quarum vna poteſt alteram intendere; atqui qualitates ſymbolæ elementorum poſſunt vna alteram intendere: ergo qualitates ſymbolæ elementorum ſunt eiuſdem ſpeciei.

Minor pr. Calor ignis, & aëris, frigus aquæ, & terræ ſunt qualitates ſymbolæ elementorum; atqui calor ignis intendere poteſt calorem aeris, & frigus aquæ, frigus terræ: ergo qualitates ſymbolæ elementorum poſſunt ſe mutuò intendere.

Minor pr. Non minùs poteſt calor ignis intendere calorem aeris, quàm calor ab ipſo productus; atqui calor ab igne productus intendit calorem aeris: ergo calor ignis intendere poteſt calorem aeris.

Minor pr. Ille calor intendit calorem aeris, qui ei additur in eadem parte ſubiecti; atqui calor productus à calore ignis, additur calori aëris in eadem parte ſubiecti: ergo illum intendit.

Minor pr. Ignis producit calorem in omnibus partibus aëris ipſi vicini: ergo calor ab igne productus additur calori aëris in eadem parte ſubiecti.

Obiicitur. Proprietates elementorum non ſunt eiuſdem ſpeciei; atqui qualitates ſymbolæ ſunt

proprietates elementorum : ergo non sunt eiusdem speciei.

Solutio : *Proprietates elementorum non sunt eiusdem speciei secundùm entitatem sumptæ*, Nego. *secundum modum quo sunt illorum proprietates*, Concedo. atqui *qualitates symbolæ sunt proprietates elementorum secundum entitatem sumptæ, & præcisè*, Nego. *secundum certum modum, quo illis conueniunt*, Concedo. *Responderi etiam potest alio modo argumento permissa maiori distinguendo minorem*; atqui *qualitates symbolæ sunt proprietates elementorum solæ sumptæ*, Nego. *sumptæ simul cum dissymbolis*, Concedo. *& eodem modo consequens distinguendum est.*

Contrà. Qualitates elementorum symbolæ, etiam solæ sumptæ sunt diuersæ ab aliis symbolis: ergo nulla solutio.

Antecedens pr. Illæ qualitates sunt diuersæ speciei, quæ habent effectus contrarios, & valdè diuersos; atqui qualitates symbolæ elementorum, etiam secundùm entitatem sumptæ habent effectus contrarios, & valdè diuersos : ergo qualitates symbolæ, etiam secundùm entitatem sumptæ non sunt eiusdem speciei.

Solutio : *Qualitates, quæ habent diuersos effectus primarios sunt diuersæ speciei*, Concedo. *secundarios*, Nego. atqui *qualitates symbolæ elementorum, etiam secundum entitatem sumptæ habent effectus primarios contrarios, & valdè diuersos*, Nego. *secundarios*, Concedo. *Effectus primarius qualitatis, est constitutio talis compositi accidentalis, secundarius verò productio simul cum aliis causis, quæ sunt im eodem subiecto variorum*

effectuum, pro varietate illorum comprincipiorum.

Contrà. Qualitates, quæ habent diuersos effectus secundarios sunt diuersæ speciei: ergo nulla solutio.

Antecedens pr. Illæ qualitates sunt diuersæ speciei, quarum vni conuenit aliquid notabiliter diuersum, quod non conuenit alteri; atqui vni qualitatum, quæ habent effectus secundarios diuersos conuenit aliquid notabiliter diuersum, quod non conuenit alteri: ergo sunt diuersæ speciei.

Minor pr. Habere effectus diuersos, & contrarios effectibus aliarum est aliquid notabiliter diuersum: ergo aliquid notabiliter diuersum conuenit qualitatibus, quæ habent effectus diuersos quoscunque tandem.

Solutio: *Habere effectus diuersos, & contrarios est aliquid notabiliter diuersum, si habere huiusmodi effectus conueniat illis per se, & seorsim sumptis*, Concedo. *si conueniat tantum prout coniunguntur cum aliis agentibus, à quibus adiutæ illos effectus producant*, Nego. *Aliæ enim si iuuarentur ab iisdem agentibus, & ponerentur in iisdem circunstantiis eosdem effectus producerent.*

Contrà. Qualitates, quæ adiutæ ab aliis agentibus producunt diuersos effectus, ab effectibus aliarum distinguuntur ab illis specie: ergo nulla solutio.

Antecedens pr. Illæ qualitates distinguũtur specie, quarum vna coniungitur cum quibusdam agentibus, cum quibus alia non coniungitur; atqui qualitates adiutæ ab aliis agentibus coniunguntur cum illis, & aliæ non coniunguntur cum

iisdem : ergo distinguuntur ab illis specie.

Solutio ;: *Illæ qualitates distinguuntur specie, quarum vna coniungitur cum quibusdam agentibus, cum quibus alia non coniungitur, si vna exigat huiusmodi coniunctionem, & non alia,* Concedo. *si habeat se indifferentur ad illam, & per accidens illam habeat,* Nego. *Ratio est, quia distinctio specifica qualitatum, & aliarum rerum peti tantùm potest ab iis, quæ illis conueniunt essentialiter, non verò quæ contingenter accidunt, quomodo se habent ea, cum quibus per accidens coniunguntur, & iam ad minorem ;* atqui *qualitates adiutæ ab aliis agentibus coniunguntur cum illis, & aliæ non coniunguntur cum iisdem, & nec hæ, nec illæ exigunt hanc coniunctionem,* Concedo. *& illæ eam exigunt,* Nego.

SECTIO II.

An, & quomodo elementa in se transmutentur?

VNICA CONCLVSIO:

Elementa symbola, & dissymbola in se immediatè transmutari possunt.

IGNIS, & terra sunt elementa symbola, & ignis, & aqua dissymbola ; atqui terra, & aqua immediatè transmutari possunt in ignem : ergo ele-

menta ſymbola, & diſſymbola transmutari poſſunt in ſe immediatè.

Minor pr. Terra, & aqua immediatè tranſmutantur in illud compoſitum, cuius forma poteſt ſuccedere immediatè in materia formis terræ, & aquæ; atqui forma ignis ſuccedere poteſt immediatè in materia formis terræ, & aquæ: ergo terra, & aqua tranſmutari poſſunt immediatè in ignem.

Minor pr. Vt forma ignis ſuccedat in materia formis terræ, & aquæ nulla alia forma mediante, & priùs occupante illam materiam, nihil aliud eſt neceſſarium, quã vt in materiã terræ, & aquæ ipſis perſtantibus inducatur temperamentum ad formam ignis; atqui induci poteſt in materiam terræ, & aquæ ipſis perſtantibus temperamentum formæ ignis: ergo forma ignis ſuccedere poteſt immediatè in materia formis terræ & aquæ.

Minor pr. Temperamentum formæ ignis eſt calor, & ſiccitas; atqui in materiam terræ, & aquæ perſtantibus adhuc duabus illis formis induci poſſunt calor, & ſiccitas: ergo & temperamentum ad formam ignis.

Minor probatur. Vapor, & exhalatio ſunt materia, in qua perſtant formæ terræ, & aquæ; atqui in exhalationem, & vaporem induci poteſt calor, & ſiccitas: ergo & in materiam, in qua perſtant formæ terræ, & aquæ.

Prima pars minoris probatur.

In illam materiam induci poteſt calor, & ſiccitas, quæ eſt calida & ſicca; atqui exhalatio eſt calida, & ſicca: ergo in exhalationem induci poteſt calor & ſiccitas.

Secunda pars minoris praecedentis argumenti, de vapore, probatur.

In illam materiam induci potest calor, & siccitas quae habet calorem, & eius humiditas expelli potest; atqui vapor habet calorem, & eius humiditas expelli potest: ergo in vaporem induci potest calor, & siccitas.

Minor probatur. Ex illa materia expelli potest humiditas, cui applicari potest agens exsiccatiuum; atqui vapori applicari potest agens exsiccatiuum: ergo ex vapore expelli potest humiditas.

Obiicitur primò contra elementa symbola. Ignis, & terra in se immediatè transmutari non possunt: ergo neque elementa symbola.

Minor pr. Forma ignis succedere non potest immediatè in materia formae terrae: ergo ignis, & terra non possunt in se immediatè transmutari.

Minor pr. Vt forma ignis succedat immediatè formae terrae in materia, debet illa materia habere raritatem requisitam ad formam ignis, statim ac desinit in illa esse forma terrae; atqui non potest habere raritatem requisitam ad formam ignis, statim ac desinit forma terrae: ergo forma ignis non potest succedere immediatè formae terrae.

Minor pr. Non potest esse in materia raritas requisita ad formam ignis, statim ac desinit forma terrae, quin densitati requisitae ad formam terrae succedat immediatè raritas requisita ad formam ignis; atqui densitati terrae succedere non potest immediatè raritas requisita ad for-

mam ignis: ergo materia non potest habere raritatem requisitam ad formam ignis, statim ac desinit forma terræ.

Minor pr. Densitas terræ est summa densitas, & raritas requisita ad formam ignis est summa raritas; atqui summa raritas succedere non potest immediatè summæ densitati: ergo neque raritas ignis densitati terræ.

Solutio: *Densitas terræ existentis in statu connaturali est summa densitas*, Concedo. *existentis in statu violento, qualis est ille, qui est in illa paulo antequam conuertatur in ignem*, Nego. *& raritas ignis existentis in statu connaturali est summa raritas*, Concedo. *nondum positi in statu omnino connaturali*, Nego. *& concessa minori: ergo raritas ignis non potest succedere immediatè densitati terræ, si attendantur, vt conueniunt illis in statu connaturali positis*, Concedo. *si attendantur vt conueniunt vni quidem ex illis, scilicet terræ, in statu violento, & alteri nimirum igni, in statu non omnino connaturali*, Nego. *Densitas enim terræ in statu violento non debet esse summa, sicut nec eius frigus valdè magnum; similiterque raritas ignis nondum constituti in suo statu connaturali non debet esse summa; atque ita non est inconueniens, quòd exiguæ densitati succedat immediatè notabilis raritas.*

Contrà. Non magis densitati terræ existentis in statu violento, succedere potest raritas ignis, quàm densitas terræ raritati ignis; atqui densitas terræ succedere non potest immediatè raritati ignis: ergo densitati terræ existentis in statu violento succedere non potest raritas ignis.

Minor pr. Raritati ignis ſuccedere non poteſt immediatè denſitas terræ, quin cùm materia amittit formam ignis recipiat illam terræ; atqui cùm amittit formam ignis non recipit formam terræ: ergo denſitas terræ non poteſt ſuccedere immediatè raritati ignis.

Minor pr. Cùm materia recipit formam terræ debet in ea eſſe multum frigoris; atqui antequam in ea ſit multum frigoris non eſt forma ignis: ergo cùm amittit formam ignis non recipit formam terræ.

Solutio: *Cùm materia recipit formam terræ, debet eſſe in ea multum frigoris, hoc eſt ſummum frigus*, Nego. *hoc eſt debent eſſe aliqui gradus frigoris*, Concedo. Atqui *forma ignis deſiit eſſe materia antequam in ea ſit multum frigoris, hoc eſt ſummum frigus*, Concedo. *hoc eſt aliqui gradus frigoris*, Nego.

Contra. Forma terræ non poteſt induci in materiam ignis, niſi ſit in ea ſummum frigus: ergo nulla ſolutio.

Antecedens pr. Forma terræ induci non poteſt in materiam deſtitutam temperamento ipſi connaturali; atqui materia ignis in qua non eſt ſummum frigus, eſt deſtituta temperamento ipſi connaturali: ergo forma terræ induci non poteſt in materiam ignis, niſi ſit in ea magnum frigus.

Solutio: *Forma terræ induci non poteſt in materiam deſtitutam temperamento ipſi connaturali, hoc eſt ſufficienti ad ipſius introductionem*, Concedo. *connaturali, hoc eſt, omnino perfecto, & quale ab ipſa exigitur*, Nego. atqui *materia ignis, in qua non eſt ſummum frigus eſt deſtituta tempera-*

mento ipsi connaturali, hoc est, sufficienti ad eius introductionem, Nego. *hoc est non omnino perfecto, & quale ab ipsa exigitur*, Concedo.

Contrà. Formam terræ induci in materiam cum temperamento illo sufficiente, est duas formas specie diuersas habere idem temperamentum; atqui duo formæ specie diuersæ non possunt habere idem temperamentum: ergo forma terræ induci non potest cum illo temperamento non omnino perfecto, & tantum sufficiente.

Solutio: *Formam terræ inducere in materiam cum temperamento illo sufficiente, est duas formas specie diuersas habere idem temperamentum connaturale, seu omnino perfectum idem*, Nego. *temperamentum non connaturale*, Concedo. atqui *non possunt habere idem temperamentum connaturale*, Concedo. *non connaturale*, Nego.

Contrà. Forma ignis, & forma aëris non possunt habere idem temperamentum non connaturale: ergo nec forma terræ, & forma ignis.

Antecedens pr. Forma aeris non potest succedere immediatè in materiam informatam forma ignis: ergo forma ignis, & aeris non possunt habere idem temperamentum non connaturale.

Antecedens pr. Vt forma aeris succedat immediatè in materiam informatam forma ignis, debet summus calor ignis remitti; atqui forma aëris non potest remittere summum calorem ignis: ergo neque succedere immediatè in eius materiã.

Solutio: *Vt forma aëris succedat immediatè in materiam informatam forma ignis, debet summus calor ignis remitti, vel ab aere, vel ab alio agente frigido*, Concedo. *ab aere tantum*, Nego.

atqui, *aër remittere non potest calorem ignis per se solus,* Concedo. *adiutus ab alio agente frigido*, Nego. *Ratio est, quia non est necessarium vt forma aëris introducatur in materiam ignis, vt ipsamet forma aëris introducat dispositiones ad hoc necessarias; à quocunque enim introducantur æqualem habent vim ad exigendum ipsius introductionem, & ad determinandam materiam vt ab ipsa formetur.*

Obiicitur secundò contra elementa dissymbola.

Ignis, & aqua non possunt in se immediatè transmutari: ergo neque elementa dissymbola.

Minor pr. Vt aqua immediatè transmutetur in ignem debet in materiam aquæ antequam ipsa desinat, induci temperamentum requisitum ad formam ignis; atqui induci non potest in aquam antequam desinat eius forma temperamentum requisitum ad formam ignis: ergo ignis, & aqua non possunt in se immediatè transmutari.

Minor pr. Temperamentum requisitum ad formam ignis est notabilis calor, & siccitas; atqui non potest induci in aquam calor huiusmodi, & siccitas antequam ipsius forma desinat: ergo neque temperamentum requisitum ad formam ignis.

Minor pr. Vt inducatur calor notabilis, & siccitas etiam notabilis remitti debent notabiliter frigus, & humiditas aquæ; atqui frigus, & humiditas aquæ non possunt remitti notabiliter, quin forma ipsius desinat: ergo non potest induci in aquam notabilis calor, & siccitas antequam ipsius forma desinat.

Minor pr. Frigus aquæ, & humiditas non possunt remitti notabiliter, quin ponatur in ea tem-

peramentum connaturale ad formam mixti; atqui cùm in aqua est temperamentum connaturale ad formam mixti desinit ipsius forma: ergo frigus, & humiditas aquæ non possunt remitti notabiliter quin forma ipsius desinat.

Solutio: *Frigus aquæ, & humiditas remitti non possunt remissione æquali, & simultanea, quin ponatur in ea temperamentum connaturale ad formam mixti*, Concedo. *remissione inæquali, & facta diuerso tempore*, Nego. *& permissa minori*: ergo *frigus, & humiditas aquæ sine ipsius destitione non possunt notabiliter remitti remissione æquali, & simultanea*, Concedo. *remissione inæquali*, *& facta diuerso tempore*, Nego.

Contrà. Remissio illa inæqualis, & non simultanea consistit in eo, quòd humiditas expellatur, magna ex parte perseuerante adhuc frigore, & intendatur deinde calor nulla facta additione siccitati; atqui frigus aquæ, & humiditas remitti non possunt hoc modo: ergo neque remissione inæquali, & facta diuerso tempore.

Minor probatur. Vt frigus aquæ, & eius humiditas remittantur hoc modo, necessarium est, vt agens tantummodo exsiccatiuum applicetur aquæ, & deinde postquam illud abstulerit ei humiditatem agens tantùm calefactiuum; atqui agentia exsiccatiua, & calefactiua hoc modo non possunt ei applicari: ergo frigus, & humiditas aquæ non possunt remitti hoc modo.

Minor pr. Vt agens tantum exsiccatiuum, & postea calefactiuum applicentur ei hoc modo, debent esse agentia tantùm exsiccatiua, & tantum calefactiua, aut tam illa, quæ sunt valdè exsicca-

tiua, quàm quæ sunt multùm calefactiua actiua tantùm remissè admodum secundùm alias qualitates; atqui vix reperire est huiusmodi agentia: ergo agentia exsiccatiua, & calefactiua hoc modo non possunt ei applicari.

Solutio: *Neganda est minor, quia ignis v. g. est longè plus calefactiuus, quàm sit exsiccatiuus, & deinde dantur alia agentia frigida, & sicca, quæ proinde exsiccare possunt aquam, nullo modo imminuto eius frigore.*

DISPVTATIO VLTIMA.

De Mixtione, & Mixto.

MIXTIONEM propriè dictam definit Aristoteles Miscibilium alteratorum vnionem, hoc est vnionem formæ mixti cum materiis elementorum, per contrariam in se inuicem actionem destruentium proprias dispositiones, & introducentium necessarias ad formam mixti. Quod rectè dici potest corpus exigens complexionem quatuor primarum qualitatum, ad differentiam elementorum, quæ duas tantùm exigunt; hæc facilia sunt. Alia difficiliora nobis sunt examinanda. Sit ergo

SECTIO I.

An elementa ſint formaliter in Mixto.

VNICA CONCLVSIO:

Elementa non manent formaliter in mixto.

ILLVD non manet formaliter in mixto, cuius forma in eo non manet; atqui formæ elementorum non manent in mixto: ergo elementa non manent formaliter in mixto.

Minor pr. Formæ elementorum manere non poſſunt in mixto niſi integræ, vel refractæ; atqui manere non poſſunt in illo, neque integræ, neque refractæ: ergo non manent in mixto.

Secunda pars minoris probatur primò.

Illæ formæ non poſſunt manere in mixto refractæ, quæ refrangi non poſſunt; atqui formæ elementorum refrangi non poſſunt: ergo neque manere in mixto refractæ.

Minor pr. Illæ formæ refrangi non poſſunt, quæ non ſunt capaces intenſionis, & remiſſionis; atqui formæ elementorum non ſunt capaces intenſionis, & remiſſionis: ergo non poſſunt refrangi.

Minor pr. Formæ ſubſtantiales non ſunt capaces intenſionis, & remiſſionis; atqui formæ elementorum ſunt ſubſtantiales: ergo non ſunt capaces intenſionis, & remiſſionis.

Maior pr. Nulla alia forma substantialis dici potest potiùs capax remissionis, seu remitti aliquando, quàm forma aquæ cum calefit; atqui illa non remittitur: ergo formæ substantiales non sunt capaces remissionis.

Minor pr. Forma aquæ non magis dici debet cùm calefit remitti, quàm cùm deinde remoto agente contrario calefactiuo frigefit intendi; atqui cum deinde frigefit non intenditur: ergo forma aquæ cum calefit non remittitur.

Minor pr. Forma aquæ cum frigefit non potest dici deinde intendi, nisi vel à se, vel ab alio; atqui neque intenditur ab alio, neque à se: ergo forma aquæ cum frigefit non intenditur.

Prima pars minoris probatur.

Illud aliud, à quo dici potest intendi forma aquæ, non potest esse nisi agens aliquod circumstans; atqui nullum est agens circumstans, quod dici possit illam intendere: ergo non intenditur ab alio.

Minor pr. Illud non potest dici illam intendere, quod dici non potest habere vim illius producendi; atqui nullum est agens circumstans, quod habeat vim illius producendi: ergo nullum est agẽs circumstans, quod dici possit illam intendere.

Minor pr. Nullum est aliud agens circumstans, quàm aër; atqui aër non habet vim illius producendi: ergo nullum est agens circumstans, quod habeat vim illius producendi.

Secunda pars minoris superioris argumenti, quòd non intendatur à se, probatur.

Forma aquæ non magis dici potest intendere seipsam, quàm alia agentia creata; atqui alia

agentia creata non possunt seipsa intendere :ergo neque forma substantialis aquæ.

Minor pr. Non magis agentia creata intendere possunt seipsa, quàm agere in simile; atqui non possunt agere in simile: ergo neque intendere seipsa.

Maior pr. Quæ intendunt seipsa agunt in seipsa actione vniuoca; atqui agentia creata non magis agere possunt in seipsa actione vniuoca, quàm simile in simile: ergo intendere non possunt seipsa magis, quàm simile agere in simile.

Prima pars minoris superioris argumenti, formas elementorum non manere integras cum forma mixti, pr.

Formæ elementorum non possunt remanere integræ in mixto, nisi vel penetratiuè positæ, vel iuxta se positæ; atqui non possunt manere in illo, neque iuxta se positæ, neque penetratiuè: ergo non possunt manere integræ.

Secunda pars minoris probatur.

Formæ elementorum non possunt manere in mixto penetratiuè positæ, nisi simul cum sua materia, vel sine illa omnes in eadem materia, in qua est forma mixti; atqui non possunt manere penetratiuè, neque simul cum sua materia, neque sine illa omnes in materia, in qua est forma mixti: ergo non possunt manere in mixto integræ penetratiuè positæ.

Prima pars minoris probatur.

Formas elementorum esse penetratiuè in mixto simul cum sua materia, est dari naturaliter penetrationem; atqui non datur naturaliter penetratio: ergo non sunt penetratiuè in mixto cum sua materia.

Maior pr. Tunc datur penetratio, quando duæ materiæ diuersæ ponuntur penetratiuè; atqui quando formæ elementorum simul cum sua materia ponuntur penetratiuè in mixto, diuersę materiæ ponuntur penetratiuè: ergo formas elementorum esse penetratiuè in mixto simul cum sua materia, est dari naturaliter penetrationem.

Secunda pars minoris superioris argumenti, non esse in eadem materia simul cum forma mixti, pr.

Poni omnes penetratiuè in materia, in qua est forma mixti, est eamdem materiam informari simul multis formis, & valdè contrariis; atqui materia informari non potest multis formis, & valdè contrariis: ergo non possunt omnes esse penetratiuè in materia, in qua est forma mixti.

Minor pr. Materia informari non potest simul illis formis, quarum simul non est capax; atqui materia simul non est capax multarum formarum, & maximè contrariarum: ergo non potest illis informari.

Prima pars superioris argumenti, formas elementorum non manere in mixto iuxta se positas, probatur.

Formæ elementorum iuxta se positæ in se inuicem agunt; atqui formæ elementorum in mixto non agunt in se inuicem: ergo non manent in illo iuxta se positæ.

Minor pr. Formæ elementorum iuxta se positæ non possunt agere in se inuicem sine grauibus alterationibus mixti; atqui nullæ sunt tales graues alterationes mixti: ergo formæ elementorum in mixto non agunt in se inuicem.

Minor pr. Graues illæ alterationes non pos-

sunt esse in mixto, quin illas experiamur; atqui nullas eiusmodi experimur: ergo nullæ sunt.

Maior penultimi argumenti probatur.

Productiones notabiles modò frigoris, modò caloris sunt graues alterationes; atqui formæ elementorum agere non possunt in se inuicem, quin sint notabiles productiones modò frigoris, modò caloris: ergo formæ elementorum agere non possunt in se inuicem sine grauibus alterationibus.

Respondent ad antepenultimum argumentum: *Formæ elementorum iuxtà se positæ non possunt agere in se inuicem sine grauibus alterationibus, cùm eorum qualitates non sunt refractæ,* Concedo. *cùm sunt refractæ,* Nego. atqui *nullæ sunt tales graues alterationes in mixto, & in eo qualitates elementorum non sunt refractæ*, Nego. *& sunt refractæ propter famulatum quem debent exhibere formæ mixti cuius sunt formæ subseruientes, & in cuius commodum debent esse contentæ minori intensione suarum qualitatum,* Concedo.

Contrà. Formæ elementares priuatæ intensione qualitatum ipsis connaturali sunt in statu violento; atqui non debent dici esse in mixto in statu violento: ergo in mixto non debent dici esse priuatæ intensione qualitatum ipsis connaturali.

Solutio: *Formæ elementorum extra mixtum priuatæ intensione qualitatum ipsis connaturali sunt in statu violento,* Concedo. *existentes in mixto, cuius sunt formæ subseruientes, & cuius consequenter exigentiæ se debent accommodare,* Nego. Atqui *non*

debent dici esse in mixto in statu violento, hoc est, qui diceretur violentus si essent extra mixtum, Nego. *hoc est, cui etiam in coniunctione cum forma mixti repugnant,* Concedo. *Ratio autem cur non repugnent diminutioni illi suarum qualitatum, est munus quod illis incumbit deseruiendi formæ mixti, cui nocerent qualitates earum integræ.*

Contrà. Natura quæ agit omnia adeo suauiter, non est dicenda imposuisse illis formis munus quod illas priuet sæpissimè, & diutissimè intensione qualitatum ipsis connaturali, & quod faciat illas non esse substantias; atqui munus deseruiendi formæ mixti sine qualitatibus suis integris priuat illas sæpissimè, & per longissimum tempus intensione suarum qualitatum connaturali, & facit illas non esse substantias: ergo formæ elementares non debent priuatæ esse in mixto intensione qualitatum ipsis connaturali.

Secunda pars minoris patebit tractatu sequenti disputatione prima, sectione quinta, ex probatione conclusionis asserentis non dari formas partiales, & prima probatur.

Formæ elementares priuantur intensione suarum qualitatum connaturali cum sunt sub forma mixti; atqui sæpissimè, & diutissimè sunt sub forma mixti: ergo munus deseruiendi formæ mixti sine qualitatibus suis integris priuat illas sæpissimè, & per longissimum tempus intensione suarum qualitatum connaturali.

Minor pr. Tandiu, & toties formæ elementares sunt sub forma mixti, quandiu & quoties sunt mixta; atqui mixta vt patet fuêre, sunt, &

erunt per multa sæcula: ergo formæ elementares sunt sæpissimè, & diutissimè sub forma mixti.

Obiicitur. Formæ elementorum sunt verè in mixto: ergo elementa manent actu, & formaliter in mixto.

Antecedens pr. Illæ formæ verè sunt in mixtis, quæ extrahuntur ex illis; atqui formæ elementorum verè extrahuntur ex mixtis: ergo verè sunt in illis

Minor probatur. Lignum est mixtum, & formæ elementorum sunt formæ ignis, aëris, terræ, & aquæ; a qui formæ ignis, aëris, aquæ, & terræ verè extrahuntur ex ligno: ergo & ex mixtis.

Solutio: *Atqui formæ ignis, aëris, terræ, & aquæ extrahuntur ex ligno vera extractione propria, seu locali*, Nego. *extractione impropria, seu productione de nouo illarum*, Concedo. *& concessa minori*: ergo *extrahuntur etiam ex mixtis vera extractione propria, & locali*, Nego. *impropria, seu producendo illas de nouo*, Concedo.

Contrà. Illa extrahuntur ex ligno vera extractione locali, quæ sunt partes ligni; atqui istæ sunt partes ligni: ergo extrahuntur ex illo vera extractione locali.

Minor pr. Illa sunt partes ligni, quæ sunt elementa ligni; atqui istæ formæ sunt elementa ligni: ergo & eius partes.

Solutio: *Illa sunt partes ligni, quæ sunt eius elementa constitutiua*, Concedo. *non constitutiua*, Nego. atqui *istæ formæ sunt elementa ligni constitutiua*, Nego. *non constitutiua*, Concedo.

Contrà. Illa sunt verè elementa constitutiua li-

gni, ex quibus lignum componitur; atqui lignum componitur ex igne, aëre, terra, & aqua: ergo istæ formæ sunt verè elementa constitutiua ligni.

Solutio: Atqui *lignum componitur ex igne, aere, terra & aqua secundùm materiam sumptis*, Concedo. *secundùm materiam, & formam simul sumptis*, Nego. ergo *istæ formæ secundùm se sumptæ sunt elementa constitutiua ligni*, Nego. *secundùm suam materiam*, Concedo. *Illa enim verè constituit mixta postquam d sit forma elementaris.*

Contrà. Ignis, aër, aqua, & terra alio modo debent esse constitutiua ligni, quàm sint sui inuicem, aut vnum mixtum alterius; atqui elementa sunt sui inuicem constitutiua secundùm materiam, & vnum etiam mixtum alterius: ergo ignis, aër, terra, & aqua non sunt constitutiua ligni tantùm secundùm materiam.

Minor pr. Illa elementa sunt constitutiua sui secundùm materiam, & vnum mixtum alterius, quæ in se inuicem transmutantur; atqui elementa in se inuicem transmutantur, & vnum mixtum in aliud: ergo sunt constitutiua sui secundùm materiam.

Solutio: *Illa elementa sunt constitutiua sui secundùm materiam, quæ in se inuicem transmutantur, si materia dici possit esse magis propria vnius ex illis quàm alterius*, Concedo. *si non possit dici magis propria vnius, quàm alterius*, Nego. atqui *elementa in se inuicem transmutantur, & materia dici potest magis propria vnius, quàm alterius*, Nego. *& non potest dici magis propria*, Concedo.

Contrà. Cum elementum transmutatur in mixtum, materia non potest dici magis propria elementi illius, quàm mixti; atqui elementum illud ex concessis est constitutiuum secundum materiam illius mixti: ergo vt elementum sit constitutiuum alterius secundum materiam, materia non debet dici magis propria vnius, quàm alterius.

Maior pr. Ideo tantum materia illius elementi dici potest illius magis propria, quàm mixti, quia mixtum illam ab eo accipit; atqui cum vnum elementum transmutatur in aliud accipit materiam ab alio: ergo cum elementum transmutatur in mixtum, materia non potest dici magis propria illius elementi quàm mixti.

Solutio: *Neganda est maior. Ratio est, quia ideo materia dicitur magis propria, & potiùs pertinere ad elementum, quàm ad mixta, quia primò fuit condita sub formis elementorum, & deinde communicata mixtis per expulsionem formæ elementaris.*

* *
* * *

SECTIO

SECTIO II.

Quid, & quotuplex sit temperamentum mixtum.

PRIMA CONCLVSIO:

Temperamentum est collectio quatuor primarum qualitatum.

TEMPERAMENTVM debet esse collectio quatuor primarum qualitatum, vel vna simplex; atqui non est vna simplex qualitas: ergo est collectio quatuor primarum qualitatum.

Minor pr. Illa simplex qualitas debet resultare ex primarum interitu, vel illis esse superaddita; atqui neque resultat ex primarum interitu, neque est illis superaddita: ergo temperamentum non est vna simplex qualitas.

Prima pars minoris probatur.

Illa qualitas resultare non potest ex primarum interitu, quin illæ pereant; atqui primæ qualitates non pereunt: ergo illa qualitas non resultat ex illarum interitu.

Minor pr. Illæ qualitates non pereunt, quæ efficiunt sui sensationem; atqui primæ qualitates efficiunt sui sensationem in mixto: ergo non pereunt.

Minor pr. Illæ qualitates efficiunt sui sensa-

tionem, quæ sentiuntur in mixto; atqui primæ qualitates sentiuntur in mixto: ergo efficiunt sui s n `itionem.

Minor pr. Fertum est mixtum; atqui frigus eius, & aliæ primæ qualitates sentiuntur à manu illud tangente: ergo primæ qualitates sentiuntur in mixto.

Secunda pars minoris superioris argumenti, qualitatem illam simplicem non esse superadditam primis, probatur.

Non est admittenda qualitas superflua; atqui qualitas superaddita quatuor primis est superflua: ergo non est admittenda qualitas quatuor primis superaddita.

Minor pr. Illa qualitas est superflua, sine qua præstari possunt, quæ dicuntur per ipsam fieri; atqui sine ista qualitate superaddita primis præstari possunt, quæ debent per ipsam fieri: ergo qualitas superaddita quatuor primis est superflua.

Minor pr. Effectus, qui tribuuntur illi qualitati, & per ipsam dicuntur præstari, sunt calefactio, frigefactio, exsiccatio, & humefactio; atqui calefactio, frigefactio, exsiccatio, & humefactio præstari possunt à quatuor primis qualitatibus: ergo sine ista qualitate superaddita præstari possunt, quæ dicuntur fieri per ipsam.

Minor pr. Calefactio, frigefactio, exsiccatio, & humefactio præstari possunt ab iis, quæ possunt calefacere, frigefacere exsiccare, & humefacere; atqui primæ qualitates calefacere possunt, frigefacere, exsiccare, & humefacere: ergo calefactio, frigefactio, exsiccatio, & humefa-

ctio præstari possunt à primis qualitatibus.

Obiicies. Sanitas est temperamentum; atqui sanitas non est complexio quatuor primarum qualitatum: ergo temperamentum non est collectio quatuor primarum qualitatum.

Minor pr. Sanitati, & quatuor primis qualitatibus conueniunt prædicata contradictoria: ergo sanitas distinguitur à quatuor primis qualitatibus.

Antecedens pr. Esse positum in indiuisibili proportione, & non esse positum in indiuisibili proportione, sunt prædicata contradictoria; atqui esse positum in indiuisibili proportione conuenit sanitati, & non esse positum in indiuisibili proportione conuenit quatuor primis qualitatibus: ergo sanitati, & quatuor primis qualitatibus conueniunt prædicata contradictoria.

Solutio: Atqui *esse positum in indiuisibili proportione conuenit sanitati perfectissimæ, & ad amussim, ac mathematicè sumptæ*, Concedo. *sanitati moraliter sumptæ*, Nego. *& non esse positum in indiuisibili proportione conuenit quatuor primis qualitatibus secundum se sumptis, aut prout constituunt sanitatem moraliter sumptam*, Concedo. *prout constituunt sanitatem perfectissimam, & ad amussim, ac mathematicè sumptam*, Nego. *& eodem modo distinguendum est consequens.*

Contrà. Quatuor primæ qualitates quomodocumque sumantur non possunt dici constituere sanitatem mathematicè sumptam: ergo nulla solutio.

Minor probatur. Iis, quæ constituunt sanita-

tem mathematicè ſumptam nihil conuenire debet, quod non conueniat ſanitati mathematicè ſumptæ; atqui quatuor primis qualitatibus quocunque modo ſumantur conuenit aliquid, quod non conuenit ſanitati mathematicè ſumptæ: ergo quatuor primæ qualitates quomodocunque ſumantur non conſtituunt ſanitatem mathematicè ſumptam.

Minor probatur. Quatuor primis qualitatibus quocunque modo ſumantur conuenit ferè continuò mutari; atqui hoc non conuenit ſanitati mathematicè ſumptæ: ergo conuenit aliquid primis qualitatibus quod non conuenit ſanitati mathematicè ſumptæ.

Minor probatur. Illi non conuenit ferè continuò mutari, quod manet idem multos annos; atqui ſanitas mathematicè ſumpta manet eadem ſæpè multos annos: ergo non conuenit ferè continuò mutari ſanitati mathematicè ſumptæ.

Minor probatur. Tandiu manet ſanitas Petri v. g. mathematicè ſumpta, quandiu ille non ægrotat, & in eo non eſt morbus; atqui ſæpè per multos annos non ægrotat, & in eo nullus eſt morbus: ergo ſanitas mathematicè ſumpta manet eadem multos annos.

Maior pr. Tandiu manet ſanitas Petri mathematicè ſumpta, quandiu in eo nihil eſt, quod ſit ei contrarium; atqui cùm non eſt in Petro morbus, nihil eſt contrarium ſanitati mathematicè ſumptæ: ergo tandiu manet ſanitas Petri mathematicè ſumpta, quandiu ille non ægrotat, & in eo non eſt morbus.

Minor pr. Cùm non est in Petro morbus, nihil est, quod opponatur sanitati eius mathematicè sumptæ: ergo cùm non est in Petro morbus, nihil est contrarium eius sanitati mathematicè sumptæ.

Solutio: *Negandum est antecedens, quia id, quod opponitur sanitati mathematicè sumptæ est leuissima quæque intemperies, quæ ex communi medicorum sensu non est morbus, sed ea tantùm, quam ipsi suscipiunt curandam, grauis scilicet, & quæ impedire solet notabiliter functiones animalis.*

SECVNDA CONCLVSIO:

Mixtum inanimatum potest habere temperamentum ad pondus in omnibus suis partibus.

TEMPERAMENTVM ad pondus, est illud, in quo primæ qualitates sunt omnes in pari gradu intensionis; atqui mixtum inanimatum habere potest primas qualitates in pari gradu intensionis in omnibus suis partibus: ergo mixtum inanimatum habere potest temperamentum ad pondus in omnibus suis partibus.

Minor pr. Primæ qualitates in pari gradu intensionis sunt v. g. quatuor gradus caloris, & quatuor frigoris, quatuor humiditatis, & quatuor siccitatis; atqui mixtum inanimatum habere potest in omnibus suis partibus quatuor gradus caloris, & quatuor frigoris, quatuor humiditatis, & quatuor siccitatis: ergo mixtum inani-

matum habere poteſt primas qualitates in pari gradu intenſionis.

Minor pr. Vt mixtum inanimatum habere poſſit in omnibus ſuis partibus quatuor gradus frigoris, & quatuor caloris, quatuor humiditatis, & quatuor ſiccitatis, nihil aliud requiritur, quàm vt ipſum eos exigere poſſit, & ipſi non ſint incompoſſibiles; atqui mixtum inanimatum eos exigere poteſt, & ipſi ſunt compoſſibiles: ergo mixtum inanimatum habere poteſt quatuor gradus caloris, & frigoris, quatuor humiditatis, & quatuor ſiccitatis in omnibus ſuis partibus.

Prima pars minoris probatur.

Nulla eſt implicantia vt mixtum inanimatum exigat quatuor gradus caloris, & quatuor frigoris, quatuor humiditatis, & quatuor ſiccitatis: ergo mixtum inanimatum poteſt eos exigere.

Secunda pars minoris præcedentis argumenti probatur.

Gradus caloris, & frigoris, humiditatis, & ſiccitatis remiſſi ſunt compoſſibiles; atqui quatuor caloris, & quatuor frigoris, quatuor humiditatis, & ſiccitatis ſunt remiſſi: ergo ſunt compoſſibiles.

Minor pr. Illi gradus ſunt remiſſi, qui non excedunt latitudinem octo graduum; atqui quatuor caloris, & quatuor frigoris, quatuor humiditatis, & quatuor ſiccitatis non excedunt huiuſmodi latitudinem: ergo quatuor caloris, & quatuor frigoris, quatuor humiditatis, & quatuor ſiccitatis ſunt remiſſi.

Minor pr. Illi gradus non excedunt latitudinem octo graduum, qui faciunt tantùm nume-

rum octonarium; atqui quatuor caloris, & quatuor frigoris faciunt tantùm numerum octonarium: ego non excedunt latitudinem octo graduum.

Obiiciunt. Quod habet temperamentum, in quo prædominatur aliqua prima qualitas non habet temperamentum ad pondus; atqui mixtum inanimatum habere debet temperamentum, in quo prædominetur aliqua prima qualitas: ergo mixtum inanimatum non potest habere temperamentum ad pondus.

Minor pr. Illud, in quo prædominari debet aliquod elementum, habere debet temperamentum, in quo prædominetur aliqua prima qualitas; atqui in mixto inanimato prædominari debet aliquod elementum: ergo mixtum inanimatum habere debet temperamentum, in quo prædominetur aliqua prima qualitas.

Minor pr. Illud in quo nullum prædominatur elementum non potest esse in loco; atqui mixtum inanimatum debet esse in loco: ergo in mixto inanimato prædominari debet aliquod elementum.

Solutio: *Illud, in quo nullum prædominatur elementum secundum grauitatem, aut leuitatem non potest esse in loco*, Concedo. *secundum aliquam primam qualitatem*, Nego. *& concessa minori: ergo in mixto inanimato prædominari debet aliquod elementum secundum grauitatem, aut leuitatem*, Concedo. *secundum aliquam primam qualitatem*, Nego. *Ratio est, quia per qualitates primas res non habet vt sit in loco, sed per grauitatem, aut leuitatem.*

Contrà. Quod non poteſt habere eſſe, non poteſt eſſe in loco; atqui mixtum inanimatum in quo nullum prædominatur elementum ſecundùm aliquam primam qualitatem, non poteſt habere eſſe: ergo mixtum inanimatum, in quo nullum prædominatur elementum ſecundùm aliquam primam qualitatem, non poteſt eſſe in loco.

Minor pr. Quod eſt impoſſibile non poteſt habere eſſe; atqui mixtum inanimatum, in quo nullum prædominatur elementum ſecundùm aliquam primam qualitatem, eſt impoſſibile: ergo mixtum inanimatum, in quo nullum prædominatur elementum ſecundùm aliquam primam qualitatem, non poteſt habere eſſe.

Minor pr. Quod eſt corruptibile ab intrinſeco, & non eſt corruptibile ab intrinſeco, eſt impoſſibile; atqui mixtum inanimatum, in quo nullum prædominatur elementum ſecundùm aliquam primam qualitatem, eſt corruptibile ab intrinſeco, & non eſt corruptibile ab intrinſeco: ergo mixtum inanimatum, in quo nullum prædominatur elementum ſecundùm aliquam primam qualitatem, eſt impoſſibile.

Prima pars minoris, ſecundam enim non negant aduerſarij, probatur.

Illud eſt corruptibile ab intrinſeco, quod eſt mixtum; atqui mixtum inanimatum eſt verè mixtum: ergo mixtum inanimatum eſt verè corruptibile ab intrinſeco.

Solutio: *Illud eſt corruptibile ab intrinſeco, quod ex mixtum animatum, & viuens,* Concedo. *inanimatum, & non viuens,* Nego. atqui *mixtum inanimatum eſt verè mixtum viuens, & animatum,*

Nego. *non viuens, & inanime,* Concedo. *Ratio distinctionis est, quia cùm mixtum inanimatum habere non debeat partes heterogeneas sicut animatum, non est vnde possit timere periculum destructionis ab intrinseco, seu prouenientis ex pugna vnius partis in aliam. Cum enim omnes sint similes, vna agere non potest in aliam, quin simile agat in simile, quod est impossibile naturaliter.*

Tertia Conclvsio:

Mixtum animatum habere non potest temperamentum ad pondus in omnibus suis partibus.

Qvod habet partem vnam magis calidam alia, & aliam magis humidam altera, non habet temperamentum ad pondus; atqui mixtum animatum habet partem vnam magis calidam, aut humidam alia: ergo mixtum animatum non habet temperamentum ad pondus.

Minor pr. Quod habet partes heterogeneas habet partem vnam magis calidam, & humidam alia, aut contrà; atqui mixtum animatum habet partes heterogeneas: ergo mixtum animatum habet partem vnam magis calidam, aut humidam alia, & contrà.

Minor pr. Quod est corpus organicum habet partes heterogeneas; atqui viuens est corpus organicum: ergo habet partes heterogeneas.

QVARTA CONCLVSIO:

Mixtum animatum habere potest temperamentum ad pondus in aliqua sui parte.

VNICA ratio cur repugnet mixtum animatum habere temperamentum ad pondus in omnibus suis partibus, est, quia illæ debent esse heterogeneæ; atqui vna sola non potest dici heterogenea: ergo mixtum animatum habere potest temperamentum ad pondus in aliqua sui parte.

Obiicitur. Temperamentum ad pondus est illud, in quo omnes primæ qualitates sunt in æquali gradu intensionis; atqui in nulla parte mixti animati possunt esse primæ qualitates in pari gradu intensionis: ergo mixtum animatum habere non potest temperamentum ad pondus in vlla sui parte.

Minor pr. Pars illa mixti debet esse, vel pars aliqua manus, vel pedis, &c. atqui non potest esse neque pars manus, neque pedis, &c. ergo in nulla parte mixti possunt esse primæ qualitates in pari gradu intensionis.

Minor pr. Partes circumstantes illam partem manus debent necessario habere easdem qualitates in pari gradu intensionis, vel inæquali; atqui neutrum dici potest: ergo pars illa non potest esse pars manus, neque pedis.

Respondeo *habere illas in inæquali gradu intensionis.*

Contrà. Partes circumstantes inæqualis inten-

stionis faciunt illam etiam esse inæqualis intensionis; atqui illa non est ex suppositione inæqualis intensionis: ergo partes circumstantes non habent easdem qualitates in inæquali gradu intensionis.

Maior pr. Partes circumstantes inæqualis intensionis in illam agunt; atqui non possunt agere in illam, quin illam faciant esse inæqualis intensionis: ergo partes circumstantes inæqualis intensionis faciunt illam etiam esse inæqualis intensionis.

Maior pr. Vt partes circumstantes inæqualis intensionis in illam agant, nihil est aliud necessarium, quàm vt sint illi applicatæ, & sit inter illas dissimilitudo; atqui sunt applicatæ, & est inter illas dissimilitudo: ergo partes circumstantes inæqualis intensionis in illam agunt.

Solutio: *Vt partes circumstantes inæqualis intensionis in illam agant, nihil aliud est necessarium, quàm vt sint illi applicatæ, & sit inter illas dissimilitudo si non sit agens obsistens illarum actioni, & contrarium virtuale resistens.*, Concedo. *si sit agens obsistens, & contrarium virtuale resistens*, Nego. Atqui *sunt applicatæ, & est inter illas dissimilitudo, & non est agens obsistens illarum actioni, & contrarium virtuale resistens*, Nego. *& est agens obsistens, & contrarium virtuale resistens*, Concedo. *Agens obsistens sunt aliæ partes circumstantes. Neque enim credendum est, quòd si vna pars circumstans sit calidior, aliæ quoque sint calidiores, possunt enim esse frigidiores, & sic se mutuò impedire ne agant in illam. Quis enim neget posse ita componi partem calidiorem cum fri-*

gidiori, vt neutri in alterutram, aut intermediam non magis frigidam, quàm calidam debeatur actio, maximè si sit contrarium virtuale obsistens vtriusque actioni, quale est in casu nostro anima, quæ cùm exigat in illa parte æqualitatem vtriusque huius contrariæ qualitatis, debetur ei aliquo modo vt neutrius ponatur excessus, quamdiu agentia applicata non multum præualent.

TRACTATVS VI.

ET VLTIMVS

PHYSICVS.

DE ANIMA.

PRÆCIPVA pars Physicæ illa est iudicio omnium, quæ agit de Anima. Multa illa, & varia, quæ de ea examinabimus hoc tractatu, partiemur in quatuor disputationes. In prima, quæ erit de Anima in communi, inquirendum nobis erit quid sit, & quotuplex? quid eius informatio? quas partes informet? an sit diuisibilis? an indiuisibilis? an multiplex in eodem viuente? an in eodem secum compatiatur alias formas? & an potentiæ eius distinguantur ab ipsa realiter. In secunda de Anima vegetatiua, explicabimus quomodo fiat nutritio, & quid sit sentiendum de augmentatione & formatione fœtus. In tertia de Anima sensitiua, agemus de pertinen-

tibus ad ſenſus externos, tum in communi, tum in particulari, & de ſenſu interno, & appetitu. Ac tandem in quarta de Anima rationali, explicata eius natura, proſequemur quæ ſunt propria intellectus ipſius & voluntatis.

DISPVTATIO I.

De Anima in communi, & eius potentiis.

SECTIO PRIMA.

Quid ſit anima, & viuens.

DEFINITIONEM Ariſtotelicam animæ: *Actus primus corporis organici, ſeu potentia vitam habentis*, legitimam eſſe nemo inficiatur. An autem organizatio illa debeat eſſe neceſſariò ſubſtantialis? an ſufficiat accidentalis? declarabit quæ ſequitur

* * *
* *

Prima Conclusio:

Nomine corporis organici non est necessarium, vt intelligatur alia organizatio, quàm accidentalis.

Nomine corporis organici non est necessarium, vt intelligatur organizatio alia, quàm ea, quæ sufficienter distinguit animam ab aliis formis; atqui accidentalis illam sufficienter distinguit ab aliis formis: ergo non est necessarium, vt nomine corporis organici intelligatur alia organizatio, quàm accidentalis.

Minor probatur. Illud sufficienter distinguit animam ab aliis formis, quod illi conuenit, istis verò nullô modo; atqui exigere organizationem accidentalem in materia conuenit animæ, aliis verò formis nullo modo: ergo organizatio accidentalis sufficienter distinguit animam ab aliis formis.

Prima pars minoris clara est, & secunda probatur.

Organizatio accidentalis est dispositiones necessariæ in materia ad vnionem cum forma viuente, & exercitium operationum vitalium; atqui exigere huiusmadi dispositiones non conuenit aliis formis: ergo neque exigere organizationem accidentalem.

Minor probatur. Formæ non viuentes non exigunt dispositiones ipsis dissentaneas, aut inutiles; atqui dispositiones necessariæ in materia

ta substantiali, *& exercitium operationum vitalium*, Concedo. *& deinde ad minorem*; atqui *formæ embryonis*, *cadaueris*, *iaspidis*, *&c. exigunt diuersitatem quamcunque*, *seu inchoatam accidentium*, *figuræ verbi gratia*, *coloris*, *&c.* Concedo. *perfectam*, *& sufficientem ad vnionem cum vita substantiali*, *& exercitium operationum vitalium*, Nego. *Organizatio significata per corpus organicum in definitione animæ*, *non est quæcunque diuersitas accidentium in diuersis partibus materiæ*, *sed tantum illa*, *quæ est sufficiens ad introductionem vitæ substantialis*, *vt clarè patet ex Aristotele*, *qui pro eodem sumit organicum*, *& potentia vitam habens*, *sic enim habet*, *Organicum*, *seu potentia vitam habens.*

Contrà. Organizatio est forma constitutiua corporis organici; atqui diuersitas accidentium etiam perfectissima non est forma constitutiua corporis organici : ergo organizatio non est diuersitas accidentium etiam perfectissima.

Minor probatur. Forma constitutiua corporis organici est de essentia hominis; atqui non modò diuersitas accidentium etiam perfectissima, seu plura accidentia, sed nullum planè accidens est de essentia hominis : ergo diuersitas accidentium non est forma constitutiua corporis organici.

Maior probatur. Corpus organicum est altera pars essentiæ hominis : ergo forma constitutiua corporis organici est de essentia hominis.

Solutio : *Corpus organicum secundùm id, quod dicit in recto, est altera pars essentiæ hominis,* Concedo. *secundùm id, quod dicit in obliquo,* Nego. *Corpus organicum in recto dicit materiam, & in obliquo diuersitatem accidentium perfectam, & sufficientem ad introductionem animæ. Illa est de essentia hominis, ista verò nullo modo.*

Contrà. Quidquid dicit corpus organicum, siue in recto, siue in obliquo est pars essentiæ hominis: ergo nulla solutio.

Antecedens probatur. Compars hominis est pars essentiæ ipsius; atqui corpus organicum est compars hominis secundùm id, quod dicit in recto, & in obliquo: ergo quidquid dicit corpus organicum, siue in recto, siue in obliquo est pars essentiæ hominis.

Minor probatur. Corpus organicum non est compars hominis secundùm id tantùm, quod dicit in recto: ergo est compars hominis secundùm id, quod dicit in recto, & in obliquo.

Antecedens pr. Corpus organicum nihil aliud dicit in recto, quàm materiam; atqui non est compars hominis secundùm solam materiam: ergo non est compars hominis secundùm id tantùm, quod dicit in recto.

Minor pr. Compars altera hominis simul cum anima constituit hominem; atqui sola materia simul cum anima non constituit hominem: ergo sola materia non est compars hominis.

Minor pr. Anima rationalis vnita materiæ lapidis v.g. denudatæ omnibus planè dispositioni-

bus non est homo : ergo materia sola simul cum anima non constituit hominem.

Solutio : *Anima rationalis vnita materiæ lapidis, v.g. denudatæ omnibus dispositionibus, non est homo in statu connaturali positus,* Concedo. *non est homo essentialiter sumptus,* Nego.

Contrà. Illud totum non potest dici homo essentialiter sumptus, quod non constat corpore; atqui totum resultans ex anima rationali, & materia denudata omnibus dispositionibus non constat corpore: ergo anima rationalis vnita materiæ denudatæ omnibus dispositionibus non est essentialiter homo.

Minor pr. Nuda materia non est corpus; atqui totum illud constat nuda materia: ergo non constat corpore.

Solutio : *Materia nuda, hoc est, non habens, neque exigens organizationem non est corpus,* Concedo. *hoc est, non habens quidem organizationem de facto, illam tamen exigens,* Nego. atqui *totum illud constat materia nuda, hoc est, non habente de facto organizationem,* Concedo. *non exigente illam,* Nego. *De ratione corporis est tantum, vt materia, quam dicit in recto habeat de facto vel exigat habere organizationem, quod sine dubio faceret materia illa nuda, cui coniuncta esset anima rationalis. Ratione enim istius hoc esset ei debitum.*

Contrà. Materia non habens de facto organizationem quantumcunque illam exigat, non est corpus Christi : ergo neque vllius alterius hominis.

Antecedens pr. Illud non est corpus Christi,

quod non sufficit ad verificanda verba consecrationis panis; atqui materia non habens de facto organizationem quantumcunque illam exigat, non sufficit ad verificanda verba consecrationis panis: ergo materia non habens de facto organizationem quantumcunque illam exigat, non est corpus Christi.

Minor pr. Exigentia organizationis in materia prouenit tota ab anima, seu est ipsa anima; atqui ad verificanda verba consecrationis panis non debet intelligi anima: ergo materia non habens de facto organizationem quantumcunque illam exigat, non sufficit ad verificanda verba consecrationis.

Minor pr. Quod requiritur in materia ad verificanda verba consecrationis ponitur vi verborum, & non tantùm per concomitantiam; atqui anima Christi ex Tridentino non ponitur vi verborum, sed tantùm per concomitantiam: ergo ad verificanda verba consecrationis, non debet intelligi anima.

Solutio: *Distinguendum est antepenultimum argumentum. Illud non est corpus Christi absolutè sumptum, quod non sufficit ad verificanda verba consecrationis panis*, Nego. *illud non est corpus Christi, quale intendebat Christus significare cùm protulit verba illa & voluit proferri à sacerdotibus*, Concedo. *& concessa minori*: ergo *materia non habens organizationem quantumcumque illam exigat, non est corpus* Christi *absolutè sumptum*, Nego. *quale Christus intendebat significare cùm protulit verba consecratoria, & vidit proferenda à successoribus*, Concedo. *Christus cùm consecrauit intendit tantùm signi-*

ficare corpus suum habens de facto organizationem. Cùm enim apprimè sciret nunquam proferenda verba consecratoria in circumstantiis, in quibus corpus suum careret actuali organizatione, non habemus fundamentum dicendi voluisse extendere significationem illorum verborum ad circumstantias, in quibus eam non haberet. Nullæ siquidem huiusmodi futuræ sunt.

Contrà. Christus non minùs dicendus est intendisse per illa verba significare exigens organizationem, licèt illam non habeat, quàm exigens actualem extensionem casu, quo illa careat; atqui intendit significare per illa verba exigens actualem extensionem, & non tantùm de facto illam habens: ergo Christus intendit significare per illa verba exigens organizationem, & non tantùm illam de facto habens.

Solutio: *Neganda est maior. Ratio disparitatis est, quia videbat* Christus *corpus suum ferè semper privandum actuali extensione, retenturum verò semper actualem organizationem, & consequenter illam noluit significare, istam verò maximè.*

SECVNDA CONCLVSIO:

Viuens generalissimè sumptum, est id, quod non habet ab alio suas perfectiones citra emanationem.

OMNIA non viuentia habent ab alio suas perfectiones citra emanationem, & nullum est viuens quod illas eo modo habeat: ergo viuens generalissimè sumptum, est id, quod non habet ab alio suas perfectiones citra emanationem.

Prima pars antecedentis probatur, secunda enim inductione facilè constabit.

Perfectio citra emanationem est illa, quæ non est ad obtinendum, aut retinendum locum debitum, & se habet ad modum alicuius transeuntis non autem proprietatis, aut habitualiter perseuerantis, & ignis, aqua, lapis sunt non viuentia; atqui ignis, aqua, lapis, & reliqua similia habent ab alio perfectiones, quæ non sunt ad obtinendum, & retinendum locum debitum, aut non se habent per modum proprietatis, & alicuius habitualiter perseuerantis: ergo omnia non viuentia habent ab alio suas perfectiones citra emanationem.

Minor pr. Ignis, aqua, lapis, & reliqua similia, cum sunt in proprio loco, & habent ea quæ ipsis debentur per modum proprietatis, nihil aliud planè in se producunt: ergo ignis, aqua, lapis, & reliqua similia habent ab alio perfectiones, quæ non sunt ad obtinendum, aut retinen-

dum locum debitum, aut non se habent per modum proprietatis.

Obiicies. Viuens non benè definitur per negationem, & aliquid negatiuum; atqui non habere ab alio suas perfectiones, est aliquid negatiuum: ergo viuens malè dicitur esse id, quod non habet ab alio suas perfectiones citra emanationem.

Solutio: *Viuens non bene d finitur per aliquid merè negatiuum,* Concedo. *per aliquid non merè negatiuum, sed supponens aliud positiuum,* Nego. *Huiusmodi enim aliæ d finitiones vt legitimæ admittuntur, vt illa substantiæ. Quod non habet aliam sui priorem radicem: illa etiam spiritalis, quòd non habet vllam dependentiam à re impenetrabili;* atqui *non habere ab alio suas perfectiones, est aliquid merè negatiuum,* Nego. *non merè negatiuum, sed supponens aliquid positiuum,* Concedo. *supponit enim perfectiones illas magnas, quæ non agnoscunt alienum principium, & extraneum.*

Contrà. Positiuum illud, quod supponitur ab illo negatiuo excludit ab operatione vitali quidquid est per emanationem; atqui quæ sunt per emanationem sunt operatio vitalis: ergo viuens malè dicitur esse aliquid negatiuum quantumcunque supponat aliud positiuum.

Minor pr. Intellectio diuina est per emanationem; atqui est verè operatio vitalis: ergo quę sunt per emanationem sunt operatio vitalis.

Maior pr. Quidquid est debitum vi primæ generationis est per emanationem; atqui intellectio diuina debetur Deo vi primæ generationis:

ergo intellectio diuina est per emanationem.

Solutio: *Quidquid est debitum vi primæ generationis est per emanationem, si fiat, & sit terminus actionis, quæ dicitur emanatio,* Concedo. *si non fiat, & non sit terminus actionis, quæ dicitur emanatio,* Nego. atqui *intellectio diuina debetur Deo vi primæ generationis, & fit, seu est terminus ullius actionis,* Nego. *& non fit, neque est terminus ullius actionis,* Concedo.

Contrà. Quod est debitum vi primæ generationis, & fit, est per emanationem ex concessis; atqui aliquid huiusmodi est operatio vitalis: ergo quæ sunt per emanationem sunt operatio vitalis.

Minor pr. Cognitio sui in Angelo est ei debita, aut potest esse, quod perinde est ad præsens negotium, ex vi primæ generationis, & præterea verè fit; atqui est verè operatio vitalis: ergo aliquid, quod est debitum ex vi primæ generationis, & verè fit, est operatio vitalis.

Solutio: *Cognitio sui in Angelo, est ei debita ex vi primæ generationis, & præterea verè fit, & se habet per modum radicis,* Nego. *& non se habet per modum radicis,* Concedo. *& concessa minori: ergo aliquid, quod est debitum ex vi primæ generationis, & verè fit, est operatio vitalis, si se habeat per modum radicis,* Nego. *si non se habeat per modum radicis, sed alicuius quasi transeuntis,* Concedo.

Contrà. Terminus aggenerationis non est per emanationem, sed verè citra illam, & propriissimè operatio vitalis; atqui habet se per modum radicis; ergo quod se habet per modum radicis, non

non est per emanationem.

Solutio: Atqui *habet se per modum radicis, & est debitus ex vi primæ generationis*, Nego. *& non est debitus ex vi primæ generationis*, Concedo. ergo *quod se habet per modum radicis non est per emanationem; si sit debitum ex vi primæ generationis, & verè fiat*, Nego. *si non sit debitum ex vi primæ generationis, aut non verè fiat*, Concedo. *Ad emanationem enim requiruntur tria simul sumpta, primum est esse debitum ex vi primæ generationis, secundum verè fieri, & tertium habere se per modum radicis.*

Contrà. In Deo gradus asseitatis, spiritus, substantiæ, &c. non habent tria assignata; atqui sunt per emanationem: ergo ad hoc, vt aliquid sit per emanationem non requiruntur illa tria simul sumpta.

Minor pr. Quod non est citra emanationem est per emanationem; atqui gradus spiritus, substantiæ, asseitatis, &c. non sunt citra emanationem: ergo sunt per emanationem.

Minor pr. Quod est citra emanationem est operatio vitalis; atqui gradus illi non sunt operatio vitalis: ergo non sunt citra emanationem.

Solutio: *Quod est citra emanationem est operatio vitalis, si sonet operationem, aut quasi operationem, aut huius terminum*, Concedo. *si non sonet vllo modo operationem, nec eius terminum*, Nego. atqui *gradus illi non sunt operatio vitalis, & sonant operationem, aut eius terminum*, Nego. *& non sonant operationem, nec quasi operationem*, Concedo. *Vt aliquid dici posit operatio vitalis, necessarium est, vt de illo dici posit, quòd sit opera-*

tio, aut quasi operatio, species enim conuenire non potest ei, cui non conuenit genus. Operatio autem vitalis est species operationis in genere, & gradus illi non sunt operatio, sed eius principium. Per perfectiones autem citra emanationem non intelligimus earum principia, seu primarias, & radicales perfectiones, sed secundarias, & quæ ad istas consequuntur, aut quasi consequuntur. Intendimus enim tantùm distinguere istas primarias, ab aliis etiam primariis, ex eo, quòd non habeant ab alio secundarias, & quæ non sunt per emanationem, vt habent istæ aliæ. Primis donamus nomen vitalis principii, & perfectionibus ipsas consequentibus operationis vitalis. Alias verò appellamus principia non vitalia, & operationes non vitales, per hoc enim, quòd illæ primariæ habeant se modo explicato, intelligimus sufficienter illas esse vitales, & principia viuentia, alias verò, quibus idem non conuenit, esse principia mortua.

SECTIO II.

Quotuplex sit anima.

VNICA CONCLVSIO:

Bona est diuisio animæ in vegetatiuam, sensitiuam, & rationalem.

ANIMA vegetatiua, sensitiua, & rationalis distinguuntur, participant, & exhauriunt ani-

mam:ergo anima benè diuiditur in vegetatiua m sensitiuam, & rationalem.

Prima pars antecedentis intelligetur facilè ex probatione aliarum, & secunda, quòd participent animam, probatur.

Illa participant animam, quibus conuenit, quod conuenit animæ; atqui animæ vegetatiuæ, sensitiuæ, & rationali conuenit, quod conuenit animæ: ergo anima vegetatiua, sensitiua, & rationalis participant animam.

Minor pr. Animæ conuenit esse principium se actuandi, ac perficiendi se in proprio loco citra emanationem; atqui hoc conuenit animæ vegetatiuæ, sensitiuæ, & rationali: ergo animæ vegetatiuæ, sensitiuæ, & rationali conuenit, quod conuenit animæ.

Minor pr. Illis conuenit esse principium se actuandi, ac perficiendi citra emanationem, quæ sunt principium nutritionis per intussusceptionem, cognitionis materialis, aut immaterialis; atqui anima vegetatiua est principium nutritionis per intussusceptionem, sensitiua cognitionis materialis, & rationalis cognitionis immaterialis: ergo animæ vegetatiuæ, sensitiuæ, & rationali conuenit esse principium nutritionis per intussusceptionem cognitionis materialis, aut immaterialis.

Tertia pars antecedentis superioris argumenti, exhaurire animam, probatur.

Illa exhauriunt animam, quæ continent quidquid anima; atqui vegetatiua, sensitiua, & rationalis continent quidquid anima: ergo illam exhauriunt.

Minor pr. Anima nihil est aliud, quàm incompletum principium agendi in se, in proprio loco citra emanationem; atqui vegetatiua, sensitiua, & rationalis continent omne principium incompletum agendi in se, in proprio loco citra emanationem: ergo & quidquid anima.

Minor pr. Nullum est principium incompletum agendi in se, in proprio loco citra emanationem, nisi illud, quod agit in se, se nutriendo, & augendo, vel producendo cognitionem, & appetitionem materialem, vel cognitionem, & appetitionem immaterialem, & spiritalem; atqui vegetatiua continet principium agendi in se, se nutriendo, & augendo, & sensitiua principium producendi in se cognitionem, & appetitionem materialem, ac tandem rationalis principium producendi in se cognitionem, & volitionem immaterialem: ergo etiam continent omne principium incompletum agendi in se, in proprio loco citra emanationem.

Obiicies. Anima vegetatiua, & sensitiua non participant animam: ergo non sunt eius membra diuidentia.

Prima pars antecedentis probatur.

Anima vegetatiua ideo tantùm dici potest participare animam, quia est principium nutritionis; atqui non sufficit, vt aliquid participet animam, vt sit principium nutritionis: ergo non participat animam.

Minor pr. Forma ignis est principium nutritionis; atqui forma ignis non participat animam: ergo non sufficit esse principium nutritionis, vt aliquid participet animam.

Maior pr. Illud eſt principium nutritionis, quod nutritur, & cui Ariſtoteles conuenire dicit nutritionem; atqui ignis nutritur, & Ariſtoteles dicit illi conuenire nutritionem: ergo forma ignis eſt principium nutritionis.

Solutio: *Illud eſt principium nutritionis, quod nutritur vera nutritione, ſeu facta per intuſſuſceptionem*, Concedo. *quod nutritur impropria nutritione, & cui Ariſtoteles dicit conuenire nutritionem, factam tantum per iuxtapoſitionem*, Nego. atqui *ignis nutritur per iuxtapoſitionem*, Concedo. *per intuſſuſceptionem*, Nego.

Contrà. Eſſe principium nutritionis factæ per intuſſuſceptionem non ſufficit, vt aliquid ſit anima: ergo nulla ſolutio.

Antecedens pr. Nutritio arboris eſt per intuſſuſceptionem; atqui illius principium non eſt anima: ergo eſſe principium nutritionis factæ per intuſſuſceptionem non ſufficit, vt aliquid ſit anima.

Minor probatur. Deus ſolus poteſt eſſe principium nutritionis arboris; atqui Deus non eſt anima: ergo principium nutritionis arboris non eſt anima.

Solutio: *Deus ſolus poteſt eſſe principium nutritionis arboris illa retinente vitalitatem*, Nego. *illa non retinente vitalitatem*, Concedo. *& conceſſa minori*: ergo *principium nutritionis vitalis arboris non eſt anima*, Nego. *principium nutritionis non vitalis*, Concedo.

Contrà. Vt nutritio arboris ſit vitalis nihil aliud requiritur, quàm vt per illam trahatur intus arborem alimentum, coquatur, diſpenſetur, diſ-

tribuatur, ac tandem informetur eius anima; atqui nutritio arboris cuius Deus est principium est huiusmodi: ergo est vitalis.

Solutio: *Vt nutritio sit vitalis nihil aliud requiritur, quàm vt per illam trahatur intus alimentum, hoc est intra illud, quod trahit*, Concedo. *intra illud, quod non trahit*, Nego. atqui *nutritio cuius Deus est principium est talis, hoc est Deus trahit intra se alimentum*, Nego. *non trahit alimentum intra se, sed intra arborem*, Concedo. *In nutritione vitali principium trahens debet esse intrinsecum, & trahere intra se, non intra aliud, alimentum.*

Secunda pars primi antecedentis, scilicet animam vegetatiuam non participare animam, probatur.

Ideo tantùm anima sensitiua dici potest participare animam, quia est principium cognitionis, & appetitionis; atqui non sufficit ad hoc, vt aliquid participet animam, vt sit principium appetitionis, & cognitionis: ergo anima sensitiua non participat animam.

Minor probatur. Formæ magnetis, & succini sunt principium cognitionis,& appetitionis; atqui non participant animam: ergo non sufficit ad hoc, vt aliquid participet animam, vt sit principium cognitionis, & appetitionis.

Maior pr. Illud est principium cognitionis, & appetitionis, quod est principium prosecutionis rei alicuius, & fugæ alterius; atqui magnes, & succinum sunt principium prosecutionis rei alicuius, & fugæ alterius: ergo & cognitionis, & appetitionis.

Solutio : *Illud est principium cognitionis, & appetitionis, quod est principium prosecutionis veræ, & propriæ, seu ex affectu vero, & proprio ad rem illam*, Concedo. *prosecutionis impropriæ, & quæ non est verus affectus ad rem, seu immutatio vitalis eius, quod dicitur prosequi*, Nego. atqui *magnes, & succinum sunt principium prosecutionis veræ, & propriæ*. Nego. *impropriæ*, Concedo.

Contrà. Vt aliquid sit principium prosecutionis veræ, & propriæ non debet per illam immutari : ergo succinum, & magnes sunt principium prosecutionis veræ, & propriæ.

Antecedens pr. Prosecutio huius alimenti potius, quàm alterius à plantis, est vera prosecutio; atqui per illam plantæ non immutantur : ergo vt aliquid sit principium prosecutionis veræ, & propriæ non debet per illam immutari.

Solutio : *Neganda est maior. Ratio est, quia plantæ non aliter trahunt hoc alimentum, & relinquunt aliud, quàm magnes trahit ferrum, & non trahit paleas; quam tractionem iam diximus non esse prosecutionem veram.*

SECTIO III.

Vtrum sint plures animæ in vno viuente?

PRIMA CONCLVSIO:

In formatione hominis non priùs inducitur anima vegetatiua, & sensitiua, quàm rationalis; nec in formatione bruti anima vegetatiua, prius sensitiua.

NON est maior necessitas admittendi realem illam successionem animarum in formatione fœtus, quàm in nutritione; atqui nulla est necessitas illam admittendi in nutritione: ergo neque in formatione fœtus.

Minor pr. Non potest admitti in nutritione realis illa successio animarum, quin venæ plenæ dicantur brutis, & plantis; atqui falsum est, & contra communem sensum illas esse plenas brutis, & plantis: ergo nulla est necessitas illam admittendi in nutritione.

Maior primi argumenti probatur.

Materia, quæ est in formatione prima fœtus, & illa, quæ est in nutritione sunt eiusdem rationis: ergo non est maior necessitas admittendi realem illam successionem animarum in formatione fœtus, quàm in nutritione.

Obiicitur. Eo modo inducuntur animæ in formatione fœtus, quo inducuntur earum dispositiones; atqui priùs inducuntur dispositiones animæ vegetatiuæ, quàm sensitiuæ, & huius quàm rationalis: ergo prius inducitur anima vegetatiua, quàm sensitiua, & sensitiua, quàm rationalis.

Minor pr. Eo modo inducuntur dispositiones ad istas animas, quo cernimus illarum operationes; atqui priùs videmus operationes animæ vegetatiuæ, quàm sensitiuæ, & huius, quàm rationalis: ergo prius inducuntur dispositiones animæ vegetatiuæ, quàm sensitiuæ, & huius, quàm rationalis.

Maior pr. Eo modo inducuntur dispositiones ad illas animas, quo fœtus viuificatur; atqui eo modo viuificatnr, quo videmus illarum animarum operationes: ergo eo modo inducuntur dispositiones ad illas formas, quo videmus illarum operationes.

Minor pr. Modus, quo videmus operationes habet successionem; atqui modus etiam, quo viuificatur fœtus, & viuit, habet successionem: ergo eo modo viuificatur, & viuit, quo videmus operationes.

Minor pr. Ille modus habet successionem qui habet prius, & posterius; atqui modus, quo viuit fœtus habet prius, & posterius: ergo & successionem.

Minor pr. Quod viuit prius vita plantæ, quàm vita animalis, & hac quàm vita rationali, habet prius, & posterius in modo, quo viuit; atqui ex Aristotele fœtus viuit prius vita plantæ, deinde

animalis, ac tandem rationali: ergo modus, quo fœtus viuit habet prius, & posterius.

Solutio: *Illud habet prius, & posterius in modo, quo viuit, quod viuit priùs vita plantæ, quàm animalis quoad actum primum,* Concedo. *quoad actum secundum*, Nego. atqui *ex Aristotele fœtus viuit priùs vita plantæ, deinde animalis, & hac, quàm rationali quoad actum secundum*, Concedo. *quoad actum primum*, Nego. *hoc est exercet prius operationes animæ vegetatiuæ, nutritionem scilicet, & accretionem, quàm functiones animæ sensitiuæ, sensationes scilicet, & has priùs, quàm intellectiones; non tamen habet prius fœtus principium primarum operationum, quàm secundarum. Quòd autem exerceantur posterius tempore operationes animæ rationalis, quàm sensitiuæ, & huius, quàm vegetatiuæ: ratio est, quia non tam citò formantur organa necessaria, ad exercitium operationum vitæ rationalis quàm sensitiuæ, & huius, quàm vegetatiuæ.*

SECVNDA CONCLVSIO:

Non sunt plures animæ in eodem viuente, simul eandem materiam informantes.

NVLLA est necessitas admittendi plures animas in eodem viuente: ergo in eo non sunt plures animæ eandem materiam informantes.

Antecedens pr. Necessitas plurium animarum in eodem viuente non potest esse, nisi vt communicentur ei varij gradus, scilicet, substantiæ, corporis, viuentis, &c. vel vt exercere possit diuer-

ſas illas operationes, quas ab illo videmus proficiſci, vel vt exercere poſſit quaſi contrarias, & aliquo modo ſibi repugnantes; atqui nulla eſt neceſſitas plurium animarum, vt communicentur illi gradus diuerſi, aut exerceantur operationes illæ diuerſæ & quaſi contrariæ: ergo nulla eſt neceſſitas admittendi plures animas in eodem viuente, ſimul eandem materiam informantes.

Prima pars minoris probatur.

Vna ſola anima communicare poteſt diuerſos illos gradus: ergo non eſt neceſſitas plurium animarum, vt communicentur diuerſi illi gradus.

Antecedens pr. Anima, quæ communicat gradum inferiorem, communicat ſuperiores; atqui vna ſola anima communicat gradum inferiorem: ergo & ſuperiores.

Maior pr. Quando duo, aut plura ſunt idem, quod communicat vnum, communicat etiam aliud, aut alia; atqui gradus ſuperiores identificantur cum inferioribus: ergo anima, quæ communicat gradum inferiorem, communicat ſuperiores.

Minor probata fuit in Logica diſputat. de vniuerſalibus in communi, ſectione tertia. Et ſecunda pars minoris ſuperioris argumenti, non eſſe neceſſitatem plurium animarum, vt exerceantur operationes diuerſæ, aut etiam quaſi contrariæ, probatur.

Vna ſola anima exercere poteſt operationes diuerſas, & quaſi contrarias: ergo non eſt neceſſitas plurium animarum, vt exerceantur operationes diuerſæ, aut quaſi contrariæ.

Prima pars antecedentis probatur.

Non minus anima vna exercere potest operationes diuersas, quàm formæ substantiales inanimatæ, aut etiam accidentales; atqui formæ substantiales inanimatæ, & formæ accidentales possunt exercere operationes diuersas: ergo anima exercere potest operationes diuersas.

Minor pr. Forma aquæ, forma terræ, &c. sunt formæ substantiales inanimatæ, & lumen forma accidentalis; atqui forma aquæ, terræ, & lumen producunt diuersas operationes: ergo & formæ substantiales inanimatæ, & formæ accidentales.

Minor pr. Frigefactio, & exsiccatio, humefactio, & frigefactio, calefactio, & illuminatio sunt diuersæ operationes; atqui duæ primæ producuntur à forma terræ, duæ sequentes à forma aquæ, & duæ postremæ à luce: ergo forma aquæ, terræ, & lumen producunt diuersas operationes.

Secunda pars antecedentis quarti argumenti, vnam animam producere posse quasi contrarias operationes, probatur.

Operationes illæ quasi contrariæ, quas dici potest producere non posse vna, & eadem anima, sunt prosecutio boni iucundi turpis ab appetitu inferiori, & auersatio eiusdem ab appetitu superiori; atqui vna, & eadem anima potest producere prosecutionem illam, & auersationem: ergo vna sola anima exercere potest quasi contrarias operationes.

Minor pr. Non minus vna anima producere potest huiusmodi prosecutionem, & fugam, quàm nolitionem efficacem, & volitionem inefficacem

eiusdem rei; atqui vna anima producere potest nolitionem efficacem, & volitionem inefficacem eiusdem rei: ergo & prosecutionem illam, & auersationem,

Maior pr. Ideo tantùm anima dici non potest producere prosecutionem illam, & fugam, quia sunt aliquo modo contrarię; atqui nolitio efficax, & volitio inefficax eiusdem rei non sunt minùs contrariæ: ergo non minùs vna anima producere potest huiusmodi prosecutionem, & fugam.

Minor argumenti præcedentis, vnam animam producere posse volitionem efficacem, & nolitionem inefficacem eiusdem rei probatur.

Anima peccatoris producit nolitionem efficacem beatitudinis æternæ; & volitionem inefficacem eiusdem: ergo vna anima producere potest volitionem efficacem, & nolitionem inefficacem eiusdem rei.

Antecedens pr. Quod ponit impedimenta ad beatitudinem habet nolitionem efficacem beatitudinis, & quod afficitur erga beatitudinem etiam tunc, habet volitionem inefficacem beatitudinis; atqui peccator ponit impedimenta ad beatitudinem, & tamen tunc afficitur erga illam: ergo habet nolitionem efficacem illius, & volitionem inefficacem eiusdem.

Obiicies. In homine sunt plures animæ realiter eandem materiam informantes: ergo dantur plures animæ in eodem viuente, eandem materiam informantes.

Antecedens pr. Tot dantur animæ in homine, quot sunt necessariæ, vt sit animal, & rationalis simul; atqui plures sunt necessariæ, vt sit animal,

& ſimul rationalis: ergo ſunt plures animę in homine realiter eandem materiam informantes.

Minor pr. Non poteſt eſſe per vnam, & eandem animam animal, & rationalis: ergo plures ſunt neceſſariæ, vt ſit animal, & ſimul rationalis.

Antecedens pr. Non poteſt eſſe per vnam, & eandem animam animal, & rationalis, quin anima rationalis ſit ſenſitiua, & vegetatiua; atqui anima rationalis non eſt ſenſitiua, nec vegetatiua: ergo per vnam, & eandem animam non poteſt eſſe animal, & rationalis.

Solutio: *Non poteſt eſſe per vnam, & eandem animam animal, & rationalis, quin anima rationalis ſit ſenſitiua purè*, Nego. *non purè*, Concedo. atqui *non eſt ſenſitiua purè*, Concedo. *non purè*, Nego.

Contrà. Non magis debet dici anima rationalis ſenſitiua non purè vnita corpori, quàm ab eo ſeparata; atqui ſeparata non eſt ſenſitiua etiam non purè: ergo nullo modo eſt ſenſitiua non purè.

Solutio: *Non magis debet dici anima rationalis ſenſitiua non purè vnita corpori, quàm ab eo ſeparata radicaliter*, Concedo. *actu*, Nego. atqui *ſeparata non eſt ſenſitiua etiam non purè actu, ſeu non efficit ſenſationes*, Concedo. *radicaliter, ſeu non exigit vniri ei, in quo illas poßit efficere*, Nego. *Anima enim ſeparata exigit vniri corpori, in quo cùm eſt efficit ſenſationes, quod ſanè ſufficit, vt dici poßit ſenſitiua.*

TERTIA CONCLVSIO:

Non sunt plures animæ in eodem viuente, quarum vna sit in hepate, alia in corde, alia in cerebro.

NECESSITAS plurium animarum in diuersis illis partibus corporis, non potest esse alia, quàm vt ea, quæ est in vna parte eliciat operationes diuersas ab iis, quæ exercentur in alia; atqui nulla est necessitas diuersarum animarum, vt exerceantur diuersæ illæ operationes: ergo non sunt plures animæ in eodem viuente, quarum vna sit in hepate, alia in corde, alia in cerebro.

Minor pr. Ex conclusione præcedenti, vna sola anima potest exercere diuersas illas operationes: ergo non debent poni diuersæ animæ, vt exerceantur diuersæ illæ operationes.

SECTIO IV.

Quomodo habeat se anima quoad informationem?

PRIMA CONCLVSIO:

Anima non præexistit tempore suæ informationi.

ANIMA est materialis, vel spiritalis; atqui neque materialis, neque spiritalis præexistit

tempore ſuæ informationi: ergo anima non præexiſtit tempore ſuæ informationi.

Minor pr. Informatio animæ eſt eius vnio cum materia; atqui neque materialis anima, neque ſpiritalis præexiſtit tempore vnioni ſuę cum materia: ergo neque ſuæ informationi.

Minor probatur. Anima præexiſtens tempore ſuæ vnioni cum materia producitur aliquo tempore antequam vniatur; atqui neque anima materialis, neque ſpiritalis producitur antequam vniatur: ergo non præexiſtunt tempore ſuę vnioni cum materia.

Probatur minor de anima materiali:

Illa anima non producitur antequam vniatur materiæ, quę eſſe non poteſt naturaliter niſi vnita materiæ; atqui anima materialis eſſe non poteſt naturaliter niſi vnita materiæ: ergo non producitur antequam vniatur.

Minor pr. Anima, quæ fit dependenter à materia, non poteſt eſſe naturaliter niſi ſit vnita materiæ; atqui anima materialis fit dependenter à materia: ergo non poteſt eſſe naturaliter niſi vnita materiæ.

Secunda pars minoris tertij argumenti, de anima ſpiritali, probatur.

Anima ſpiritalis creatur; atqui anima ſpiritalis non creatur antequam vniatur: ergo anima ſpiritalis non producitur antequam vniatur.

Minor pr. Anima ſpiritalis creata antequam vniatur non producitur cum eo quod exigit; atqui anima ſpiritalis creata producitur cum eo quod exigit: ergo non creatur antequam vniatur.

Maior pr. Anima ſpiritalis, quæ creatur, exigit vnionem cum corpore: ergo creata antequam vniatur non producitur cum eo, quod exigit.

Minor præcedentis argumenti probatur.

Deus cùm creat animam accommodat ſe illius exigentiæ: ergo anima ſpiritalis producitur cum eo, quod exigit.

Antecedens pr. Deus non ſe accommodans exigentiæ animæ, cum illam creat, agit miraculosè; atqui cum producit animam nullum facit miraculum: ergo cum creat animam accommodat ſe illius exigentiæ.

SECVNDA CONCLVSIO:

Informatio animæ nihil eſt aliud, quàm eius vnio cum materia.

INFORMATIO animæ nihil eſt aliud, quàm id, per quod fit actus complens materiam, & conſtitutiuus viuentis; atqui anima per vnionem fit actus complens materiam, & conſtitutiuus viuentis: ergo informatio animæ nihil eſt aliud, quàm eius vnio cum materia.

Minor pr. Per illud anima fit actus complens materiam, & conſtitutiuus viuentis, per quod eſt pars actuans ipſius viuentis; atqui per id, per quod vnitur materię fit pars actuans viuentis: ergo per vnionem fit actus complens materiam, & conſtitutiuus viuentis.

Minor pr. Per illud anima fit pars actuans viuentis, per quod reddit compoſitum, in quo eſt proximè potens ad operandum vitaliter, & ratione cuius aduenit alteri eius parti; atqui anima

per vnionem reddit compositum, in quo est proximè potens ad operandum vitaliter, & per eandem aduenit alteri eius parti: ergo per id, per quod vnitur materiæ fit pars actuans viuentis.

Obiicies. Informatio animæ est id, per quod anima constituit viuens; atqui id, per quod anima constituit viuens non est sola vnio: ergo nec eius informatio.

Minor pr. Id, per quod anima constituit viuens, debet posse denominare ipsius subiectum principium operationum vitalium; atqui vnio non sufficit ad denominandum subiectum animæ principium operationum vitalium: ergo id, per quod anima constituit viuens non est sola vnio.

Minor pr. Non magis vnio animæ cum corpore sufficit ad denominandum corpus principium operationum vitalium, quàm vnio accidentis cum suo subiecto ad illud denominandum principium suarum operationum; atqui vnio accidentis cum subiecto, non sufficit ad denominandum eius subiectum principium operationum ab ipso prouenientium: ergo vnio animæ non sufficit ad denominandum corpus principium operationum vitalium.

Minor pr. Aqua calefacta est subiectum caloris; atqui vnio, quam habet calor cum illa non est sufficiens ad denominandam illam principium operationum prouenientium à calore: ergo vnio accidentis cum subiecto, non sufficit ad denominandum eius subiectum principium operationum ab ipso prouenientium.

Solutio: *Aqua calefacta est subiectum caloris, & hic est illi connaturalis,* Nego. *& non est connatura-*

lis, Concedo. *& concessa minori*: ergo *vnio accidentis cum subiecto, cui est connaturale, non sufficit ad illud denominandum principium operationum ab eo prouenientium*, Nego. *si illi non sit connaturale*, Concedo. *Anima autem est connaturalis corpori, ac proinde vnio illius cum isto sufficit ad illud denominandum principium operationum vitalium viuum, & viuificatum.*

TERTIA CONCLVSIO:

Partes omnes primariæ informantur anima.

ILLAE omnes partes informantur anima, in quibus est aliqua operatio vitæ; atqui in omnibus partibus primariis est aliqua operatio vitæ: ergo omnes partes primariæ informantur anima.

Minor pr. Partes primariæ sunt illæ, quæ quasi præsupponuntur aliis & propter quas aliæ factæ videntur; atqui in illis omnibus est aliqua operatio vitæ: ergo in omnibus partibus primariis est aliqua operatio vitæ.

Minor pr. Partes huiusmodi sunt caro, ossa, nerui, cerebrum, cor, hepar, arteriæ, &c. atqui in illis omnibus est aliqua operatio vitæ: ergo & in partibus, quæ præsupponuntur aliis, & propter quas aliæ factæ videntur.

Minor pr. Nutritio, & accretio per intussusceptionem alimenti sunt operationes vitales; atqui in illis omnibus est accretio & nutritio per intussusceptionem: ergo & aliqua operatio vitæ.

Minor pr. In illis omnibus est nutritio, & accretio per intussusceptionem, quæ crescunt in omnem dimensionem; atqui istæ omnes crescunt in omnem dimensionem: ergo & per intussusceptionem.

QVARTA CONCLVSIO:

Humores, lac, adeps, & similes partes non informantur anima.

ILLAE partes non informantur anima, in quibus nulla est operatio vitalis; atqui in humoribus, lacte, &c. nulla est operatio vitalis: ergo humores, lac, adeps, &c. non informantur anima.

Minor pr. In humoribus, &c. non potest alia esse operatio vitalis, quàm nutrito, & accretio; atqui nutritio, & accretio humorum, &c. non est vitalis: ergo in humoribus nulla est operatio vitalis.

Minor pr. Nutritio, & accretio vitalis debet esse per intussusceptionem alimenti; atqui nutritio, & accretio humorum, &c. non est per intussusceptionem alimenti: ergo non est vitalis.

Minor pr. Accretio, & nutritio illius rei non est per intussusceptionem, quæ non habet organa ad trahendum alimentum, concoquendum, dispensandum, ac conuertendum; atqui humores, &c. non habent organa ad trahendum alimentum, concoquendum, dispensandum, ac conuertendum: ergo nutritio, & accretio humorum non est per intussusceptionem.

Minor pr. Non magis humores dicendi sunt habere huiusmodi organa, quàm alia liquida, quæ sunt in continuo motu; atqui alia liquida, quæ sunt in continuo motu non habent huiusmodi organa: ergo neque humores.

Maior pr. Ratio quare non habeant alia liquida, quæ sunt in continuo motu, huiusmodi organa, est, quia ipsorum fluiditas non est cum iis compossibilis; atqui est eadem fluiditas in humoribus: ergo non magis humores dicendi sunt habere huiusmodi organa, quàm alia liquida.

Maior pr. Illud est incompossibile cum huiusmodi organis, quod facit vt pars, quæ erat ima, sit modò summa, & quæ erat extrema sit media; atqui fluiditas facit vt pars, quæ modò est ima sit paulò post summa, &c. & vice versa: ergo fluiditas est incompossibilis cum huiusmodi organis.

Maior primi argumenti, partes illas non informari anima, in quibus nulla est operatio vitalis, probatur.

Illæ partes non informantur anima, in quibus anima non est; atqui illæ, in quibus nulla est operatio vitalis, anima non est: ergo illæ partes non informantur anima, in quibus nulla est operatio vitalis.

Minor pr. Nullum est fundamentum dicendi animam esse in partibus, in quibus nulla est operatio vitalis: ergo anima non est in illis, in quibus nulla est operatio vitalis.

Antecedens pr. Fundamentum ad dicendum animam esse in toto composito, aut eius partibus nullum est aliud, quàm operatio vitalis: er-

go nullum est fundamentum dicendi animam esse in partibus, in quibus nulla est operatio vitalis.

Obiicitur. Pituita est vnus ex humoribus; atqui pituita viuit: ergo falsum est humores non viuere.

Maior pr. Ratio quæ afferri potest cur pituita non viuat est eius fluiditas; atqui fluiditas non impedit, quominùs viuat: ergo pituita viuit.

Minor pr. Fluiditas verè reperitur in humoribus oculi; atqui illa non impedit, quominus viuant: ergo non impedit etiam quominus viuat pituita.

Solutio: *Fluiditas verè reperitur in humoribus oculi, & non est in illis maior consistentia, quàm sit in pituita*, Nego. *& est maior consistentia*, Concedo. atqui *illa non impedit quominus viuant propter maiorem illam consistentiam*, Concedo. *si non esset maior illa consistentia*, Nego. *Maior illa consistentia facit vt in illis possit esse, quæ requiruntur ad trahendum alimentum, coquendum, & dispensandum, & consequenter, quæ sunt necessaria ad vitam.*

Contrà. Minor illa consistentia pituitæ arguit illam potiùs viuere, quàm non viuere: ergo nulla solutio.

Antecedens pr. Minor illa pituitæ consistentia est continuus ille motus, quo cietur; atqui motus ille arguit illam viuere: ergo minor illa consistentia arguit illam viuere.

Minor pr. Quod est signum vitæ arguit illud, in quo est viuere: atqui motus ille est signum vitæ: ergo arguit illam viuere.

Minor pr. Motus est signum vitæ; atqui motus ille est verè motus: ergo est signum vitæ.

Solutio: *Motus, qui est ab intrinseco est signum vitæ*, Concedo. *qui est ab extrinseco*, Nego. atqui *motus ille est ab intrinseco*, Nego. *ab extrinseco, à partibus scilicet viuentis, trahentibus pituitam vnaquæque ad se pro sua indigentia*, Concedo.

Contrà. Motus pituitæ est à principio intrinseco: ergo est verè signum vitæ.

Antecedens pr. Motus pituitæ, quo egreditur extra venam ascendendo, vt fit in febri laborantibus, est ab eius forma; atqui forma est principium intrinsecum: ergo motus pituitæ est à principio intrinseco.

Solutio: *Motus pituitæ quo egreditur extra venam ascendendo, est ab eius forma, & est naturalis*, Nego. *& non est naturalis*, Concedo. *& concessa minori:* ergo *motus pituitæ est à principio intrinseco, & est naturalis*, Nego. *& non est naturalis*, Concedo.

Contrà. Motus qui est à forma est naturalis: ergo nulla solutio.

Solutio: *Motus, qui est à forma posita in statu connaturali est naturalis*, Concedo. *posita in statu non connaturali*, Nego. *Certè motus vaporum, & exhalationum sursum non videtur esse à solis accidentibus illis inexistentibus, (quippe quæ per se sola non exigant potiùs sursum, quàm deorsum, sed tantùm locum sui subiecti) sed præterea à formis aquæ, & terræ, quæ positæ extra statum connaturalem esse possunt principium alicuius motus sibi non connaturalis, & contrarij illi, qui illis*

conuenit cùm sunt in statu connaturali.

Contrà. Motus ille, qui est à forma pituitæ quantumuis non naturalis, non magis dici debet illam impedire ne viuat, & informetur anima, quàm sanguinem; atqui non impedit sanguinem viuere, & informari anima: ergo neque pituitam.

Minor pr. Sanguis verè informatur anima: ergo motus ille non impedit quominus sanguis informetur anima.

Antecedens pr. Illud informatur verè anima, in quo Scriptura dicit esse positam vitam, & animam; atqui Scriptura dicit Leuitici 17. positam esse vitam, & animam in sanguine: ergo sanguis informatur anima.

Solutio: *Illud informatur anima, in quo Scripturâ dicit positam esse vitam, & animam formaliter*, Concedo. *causaliter tantum*, Nego. atqui *Scriptura dicit positam esse vitam, & animam in sanguine formaliter*, Nego. *causaliter, seu sanguinem esse necessarium ad conseruationem vitæ*, Concedo.

Contrà. In illo formaliter est anima quod verè animatur; atqui Aristoteles dicit sanguinem animari: ergo anima est formaliter in sanguine.

Solutio: *In illo est formaliter anima, quod animatur actu*, Concedo. *potentia tantùm*, Nego. atqui *Aristoteles dicit sanguinem animari actu*, Nego. *potentia*, Concedo.

Contrà. Illud verè animatur actu, quod mouetur in omnem loci differentiam; atqui sanguis mouetur in omnem loci differentiam: ergo animatur actu.

Solutio: *Illud verè animatur actu quod moue-*

tur

tur in omnem loci differentiam à se, Concedo. *ab alio*, Nego. atqui *sanguis mouetur in omnem loci differentiam à se*, Nego. *ab alio*, *partibus scilicet viuentis, quæ illum trahunt ad se vnaquæque pro sua indigentia*, Concedo.

Contrà. Quod est principium sui motus mouetur à se; sed sanguis est principium sui motus in omnem loci differentiam: ergo mouetur à se, & non à partibus viuentis.

Minor pr. Quod est pars viuentis est principium sui motus; atqui sanguis est verè pars viuentis: ergo est principium sui motus.

Solutio: *Quod est pars viuentis animata, est principium sui motus*, Concedo. *non animata*, Nego. atqui *sanguis est verè pars animata*, Nego. *non animata*, Concedo.

Contrà. Omnis pars viuentis est informata anima; sed sanguis ex concessis est pars viuentis: ergo est informatus anima.

Maior pr. Viuens non habet aliquas partes animatas, & aliquas non animatas: ergo omnis pars viuentis est informata anima.

Antecedens pr. Quod habet aliquas partes animatas, & aliquas non animatas, est totum aliquod per accidens; atqui viuens non est totum aliquod per accidens: ergo viuens non habet partes aliquas animatas, & alias non animatas.

Solutio: *Quod habet partes aliquas animatas, & alias non animatas, si illæ non sint subordinatæ est totum aliquod per accidens*, Concedo. *si sint subordinatæ*, Nego. *& concessa minori*: ergo *viuens non habet partes aliquas animatas, & alias non animatas non subordinatas*, Concedo. *subordina-*

tas, Nego. *Partes subordinatæ sunt illæ, quæ inseruiunt aliarum constructioni, & illas iuuant in suis operationibus, quo modo se habent humores comparati cum carne, ossibus, neruis, &c.*

Contrà. Homo non componitur ex partibus viuentibus, & non viuentibus etiam subordinatis: ergo neque viuens.

Antecedens probatur. Partes illæ non viuentes hominis subordinatæ non possunt esse aliæ, quàm sanguis, & humores; atqui sanguis & humores hominis non sunt partes non viuentes: ergo homo non componitur ex partibus viuentibus, & non viuentibus etiam subordinatis.

Minor probatur. Illæ partes hominis non sunt non viuentes, quas Verbum assumpsit; atqui Verbum assumpsit sanguinem, & humores: ergo sanguis, & humores non sunt partes non viuentes.

Maior probatur. Verbum non assumpsit id, cui non est vnitum; atqui Verbum non est vnitum partibus non viuentibus: ergo partes hominis, quas assumpsit Verbum, non sunt non viuentes.

Minor probatur. Pars non viuens est creatura irrationalis; atqui Verbum non est vnitum creaturæ irrationali: ergo nec partibus non viuentibus.

Minor pr. Illud cui Verbum est vnitum dici potest Deus; atqui creatura irrationalis dici non potest Deus: ergo Verbum non est vnitum creaturæ irrationali.

Solutio: *Illud cui Verbum est vnitum, si sit totum cui est facta vnio, aut pars eius aliqua*

principalis, dici potest Deus, Concedo. *si non sit totum, aut pars aliqua principalis*, Nego. atqui *creatura irrationalis, sanguis verbi gratia, non potest dici Deus, & sanguis est totum cui est facta vnio personæ diuinæ*, Nego. *& non est totum, nec pars eius aliqua principalis*, Concedo.

QVINTA CONCLVSIO:

Dentes, pennæ auium, & pili viuunt.

IN dentibus, pennis auium, & pilis est aliqua operatio vitalis: ergo viuunt.

Antecedens probatur. In dentibus, pennis auium, & pilis est vera nutritio: ergo & operatio vitalis.

Minor probatur. In illis est vera, & propria nutritio, in quibus est accretio in omnem dimensionem, & attractio alimenti per omnes partes; atqui in pennis auium, pilis, & dentibus est accretio in omnem dimensionem, & attractio alimenti per omnes partes: ergo & vera nutritio.

Minor probatur. Illud crescit in omnem dimensionem, quod non modò fit longius, sed etiam crassius; atqui dentes, pennæ auium, & pili non modò fiunt longiores, sed etiam crassiores: ergo crescunt in omnem dimensionem.

Respondent ad vltimam partem. *Pili non tantum fiunt longiores, sed etiam crassiores per intussusceptum alimentum, & in se conuersum*, Nego. *propter maiorem amplitudinem pororum vno tem-*

pore quàm alio, Concedo.

Contrà. Pars pilorum extrema, ac tenuior fit eadem crassior: ergo pili fiunt crassiores propter intussusceptum alimentum, & in se conuersum.

Antecedens probatur. Vt pars pili extrema tenuior fieri possit crassior, nihil aliud requiritur, quàm vt ad eam peruenire possit alimentum, & ipsa illud in se conuertere; atqui alimentum peruenire potest ad partem extremam pili, & ibi in illam conuerti: ergo pars pilorum extrema, ac tenuior fit eadem crassior.

Minor probatur. Ad illam partem pili peruenire potest alimentum, in qua de facto deprehenditur esse; atqui in extremitate pilorum deprehenditur esse alimentum: ergo ad illam peruenire potest.

Minor pr. Non minùs deprehenditur alimentum in extrema parte pili, quàm humor aliquis sanguinolentus; atqui in extrema parte pili deprehenditur humor aliquis sanguinolentus: ergo & alimentum.

Minor probatur. In illa parte deprehenditur humor sanguinolentus, quæ si pungatur illum emittit; atqui pili plica laborantes si pungantur in extremitate emittunt humorem sanguinolentum, teste experientia: ergo in extremitate pili deprehenditur humor aliquis sanguinolentus.

Obiicies. In pilis nulla est operatio vitalis: ergo non viuunt.

Minor probatur. In pilis nulla alia dici potest esse operatio vitalis, quàm accretio; atqui ac-

eretio pilorum non eſt vitalis: ergo in pilis nulla eſt operatio vitalis.

Minor pr. Illa accretio non eſt vitalis, quæ eſt tantùm per iuxtapoſitionem; atqui accretio pilorum eſt tantùm per iuxtapoſitionem: ergo non eſt vitalis.

Minor pr. Illa accretio eſt tantùm per iuxtapoſitionem, quæ eſſe poteſt à principio non viuente; atqui accretio pilorum eſſe poteſt à principio non viuente: ergo accretio pilorum eſt tantùm per iuxtapoſitionem.

Solutio: Atqui *accretio pilorum rerum viuentium eſt à principio non viuente*, Nego. *pilorum rerum inanimatarum*, tranſeat: ergo *accretio pilorum rerum non viuentium eſt tantum per iuxtapoſitionem*, Concedo. *rerum viuentium*, Nego.

Contrà. Non eſt maior ratio, cur accretio pilorum rerum viuentium non ſit per iuxtapoſitionem, quàm accretio pilorum rerum non viuentium; atqui iſtorum accretio eſt tantùm per iuxtapoſitionem: ergo etiam & illorum.

Maior pr. Pili eodem modo creſcunt in rebus viuentibus, ac non viuentibus: ergo non eſt maior ratio cur accretio pilorum rerum viuentium non ſit per iuxta poſitionem, quàm accretio rerum non viuentium.

Antecedens pr. Non eſt inuehendus diuerſus ille modus accretionis in pilis rerum viuentium, & non viuentium contra communem ſenſum; atqui communis eſt ſenſus eodem modo creſcere: ergo pili eodem modo creſcunt in viuentibus, & in non viuentibus.

Minor pr. Pili in non viuentibus crescunt modo mortuo, & non vitali; atqui communis est sensus etiam in viuentibus crescere modo non vitali: ergo communis est sensus eodem modo crescere.

Minor pr. Illud communis sensus iudicat crescere modo non vitali, cuius abscissio in homine non inducit irregularitatem; atqui abscissio pilorum in homine non inducit irregularitatem: ergo communis est sensus pilos rerum viuentium crescere modo non vitali.

Solutio: *Illud communis sensus indicat crescere modo non vitali, cuius abscißio non inducit irregularitatem, si sit verum membrum hominis, seu pars habens officium distinctum à reliquis,* Concedo. *si non sit membrum, seu pars habens officium distinctum à reliquis,* Nego. atqui *abscißio pilorum non inducit irregularitatem, & pili sunt membrum, seu pars habens officium distinctum à reliquis,* Nego. *& non sunt,* Concedo. *Declaratur distinctio.* Melior *pars Canonistarum requirit ad contrahendam irregularitatem prouenientem ex mutilatione, vt illa sit abscissio membri; per membrum autem intelligunt partem hominis habentem officium distinctum à reliquis, vt sunt oculi, nasus, &c. quod clarum est non conuenire pilis, quippe qui sint tantùm ad ornatum, & consequenter clarum est eorum abscißionem quantumuis sint animati, non inducere irregularitatem.*

SEXTA CONCLVSIO:

Vngues non informnatur anima.

IN vnguibus nulla est operatio vitalis : ergo non informantur anima.

Ant. pr. In vnguibus non est alia operatio vitalis quàm accretio, & nutritio; atqui accretio, & nutritio vnguium non est vitalis : ergo in illis nulla est operatio vitalis.

Minor pr. Illa accretio non est vitalis, quæ non est per intussusceptionem; atqui accretio, & nutritio vnguium non est per intussusceptionem : ergo non est vitalis.

Minor probatur. Illa nutritio, & accretio non est per intussusceptionem, per quam omnes partes non augentur, sed tantùm extremæ; atqui omnes partes vnquium non augentur, sed tantùm extremæ : ergo illorum nutritio non est per intussusceptionem.

Vt probetur minor, Suppono, *vngues in medio notari duobus punctis aliquantulum à se distantibus, & sic argumentor :*

Partes positæ inter illa duo puncta non augentur : ergo partes omnes vnguium non augentur.

Antecedens pr. Illæ partes augeri non possunt, quin duo illa puncta magis à se distent, quàm antea; atqui duo illa puncta non magis distant à se, quàm antea teste experientia:ergo partes positæ inter illa duo puncta non augentur.

Maior pr. Non possunt illæ partes augeri, quin

fiant crassiores; atqui fieri non possunt crassiores, quin duo illa puncta magis à se distent: ergo illæ partes augeri non possunt, quin duo illa puncta magis à se distent.

Maior pr. Partes illæ non possunt fieri crassiores, quin maiorem occupent locum, seu quin locus, in quo sunt fit amplior; atqui non possunt occupare maiorem locum, seu illarum locus non potest esse amplior, quin duo illa puncta magis à se distent: ergo fieri non possunt crassiores, quin dua illa puncta magis à se distent.

Minor pr. Distantia illorum punctorum nihil est aliud, quàm locus istarum partium: ergo non potest esse locus illarum partium maior, quin duo illa puncta magis à se distent.

SEPTIMA CONCLVSIO:

Animæ plantarum, & brutorum sunt diuisibiles.

ILLAE animæ sunt diuisibiles, quæ habent partes; atqui animæ plantarum, & brutorum habent partes: ergo sunt diuisibiles.

Minor pr. Illæ animæ habent partes, quæ secundùm aliquid sui vniuntur vni, & secundùm aliud alteri; atqui animæ plantarum, & brutorum, secundùm aliquid sui vniuntur vni parti materiæ, & secundùm aliud alteri: ergo animæ plantarum, & brutorum habent partes.

Minor pr. Caput est vna pars, & pes alia in animalibus, radix similiter in plantis, & summitas; atqui animæ brutorum, & plantarum per

aliquid sui vniuntur capiti, & radici, & per aliud pedi & summitati: ergo per aliquid sui vniuntur vni parti, & per aliud alteri.

Minor probatur. Animæ brutorum, & plantarum dependent à parte, cui vniuntur; atqui animæ brutorum, & plantarum secundùm quod vniuntur capiti, & radici non dependent à materia pedis, & summitatis: ergo per aliquid sui vniuntur capiti, & radici, & per aliud pedi, & summitati.

Minor pr. Anima brutorum, & plantarum non fit duplici actione totali; atqui illud animæ brutorum, quod est in capite dependere à materia pedis, est fieri duplici actione totali: ergo non dependet à materia pedis.

Minor pr. Vel est fieri duplici actione totali, vel partiali; atqui non est fieri partiali: ergo est fieri totali.

Minor probatur. Fieri actione partiali est animam illam produci per vnam communem actionem à materia pedis, & capitis; atqui non producitur per vnam communem actionem à materia pedis, & capitis: ergo non fit duplici actione partiali.

Minor pr. Anima illa fieri non potest à materia pedis, & capitis per vnam communem actionem, quin concurrant ad illam omnes partes vtriusque, vel tantùm aliquæ; atqui neutrum dici potest: ergo non producitur per vnam communem actionem à materia pedis, & capitis.

Prima pars minoris probatur.

Pars, quæ de nouo aggeneratur in pede est verè pars pedis; atqui illa non concurrit: ergo om-

nes partes non concurrunt.

Minor pr. Illa pars non concurrit ad actionem productiuam illius animæ, cui ista anima præintelligitur existens; atqui ista anima præintelligitur existens materiæ, quæ de nouo aggeneratur in pede: ergo illa non concurrit.

Minor probatur. Principium aggenerans præintelligitur existens materiæ, quæ aggeneratur; atqui ista anima est principium aggenerans: ergo præintelligitur existens materiæ, quæ de nouo aggeneratur.

Secunda pars minoris superioris argumenti, aliquas tantùm partes non concurrere, probatur.

Illud dici non debet concurrere ad istam actionem, quo sublato non perit ipsa anima; atqui sublatis partibus aliquibus capitis, & pedis non perit anima: ergo partes tantùm aliquæ dici non possunt concurrere ad actionem ipsius animæ.

Maior pr. Illud non concurrit ad actionem productiuam animæ materialiter, quod dici non potest illam causare materialiter; atqui illud, quo sublato non perit anima, non potest dici illam causare materialiter: ergo illud non concurrit ad illam actionem, quo sublato non perit ipsa anima.

Minor pr. Destructa causa materiali perseuerare non potest naturaliter eius effectus: ergo illud, quo sublato non perit anima, non potest dici illam causare materialiter.

Antecedens probatur. Effectus perseuerans destructa sua causa materiali migrat de subiecto

in ſubiectum ; atqui effectus cauſæ materialis non migrat de ſubiecto in ſubiectum : ergo deſtructa cauſa materiali perſeuerare non poteſt naturaliter eius effectus.

Minor pr. Effectus cauſæ materialis migrans de ſubiecto in ſubiectum mutat cauſam ſuam materialem ; atqui effectus cauſæ materialis non poteſt mutare cauſam materialem : ergo neque migrare de ſubiecto in ſubiectum.

Minor probatur. Effectus cauſæ materialis mutans ſuam cauſam materialem non eſt illi magis alligatus , quàm cauſæ efficienti ; atqui effectus cauſæ materialis eſt magis ipſi alligatus, quàm cauſæ efficienti : ergo non mutat cauſam ſuam materialem.

Maior probatur. Quod eſt indifferens ad varias cauſas materiales non eſt magis alligatum illis , quàm cauſæ efficienti ; atqui effectus , qui poteſt mutare ſuam cauſam materialem eſt indifferens ad varias cauſas materiales : ergo effectus mutans ſuam cauſam materialem , non eſt magis illi alligatus , quàm cauſæ efficienti.

Obiicitur. Non repugnat animas plantarum, & brutorum eſſe indiuiſibiles : ergo ſunt indiuiſibiles.

Conſequentia probatur. Quando aliquid non repugnat, & ſunt rationes efficaces ſuadentes poſſibilitatem illam redactam eſſe ad actum , dicendum eſt ita eſſe ; atqui non repugnat animas plantarum & brutorum eſſe indiuiſibiles , & ſunt efficaces rationes ſuadentes poſſibilitatem iſtam redactam eſſe ad actum : ergo dicendum eſt illas eſſe indiuiſibiles.

Minor probatur. Illa ratio est efficax ad probandum aliquid esse indiuisibile, quod probat non habere partes; atqui sunt rationes efficaces ad probandum animas brutorum, & plantarum non habere partes: ergo & esse indiuisibiles.

Minor de brutis probatur.

Sunt rationes efficaces ad probandum animas equi, canis, leonis, &c. non habere partes: ergo & animas brutorum.

Minor probatur de equo.

Neque anima equi maioris, neque minoris habet partes: ergo anima equi non habet partes.

Antecedens probatur. Anima equi maioris, & minoris non possunt habere partes, quin anima maioris sit maior anima minoris; atqui anima maioris non est maior anima minoris: ergo neque anima equi maioris, neque minoris habent partes.

Minor pr. Anima maioris non potest esse maior, quin sit etiam potentior, & fortior; atqui anima maioris non est potentior, & fortior anima minoris: ergo anima maioris non est maior anima minoris.

Minor pr. Anima fortior, & potentior facit etiam totum quod constituit, potentius, & fortius; atqui anima maioris equi non facit totum quod constituit, potentius, & fortius: ergo anima maioris non est potentior, & fortior anima minoris.

Solutio: *Anima fortior facit totum, quod constituit, fortius, & potentius, si cætera sint pa-*

ria, Concedo. *si cætera non sint paria*, Nego. atqui *anima maioris non facit suum totum fortius cùm cætera sunt paria*, Nego. *dùm cætera non sunt paria*, Concedo.

Contrà. Illa imparia non possunt esse alia, quàm quæ augent vires, aut minuunt; atqui in equo maiori, quæ augent vires non sunt imparia iis, quæ sunt in equo minori: ergo in vtroque cætera sunt paria.

Minor. pr. Ea, quæ dici possunt augere vires, non sunt alia ab anima; atqui in equo maiori anima est fortior: ergo in equo maiori ea, quæ augent vires non sunt imparia.

Solutio: *Neganda est maior. Et ratio est, quia illa alia, quæ augent vires sunt temperamentum, libera communicatio partium, maior copia alimenti, & facilitas illud conuertendi in propriam substantiam, & ex eo efformandi purum sanguinem, & bonos spiritus vitales, quæ omnia possunt esse in minori equo excellentius, quàm in maiori, ac proinde licèt superetur à maiori ex parte animæ habentis plures partes, ipsum tamen superat ex alio capite iam explicato, per quod non fit tantùm compensatio virium, sed etiam excessus.*

Contrà. Moles animæ maioris equi non superat magnitudinem animæ minoris equi: ergo equus maior non superat minorem ex parte animæ.

Antecedens pr. Vt moles animæ maioris equi superet magnitudinem minoris equi, debet coextendi toti suæ comparti; atqui non coextenditur illi: ergo moles maioris equi non superat

magnitudinem animæ minoris equi.

Minor pr. Anima, quæ coextenditur materiæ diffluit illa diffluente; atqui anima maioris equi non diffluit diffluente eius materia : ergo non coextenditur illi.

Minor pr. Illa anima non diffluit diffluente materia, quæ manet recedente materia; atqui anima maioris equi manet recedente eius materia: ergo non diffluit.

Minor pr. Anima manet recedente eius materia, quandiu verum est manere viuens, quod constituit idem secundùm formam pereunte eius materia; atqui verum est maiorem equum manere eundem secundùm formam diffluente eius materia : ergo eius anima manet recedente eius materia.

Maior pr. Ex Aristotele animal perfectum manet idem secundùm formam diffluente eius materia; atqui equus maior est animal perfectum: ergo manet idem secundùm formam diffluente eius materia.

Solutio : *Diffluente materia animal perfectum idem manet secundùm formam, hoc est essentiam specificam, seu communem,* Concedo. *secundùm formam, hoc est alteram sui partem per modum actus,* Nego. ergo *diffluente materia equus maior manet idem secundum formam, hoc est alteram compartem per modum actus,* Nego. *secundum formam, hoc est essentiam specificam, seu communem,* Concedo.

Contrà. Altera compars equi per modum actus non magis diffluit diffluente materia, quàm separetur separata materia; atqui non separatur

ſeparata materia : ergo non diffluit, ſed manet diffluente materia.

Minor pr. Separata materia pedis à reliquis partibus materiæ equi non ſeparatur anima equi ab aliis partibus :ergo anima non ſeparatur, ſeparata materia.

Antecedens pr. Anima illa ſeparata informare deberet materiam pedis ; atqui eam non informat:ergo non ſeparatur, ſeparata materia.

Solutio : *Anima illa ſeparata informare deberet materiam pedis ſi perſeuerare poſſit*, Concedo. *ſi non perſeueret*, Nego. atqui *eam non informat, & perſeuerat*, Nego. *& non perſeuerat*, Concedo.

Contrà. Non eſt maior ratio, cur non perſeueret, quàm pars animæ lacertæ, aut ſerpentis ; atqui pars animæ lacertæ aut ſerpentis ſeparata ab aliis perſeuerat:ergo & pars animæ equi.

Solutio : *Neganda eſt maior. Ratio eſt, quia anima equi ad ſui conſeruationem, maiorem habet dependentiam à continuitate cum aliis partibus, quàm anima lacertæ, propterea quòd plura requirat ad exercendas ſuas functiones, quàm anima lacertæ, quo fit, vt cum ea habere non poſſit in vna aliqua parte, in ea etiam manere non poſſit.*

Octava Conclusio:

Anima rationalis eſt indiuiſibilis.

Non repugnat animam rationalem eſſe indiuiſibilem, communis eſt ſenſus omnium ita

esse, & multæ sunt rationes hoc suadentes: ergo verè est indiuisibilis.

Duæ primæ partes antecedentis claræ sunt, & tertia probatur.

Rationes quæ probant animam esse immortalem, & spiritalem, probant etiam eandem esse indiuisibilem; atqui multæ sunt rationes probantes animam esse immortalem, & spiritalem: ergo multæ sunt rationes probantes eam esse indiuisibilem.

Maior pr. Facilius est intelligere animæ immortalitatem, & spiritalitatem cum indiuisibilitate, quàm sine illa: ergo rationes, quæ probant animæ immortalitatem probant etiam eam esse indiuisibilem.

Obiicies. Forma, quæ coextenditur subiecto extenso, est etiam ipsa extensa, & diuisibilis; atqui anima rationalis coextenditur subiecto extenso: ergo ipsa est extensa, & diuisibilis.

Solutio: *Forma, quæ coextenditur subiecto extenso secundùm entitatem est diuisibilis*, Concedo. *secundùm informationem tantùm & præsentiam*, Nego. atqui *anima rationalis coextenditur subiecto extenso secundùm entitatem*, Nego. *secundùm præsentiam*, Concedo.

Contrà. Anima rationalis coextenditur materiæ secundùm entitatem; atqui materia est subiectum extensum: ergo coextenditur subiecto extenso secundùm entitatem.

Maior pr. Anima rationalis dici non potest, quòd non coextendatur materiæ secundùm entitatem, quin sit tota in tota materia, & tota in qualibet eius parte; atqui anima rationalis non

est tota in tota materia, & tota in qualibet eius parte: ergo anima rationalis coextenditur materiæ secundùm entitatem.

Minor pr. Anima rationalis non potest esse tota in qualibet parte materiæ, quin verum sit dicere illam esse totam in diuersis partibus materię; atqui non est tota in diuersis partibus materiæ: ergo non est tota in tota materia, & tota in qualibet eius parte.

Minor pr. Quod est totum in diuersis partibus materiæ est in illis totum, & non est in illis totum; atqui anima non potest in illis esse tota, & non esse tota: ergo non est tota in diuersis partibus materiæ.

Respondeo *esse totam.*

Contrà. Quod est totum in aliquo loco nihil eius est extra; atqui anima non potest ita esse tota in singulis materiæ partibus, quin aliquid eius sit extrà vnamquamque: ergo anima non potest esse tota in singulis partibus materiæ.

Solutio: *Neganda est maior. Ratio est, quia esse totum in aliquo loco nihil aliud est, quàm omnia, quæ ad ipsum pertinent, ibi poni, quod sanè consistere potest, etiamsi eadem ponantur alibi per aliud vbi: ex eo enim nihil aliud sequitur quàm illud habere duplex vbi.*

Contrà. Nihil animæ est extra illam partem, in qua dicitur esse tota, etiamsi habeat duplex vbi: ergo nihil animæ potest esse extra illam partem, in qua dicitur esse tota.

Antecedens pr. Animæ aliquid esse extra illam partem, in qua dicitur esse tota, est eam moueri motibus contrariis, & moueri simul, &

quiescere; atqui anima moueri non potest simul motibus contrariis,& moueri simul,& quiescere: ergo nihil animæ est extra illam partem, in qua dicitur esse tota.

Minor pr. Anima quæ mouetur simul,& quiescit, mouetur & non mouetur; atqui anima non potest moueri,& non moueri: ergo nec moueri simul,& quiescere.

Solutio: *Anima quæ mouetur, & quiescit secundum eandem partem mouetur, & non mouetur,* Concedo. *secundum diuersas partes, in quibus est,* Nego. atqui *anima non potest moueri, & non moueri secundum eandem partem,* Concedo. *secundum diuersas,* Nego. *diuersitas enim illa impedit contradictionem, quæ debet esse respectu eiusdem planè.*

NONA CONCLVSIO:

Partes animarum diuisibilium sunt homogeneæ.

NVLLA est necessitas admittendi partes animarum diuisibilium esse diuersæ rationis & speciei: ergo sunt homogeneæ.

Anteced ns pr. Necessitas admittendi partes illarum animarum esse diuersæ rationis, non potest esse alia, quàm diuersitas temperamentorum partium materiæ in quibus sunt, reparatio aliquando temperamenti amissi, aliquando non, & tandem quòd non sint homogeneæ cum toto; atqui diuersitas temperamentorum, reparatio temperamenti amissi, & non reparatio, & homoge-

neitas cum toto non probant partes illarum animarum esse diuersæ rationis : ergo nulla est necessitas admittendi illas esse diuersæ speciei.

Prima pars minoris, non esse diuersitatem temperamentorum probatur.

Partes illarum animarum omnino similes possunt habere diuersa temperamenta : ergo diuersitas temperamentorum, non probat partes illarum animarum esse diuersæ rationis.

Antecedens pr. Non minùs partes animarum similes possunt habere diuersa temperamenta, quàm anima rationalis indiuisibilis; atqui anima rationalis indiuisibilis habere potest diuersa temperamenta : ergo & partes animarum omnino similes.

Maior pr. Diuersitas temperamentorum minùs infert, & probat diuersitatem principiorum, quàm distinctionem; atqui partes similes sunt distincta principia eorum, & anima rationalis non est nisi vnicum : ergo non minùs partes animarum similes possunt habere diuersa temperamenta, quàm anima rationalis indiuisibilis.

Secunda pars minoris superioris argumenti, non esse etiã necessitatem propter reparationẽ temperamẽti, pr.

Quod non probat distinctionem principiorum non probat eorum diuersitatem; atqui reparatio temperamenti amissi, & aliquando eiusdem non reparatio, non probat distinctionem principiorum : ergo reparatio temperamenti amissi, & aliquando non reparatio eiusdem, non probat partes istarum animarum esse diuersas.

Minor probatur. In oculo hominis est reparatio temperamenti amissi aliquando, aliquando

non est; atqui illa reparatio, & non reparatio, non probat distinctionem principiorum: ergo reparatio temperamenti amissi, & eiusdem non reparatio, non probat distinctionem principiorum.

Minor pr. Anima rationalis est principium illius reparationis; atqui anima rationalis est vna, & eadem res indiuisibilis: ergo reparatio temperamenti non probat distinctionem principiorum.

Tertia pars minoris superioris argumenti, non esse necessitatem partes animæ non esse similes quòd non sint homogeneæ cum toto, pr.

Partes istarum animarum sunt eiusdem rationis cum suo toto: ergo quòd non sint homogeneæ cum toto, non probat illas esse diuersæ rationis.

Antecedens pr. Vt partes non sint diuersæ rationis cum suo toto nihil aliud requiritur, quàm vt sint eiusdem rationis inter se; atqui partes istarum animarum sunt eiusdem rationis inter se: ergo non sunt diuersæ rationis cum suo toto.

Minor pr. Illæ partes sunt eiusdem rationis inter se, quarum vni nihil conuenit, quod non conueniat alteri; atqui vni istarum partium nihil conuenit, quod non conueniat aliis: ergo sunt eiusdem rationis.

Minor pr. Nihil est, quod dici possit conuenire vni, & non alteri, quàm quod vna sit in capite, v.g. & alia in pede; atqui per accidens est, vt quæ est in pede non sit in capite: ergo vni istarum partium nihil conuenit, quod non conueniat aliis.

Maior pr. Partes istæ sunt indifferentes, & indeterminatæ, vt sint in hac parte materiæ cum il-

lo temperamento, vel in alia cum alio: ergo per accidens est, vt quæ est in pede non sit in capite.

Antecedens probatur. Non minùs partes istæ possunt dici indifferentes, vt sint in hac parte, cum hoc temperamento, vel in alia cum alio, quam pars carnis, vt sit in pede dextro, vel sinistro; atqui pars carnis, quæ est in pede dextro est indifferens, vt sit in pede sinistro: ergo partes istæ sunt indifferentes, vt sint in hac parte materiæ cum illo temperamento, vel in alia cum alio.

Sectio V.

An præter animam admitti debeant formæ partiales.

Vnica Conclusio:

Non dantur formæ partiales in viuente.

Formæ partiales sunt v. g. forma carnis, ossis, trunci, folij, &c. & viuentia homo, equus, planta; atqui in homine, equo, & planta præter animam nulla datur forma substantialis carnis, ossis, trunci, folij, &c. ergo non dantur formæ partiales in viuente.

Minor pr. Forma carnis in homine præter eius animam, vel est eadem cum forma carnis, quæ est in eius corpore post abscessum animæ, vel diuersa; atqui non potest dici eadem, nec diuersa: ergo in homine præter animam nulla datur forma substantialis carnis.

Respondent *esse eadem.*

Contrà. Forma carnis eadem in corpore in præſentia animæ, & in eius abſentia eſt ſubſtantialis, & non eſt ſubſtantialis; atqui non poteſt eſſe ſubſtantialis, & non eſſe ſubſtantialis: ergo forma carnis non eſt eadem in homine in præſentia animæ, ac poſt eius abſceſſum.

Reſpondent *eſſe ſubſtantialem.*

Contrà. Forma ſubſtantialis eſt actus completiuus materiæ, & verè illam complet; atqui forma iſta carnis non eſt actus completiuus materiæ, & verè illam non complet: ergo non eſt ſubſtantialis.

Minor pr. Illud non eſt actus completiuus materiæ, & non complet verè materiam, quod non replet totam eius capacitatem; atqui forma iſta carnis non replet totam capacitatem materię: ergo non eſt actus eius completiuus, & verè illam non complet.

Minor pr. Illa forma non replet totam capacitatem materiæ, quæ connaturaliter compatitur intra eam ſecum aliam formam ſubſtantialem; atqui iſta forma carnis compatitur in materia, quam occupat, non tantùm qualemcunque formam ſubſtantialem, ſed omnium nobiliſſimam, & cui amplus admodum videtur deberi locus: ergo iſta forma carnis non replet totam capacitatem materiæ, & relinquit in ea magnam vacuitatem.

Reſpondent: A*d præcedens argumentum, quod non replet totam capacitatem materiæ, non eſt actus completiuus illius omnino*, Concedo. *ex parte*, Nego. *& conceſſa minori*: ergo *iſta forma carnis non eſt actus completiuus omnino materię*,

Concedo. *completiuus ex parte*, Nego.

Contrà. Forma ſubſtantialis debet eſſe actus completiuus omnino materiæ; atqui ex conceſſis iſta forma carnis non eſt actus completiuus omninò materiæ: ergo non eſt ſubſtantialis.

Maior pr. Illud eſt actus omnino completiuus materiæ, quod cum ipſa conſtituit verum totum, & ens propriiſſimè completum; atqui quælibet forma ſubſtantialis ſimul cum materia conſtituit verum totum, & ens propriiſſimè completum: ergo forma ſubſtantialis eſt actus omninò completiuus materiæ.

Reſpondent: Atqui *quælibet forma ſubſtantialis viuens conſtituit verum totum, & omninò completum*, Concedo. *quælibet forma ſubſtantialis non viuens*, Nego. *& eodem modo diſtinguunt conſequens.*

Contrà. Qui admittit formam ſubſtantialem non viuentem non conſtituere totum omnino completum, fateri debet materiam manere ſæpiſſimè ſine præcipua parte ſui complementi; atqui falſum eſt materiam carere ſæpiſſimè præcipua, & maiori parte ſui complementi: ergo forma ſubſtantialis non viuens conſtituit totum omnino completum.

Prima pars minoris probatur.

Tam materia carere non poteſt præcipua, & maiori parte ſui complementi, quàm minus præcipua; atqui carere non poteſt in ſententia contraria minùs præcipua parte ſui complementi, forma ſcilicet ſubſtantiali non viuente: ergo neque præcipua, & maiori parte ſui complementi.

Maior pr. Ideo materia carere non poteſt mi-

nùs præcipua parte sui complementi, quia illam exigit, & quia sine illa esset incompleta; atqui non minùs exigit præcipuam partem sui complementi, & sine illa in sententia contraria est verè incompleta: ergo tam materia carere non potest præcipua, & maiori parte sui complementi, quàm minus præcipua.

Respondere possent: *Ideo materia carere non potest minus præcipua parte sui complementi, quia illam exigit, & sine illa esset incompleta omninò*, Concedo. *ex parte tantum*, Nego. atqui *non minus exigit præcipuam partem sui complementi, & sine illa est verè incompleta omninò*, Nego. *ex parte tantùm*, Concedo.

Contrà. Incompletio illa materiæ ex parte est contra communem sensum, & supponit cùm corrumpitur viuens dari corruptionem sine generatione; atqui philosophandùm non est contra communem sensum, & falsum est dari corruptionem sine generatione: ergo materia nunquam est dicenda esse incompleta etiam ex parte.

Prima pars maioris probatur.

Incompletio illa materiæ ex parte supponit ferrum, lapidem, lignum excisum, & cadauer esse tota minùs completa quàm plantam; atqui est contra communem sensum, quod cadauer, & lignum excisum sint tota minus completa, quàm planta: ergo incompletio illa materiæ ex parte est contra communem sensum.

Maior pr. Totum cuius materia omninò completur à forma ipsi vnita, est magis completum, quàm illud cuius materia non est omninò completa; atqui materia plantæ completur omninò à

forma,

forma, cui eſt vnita: illa verò ligni exciſi, & cadaueris complentur tantùm ex parte à formis quibus ſunt vnitæ: ergo incompletio illa materiæ ex parte ſupponit lignum exciſum, & cadauer eſſe tota minùs completa, quàm plantam.

Secunda pars minoris ſuperioris argumenti, non dari corruptionem ſine noua generatione, probatur.

Corruptio vnius eſt generatio alterius: ergo non datur corruptio ſine noua generatione.

Antecedens pr. Corruptio, quæ non eſt coniuncta cum noua generatione terminat totam intentionem naturæ; atqui corruptio non terminat totam intentionem naturæ: ergo corruptio vnius eſt alterius generatio, ſeu coniuncta eſt cum alterius generatione.

Maior pr. Illud terminat totam intentionem naturæ, ad quod tantùm, & præcisè tendunt agentia naturalia, & intendunt per ſuam actionem; atqui corruptio cùm non eſt coniuncta cum noua generatione eſt id, ad quod præcisè, & vnicum tendunt agentia naturalia, & intendunt per ſuam actionem: ergo corruptio, quæ non eſt coniuncta cum noua generatione, terminat totam intentionem naturæ.

Minor pr. Quod intendunt agentia naturalia per ſuam actionem, eſt illud quod reſultat illa poſita; atqui ſola corruptio cùm non eſt coniuncta cum generatione, reſultat ex actione agentium naturalium: ergo agentia naturalia intendunt ſolam corruptionem, cùm non eſt coniuncta cum generatione.

Minor argumenti antepenultimi probatur.

Illud non terminat totam intentionem naturæ, quod hæc non intendit per ſe; atqui corruptio non intenditur per ſe à natura: ergo corruptio non terminat totam intentionem naturæ.

Obiiciunt. In homine dantur formæ partiales: ergo & in viuente.

Antecedens pr. Chriſtus eſt homo; atqui in Chriſto dantur formæ partiales: ergo & in homine.

Minor pr. In Chriſto datur corpus, & ea, quæ illud conſtituunt; atqui formæ partiales conſtituunt corpus Chriſti: ergo in Chriſto dantur formæ partiales.

Minor pr. Illa conſtituunt iam corpus Chriſti, quæ illud conſtituêre in triduo mortis; atqui formæ partiales conſtituere illud in triduo mortis: ergo formæ partiales conſtituunt corpus Chriſti.

Minor pr. Nihil aliud dici poteſt conſtituiſſe corpus Chriſti abſente eius anima, quàm iſtæ formæ: ergo formæ partiales conſtituere illud in triduo mortis.

Antecedens pr. Illud aliud conſtitutiuum corporis Chriſti non poteſt eſſe niſi materia, vel accidentia in ea recepta; atqui non eſt materia, nec accidentia in ea recepta: ergo nihil aliud dici poteſt conſtituiſſe corpus Chriſti abſente eius anima, quàm iſtæ formæ.

Minor pr. Materia, & accidentia in ea recepta non poſſunt eſſe conſtitutiua corporis, niſi vel ſimul, vel ſeorſim; atqui neque ſimul, neque ſeorſim ſunt conſtitutiua corporis: ergo illud aliud conſtitutiuum corporis non eſt materia, nec accidentia.

Respondeo *esse constitutiua corporis simul.*

Contrà. Illa dici non possunt constitutiua simul corporis, quorum vnum non est constitutiuum illius; atqui accidentia non sunt constitutiua corporis: ergo accidentia, & materia simul non sunt constitutiua corporis.

Minor probatur. Illud non est constitutiuum corporis, quod non est de essentia viuentis; atqui accidentia non sunt de essentia viuentis: ergo non sunt constitutiua corporis.

Solutio: *Illud non est constitutiuum corporis in recto, quod non est de essentia viuentis,* Concedo. *in obliquo,* Nego. *& concessa minori: ergo accidentia non sunt constitutiua corporis in recto,* Concedo. *in obliquo,* Nego.

Contrà. Rectum eius quod dicit corpus non est sola materia: ergo accidentia sunt constitutiua corporis in recto.

Antecedens pr. Non magis rectum eius, quod dicit corpus potest esse sola materia, quàm rectum eius, quod dicit caro, neruus, &c. non est sola materia: ergo neque rectum eius, quod dicit corpus.

Minor probatur. Rectum eius quod dicit caro, neruus, os, &c. est altera compars viuentis; atqui altera compars viuentis non est sola materia: ergo nec rectum eius quod dicit caro.

Minor pr. In materia cùm est sola, introduci debet forma aliqua substantialis; atqui in alteram compartem viuentis cùm sola est, seu sine anima, introduci non debet forma aliqua substantialis: ergo altera compars viuentis non est sola materia.

Minor pr. In alteram compartem hominis, equi, &c. absente eorum anima introduci non debet vlla forma substantialis: ergo nec in alteram compartem viuentis cùm sola est.

Antecedens pr. Introduci non debet forma substantialis in alteram compartem hominis, cùm fit primò absens eius anima, quin detur causa productiua illius formæ; atqui sæpè cùm fit primò absens eius anima, nulla datur causa productiua forma illius substantialis, quæ dici posset introduci: ergo in alteram compartem hominis absente anima introduci non debet forma substantialis.

Minor pr. Sæpè fit primò absens anima hominis, ab altera eius comparte per suffocationem, amputationem capitis, &c. atqui non datur tunc vlla causa productiua formæ substantialis: ergo sæpè cùm fit primò absens anima, nulla datur causa productiua formæ substantialis.

Minor pr. Causa productiua tunc temporis formæ substantialis, non potest esse nisi ferrum diuidens caput à collo, aër circunstans, cœlum, aut Deus; atqui non est ferrum, aër, cœlum, aut Deus: ergo non datur tunc vlla causa productiua formæ substantialis.

Duæ primæ partes minoris probantur.

Illud non est causa productiua formæ illius substantialis, quod producit tantùm motum localem, aut aliquod aliud accidens simile, aut certè producere non potest formam mixti; atqui ferrum nihil aliud producit, quàm motum localem, aut aliquod aliud accidens simile, & aër producere non potest formam mixti: ergo nec ferrum,

nec aër sunt causa illius formæ substantialis.

Prima pars minoris probatur.

Non potest ferrum dici potiùs producere posse formam aliquam substantialem, quàm similem suæ; atqui non producit formam substantialem suæ similem: ergo producit tantùm motum localem.

Secunda pars minoris præcedentis argumenti probatur.

Aër dici non potest causa productiua formæ nobilioris propria; atqui forma mixti est nobilior forma aëris: ergo aër dici non potest causa productiua formæ mixti.

Tertia, & quarta pars minoris superioris argumenti, neque Deum, neque cœlum esse causas illius formæ, pr.

Cœlum, & Deus sunt causæ vniuersales; atqui causæ vniuersales non sunt causa productiua illius formæ: ergo Deus, & cœlum non sunt causa productiua illius.

Minor pr. Causæ vniuersales non producunt suos effectus nisi ad exigentiam particularium; atqui particulares non exigunt productionem illius formæ: ergo causæ vniuersales non sunt causa illius.

Minor pr. Particulares, quæ dici possunt exigere illam productionem, sunt materia, & accidentia in illa tunc existentia; atqui neque materia, neque accidentia in illa existentia exigunt illam productionem: ergo particulares non exigunt illam productionem.

Minor pr. Non magis materia, & accidentia in illa tunc existentia dicenda sunt exigere illā pro-

ductionem, quàm eadem materia, & accidentia in illa existentia, cùm aliquis homo moritur v. g. nimio calore, & alius frigore; atqui materia, & accidentia in illa existentia, cùm aliquis homo moritur nimio calore, & alius frigore, non exigunt illam productionem: ergo neque materia, neque accidentia in illa existentia exigunt illam productionem.

Minor probatur. Opposita accidentia non exigunt productionem similis formæ; atqui accidentia hominis interfecti nimio calore, & occisi nimio frigore sunt opposita, & productio formæ in illis est similis: ergo accidentia cùm aliquis homo moritur nimio calore, & alius frigore, non exigunt illam productionem.

Solutio: *Opposita accidentia non exigunt productionem similis formæ, si hæc à natura instituta non sit ad succedendum expulsæ recedenti*, transeat. *si instituta sit à natura ad succedendum expulsæ*, Nego. atqui *accidentia hominis interfecti nimio calore, & occisi nimio frigore sunt opposita*, Concedo *illam partem. & productio formæ in illis est similis, & non est à natura instituta ad succedendum expulsæ*, Nego. *& est à natura instituta ad succedendum expulsæ*, Concedo.

Contrà. Opposita accidentia non possunt exigere productionem similis formæ, etiam à natura institutæ ad succedendum alteri: ergo nulla solutio.

Antecedens pr. Forma non exigitur ab accidentibus ipsi contrariis; atqui opposita accidentia sunt ipsi contraria: ergo opposita acciden-

tia, non possunt exigere productionem similis formæ.

Solutio: *Forma non exigitur ab accidentibus ipsi contrariis*, *hoc est non omnino connaturalibus*, Nego. *hoc est non sufficientibus ad eius introductionem*, Concedo. atqui *opposita accidentia sunt ipsi contraria*, *hoc est non connaturalia*, Concedo. *non sufficientia ad eius introductionem*, Nego.

Contrà. Accidentia, quæ sunt in materia cùm sit primò absens ab ea anima, non sunt sufficientia ad introductionem formæ illius succedentis: ergo nulla solutio.

Antecedens pr. Illa accidentia non sunt sufficientia ad introductionem formæ, quæ ipsa expellit; atqui accidentia, quæ sunt sæpè in materia cùm ab ea sit absens anima, expelluntur à forma succedente: ergo accidentia, quæ sunt in materia cùm sit primò absens ab ea anima, non sunt sufficientia ad introductionem formæ illius succedentis.

Solutio: *Illa accidentia non sunt sufficientia ad introductionem formæ, quæ ipsa expellit omninò*, Concedo. *quæ expellit tantum ex parte.* Nego. atqui *accidentia, quæ sunt in materia cum ab ea anima sit absens, expelluntur à forma succedente omninò.* Nego. *ex parte tantum*, Concedo. *Cum formæ viuentes quamplurima tot, ac tanta exigant, vt possint perseuerare in materia, & sæpè defectu vel vnius ex illis, continuitatis v. g. vnius partis cum aliis, aut alicuius similis debeant desinere esse in illa: dubitandum non est naturam ne materia maneret (cum anima hoc modo cogi-*

tur recedere) sine vlla forma substantiali, prouidisse de aliqua, quæ succederet in locum recedentis, quamuis in sui introductione non reperiret in materia accidentia, quæ in ea exigit, & cùm primùm potest in ea producit expellendo, & destruendo relicta à forma, quæ coacta est recedere.

SECTIO VI.

De potentiis animæ, & an ab illa distinguantur.

PRIMA CONCLVSIO:

Potentiæ vitales non sunt accidentia specialia superaddita formis viuentibus.

POTENTIAE vitales nihil aliud sunt, quàm principium productiuum actuum vitalium; atqui principium productiuum actuum vitalium, non est aliquod accidens speciale superadditum formis viuentibus: ergo potentiæ vitales non sunt accidentia specialia superaddita formis viuentibus.

Minor probatur. Nulla est necessitas planè specialis vllius accidentis, vt producantur actus vitales: ergo principium actuum vitalium, non est speciale aliquod accidens superadditum formis viuentibus.

Antecedens pr. Illud non est necessarium, vt

producantur actus vitales, sine quo naturaliter produci possunt; atqui actus vitales sine vllo speciali accidente naturaliter produci possunt: ergo principium actuum vitalium, non est speciale aliquod accidens superadditum formis viuentibus.

Minor pr. Actus vitales produci possunt naturaliter ab anima, cum specie impressa, & aliis eius accidentibus communibus; atqui neque species impressa, neque illa accidentia communia sunt speciale aliquod accidens ipsi superadditum: ergo actus vitales produci possunt naturaliter sine vllo speciali accidente.

Maior pr. Ab illo non est negandum produci posse actus vitales naturaliter, quo admisso facilius intelligitur, quomodo illi communicent suum effectum formalem animæ; atqui faciliùs intelligitur concessa vi productiua illorum animæ, & eius accidentibus communibus, quomodo illi actus ei communicent suum effectum formalem: ergo actus vitales produci possunt naturaliter ab anima cum specie impressa, & aliis eius accidentibus communibus.

Minor pr. Faciliùs intelligitur communicatio animæ effectus formalis actuum vitalium, cùm ei immediatè vniuntur, quàm cùm tantùm mediatè; atqui concessa animæ vi productiua illorum, cum suis accidentibus communibus ei immediatè vniuntur: ergo concessa vi productiua actuum vitalium animæ faciliùs intelligitur, quomodo illi actus ei communicent suum effectum formalem.

Maior pr. Effectus formalis actuum vitalium

e't v. g. esse sentiens, videns, intelligens, &c. atqui facilius intelligitur communicatio sentientis, videntis, &c. animæ, cùm ei immediatè vnitur sensatio, visio, &c. quàm cùm tantùm mediatè: ergo & communicatio effectus formalis actuum vitalium.

Minor pr. Esse sentiens, videns, intelligens est esse coniunctum cum sensatione, visione, intellectione; atqui faciliùs intelligitur communicatio eius, quod est esse coniunctum cum visione, ei, cui illa immediatè vnitur: ergo facilius intelligitur communicatio videntis ei, cui immediatè vnitur visio.

Minor argumenti antepenultimi probatur.

Concessa vi productiua animæ, & eius accidentibus communibus actuum vitalium non possunt hi vniri alteri immediatè, quàm animæ, aut eius accidentibus communibus; atqui non vniuntur eius accidentibus communibus: ergo concessa animæ, & eius accidentibus communibus vi productiua actuum vitalium, hi immediatè vniuntur animæ.

Obiicies. Potentiæ vitales sunt accidentia specilia realiter superaddita animæ rationali: ergo & formis viuentibus.

Antecedens pr. Potentiæ vitales animæ rationalis, sunt intellectus, voluntas, potentia sensitiua, & loco motiua; atqui intellectus, voluntas, potentia sensitiua, & loco motiua sunt accidentia specialia realiter superaddita animæ rationali: ergo & potentiæ vitales ipsius.

Minor pr. Illa accidentia sunt realiter superaddita animæ rationali, quæ ab illa realiter dis-

tinguuntur; atqui intellectus, voluntas, &c. realiter distinguuntur ab anima rationali: ergo sunt illi realiter superaddita.

Duæ primæ partes minoris probantur.

Intellectus, & voluntas non possunt dici esse idem realiter cum anima rationali: ergo distinguuntur realiter ab illa.

Antecedens pr. Quæ sunt idem realiter cum anima, sunt etiam idem realiter inter se; atqui intellectus, & voluntas non sunt idem realiter inter se: ergo neque cum anima.

Minor pr. Illa non sunt idem realiter inter se, quorum vni conuenit aliquid realiter, quod non conuenit alteri; atqui intellectui conuenit realiter aliquid, quod non conuenit voluntati: ergo intellectus, & voluntas non sunt idem realiter inter se.

Minor pr. Intelligere, seu producere intellectionem conuenit realiter intellectui; atqui non conuenit voluntati: ergo aliquid conuenit realiter intellectui, quod non conuenit voluntati.

Solutio: Atqui *producere intellectionem, & intelligere non conuenit voluntati realiter loquendo, seu ex parte eius, quod dicit voluntas in recto,* Nego. *formaliter, seu habita ratione eius, quod dicit voluntas in obliquo,* Concedo. ergo *conuenit aliquid intellectui quod non conuenit voluntati realiter, & secundum id, quod ambo important in recto,* Nego. *secundum id, quod important in obliquo,* Concedo. *Ratio est, quia vtrumque importat pro recto ipsam animam, in obliquo verò intellectus intellectionem, & voluntas volitionem. Anima siquidem non dicitur intellectus nisi qua-*

tenus producit, & comparatur cum intellectione, sicut nec voluntas nisi quatenus comparatur cum volitione: volitioni verò, & intellectioni cùm diuersa conueniant, non est mirum, si intellectui, & voluntati secundùm id, quod important in obliquo, non eadem planè competant.

Contrà. Non minùs intellectus, & voluntas realiter distinguuntur ab anima etiam secundùm id, quod important in recto, quàm potentiâ sensitiua; atqui potentia sensitiua distinguitur realiter ab anima etiam secundùm id, quod dicit in recto: ergo intellectus, & voluntas distinguuntur realiter ab anima etiam secundùm id, quod dicunt in recto.

Minor pr. Potentiæ sensitiuæ, & animæ rationali conueniunt prædicata contradictoria: ergo potentia sensitiua realiter distinguitur ab anima.

Minor pr. Esse materiale, & non esse materiale sunt prædicata contradictoria; atqui esse materiale conuenit potentiæ sensitiuæ, & non esse materiale animæ rationali: ergo potentiæ sensitiuæ, & animæ rationali conueniunt prædicata contradictoria.

Solutio: Atqui *esse materiale conuenit potentiæ sensitiuæ secundum id, quod dicit in recto, seu secundum totum, quod dicit*, Nego. *secundùm id quod dicit in obliquo, seu ex parte*, Concedo. *Quod potentia sensitiua dicit en recto est anima, & quod dicit in obliquo est temperamentum, & alia cum illa concurrentia ad producendas sensationes, quæ sunt materialia, ac proinde, & potentia sensitiua ratione illorum.*

Contrà. Potentia sensitiua secundùm id, quod

dicit in recto non est anima: ergo nulla solutio.

Antecedens pr. Potentia loco-motiua secundùm id, quod dicit in recto non est anima: ergo neque potentia sensitiua.

Antecedens pr. Potentia loco-motiua secundùm id, quod dicit in recto est materialis; atqui anima non est materialis: ergo potentia loco-motiuo secundùm id, quod dicit in recto non est anima.

Maior pr. Quod non est spiritale est materiale; atqui potentia loco-motiua secundùm id, quod dicit in recto non est spiritalis: ergo est materialis.

Minor pr. Potentia loco-motiua spiritalis secundùm id, quod dicit in recto non defatigatur mouendo, & tam facilè mouet corpus languidum, ac sanum; atqui potentia loco-motiua humana defatigatur mouendo, & difficilius mouet corpus languidum, ac sanum: ergo non est spiritalis.

Solutio: *Potentia loco-motiua spiritalis secundùm id, quod dicit in recto, non defatigatur mouendo, & tam facilè mouet corpus languidum, ac sanum, si non dependeat in productione illius motus ab aliquo corporeo,* transeat. *si pendeat,* Nego. atqui *potentia loco-motiua humana defatigatur mouendo, & non mouet tam facilè corpus languidum, ac sanum, propterea quod dependeat in productione illius motus ab aliquo corporeo,* Concedo. *si non dependeret ab vllo corporeo,* Nego. *Illud à quo pendet sunt spiritus animalis, & bona dispositio corporis, quæ sine dubio sunt corporea.*

Contrà. Potentia loco-motiua spiritalis non

pendet ab vllo corporeo in mouendo: ergo nulla solutio.

Antecedens probatur. Potentia loco-motiua Angeli non pendet ab vllo corporeo in mouendo; atqui illa est spiritalis: ergo potentia loco motiua spiritalis non pendet ab vllo corporeo in mouendo,

Solutio: *Neganda est consequentia, quia argumentum non est in forma, procedit enim à particulari ad vniuersale, à potentia scilicet loco-motiua Angeli ad omnes alias.*

Contrà. Non est maior ratio cur potentia loco-motiua Angeli non pendeat ab aliquo corporeo in mouendo, quàm nostra potentia loco-motiua; atqui ex concessis potentia loco-motiua Angeli non pendet ab vllo corporeo in mouendo: ergo neque nostra.

Solutio: *Neganda est maior, quia cùm Angelus non sit pars totius corporei, non est ratio, cur in suis operationibus dependeat ab aliquo corporeo: at verò anima cum sit pars actuans totius physici materialis, æquum est, vt dependeat in suis operationibus ab adiumentis, & auxiliis materialibus.*

SECVNDA CONCLVSIO:

Actus vitalis distinguitur modaliter ab actione, per quam fit.

ILLVD distinguitur modaliter ab actione, per quam fit, quod non est suimet ipsius actio; atqui actus vitalis non est suimet ipsius actio:

ergo distinguitur modaliter ab actione, per quam fit.

Minor pr. Illud non est suimet ipsius actio, quod non pendet immediatè à sua causa; atqui actus vitales non pendent immediatè à suis causis: ergo non sunt actio sui ipsorum.

Minor pr. Ille effectus non pendet immediatè à sua causa, qui est factibilis ab aliis, modò ab vna, modò ab alia; atqui actus vitales factibiles sunt à variis causis modò ab vna, modò ab alia: ergo non pendent immediatè à suis causis.

Minor pr. Anima cum Deo, & Deus solus, anima etiam cum habitu, aut ipsa sine habitu, sunt variæ causæ; atqui actus vitales fieri possunt modò ab anima simul cum Deo, modò à Deo solo, modò ab anima sine habitu, & modò cum habitu: ergo factibiles sunt à variis causis modò ab vna, & modò ab alia.

Minor pr. Intellectio, volitio, &c. sunt actus vitales; atqui intellectio, & volitio, &c. fieri possunt modò ab anima cum habitu, modò ab illa sine habitu: ergo & actus vitales.

Minor pr. Intellectionem, quæ fit ab anima sine habitu, non posse eandem fieri ab anima cum habitu, est illam, quæ fit cum habitu differre specie ab ea, quæ fit sine habitu, & habitum non dare facilè posse, sed simpliciter; atqui intellectio facta ab anima sine habitu, non differt specie ab ea, quæ fit ab anima cum habitu, & habitus non dat simpliciter posse: ergo intellectio, volitio, &c. fieri possunt modò ab anima cum habitu, modò ab illa sine habitu.

Secunda pars maioris probatur.

Illud dat ſimpliciter poſſe,& non tantùm facilè,ſine quo fieri non poteſt aliquis actus;atqui in ſententia contraria ſine habitu fieri non poteſt actus, qui fit cum illo:ergo habitus dat ſimpliciter poſſe efficere intellectionem illam.

Reſpondent aliqui : *Illud dat ſimpliciter poſſe, & non tantùm facilè ,ſine quo fieri non poteſt aliquis actus in indiuiduo, aut alius ſimilis*, Concedo. *aliquis tantùm in indiuiduo*,Nego. atqui *actus qui fit cum habitu non poteſt fieri ſine illo , actus ille in indiuiduo* , Concedo. *alius ſimilis*, Nego. *Volunt enim actum ,qui fit cum habitu eſſe ſimilem illi , qui fit ſine habitu, ſaltem non diuerſæ ſpeciei, propterea quòd differat ab alio tantum in principio inſtrumentali diuerſo , quod non inducit magnam diuerſitatem.*

Contrà. In iſta ſententia, vt habitus det facilè poſſe , oportet vt actus qui fit per illum facilius fiat,quàm qui ſine illo; atqui ille non fit facilius quàm iſte : ergo habitus ſine quo fieri non poteſt actus,non dat facilè poſſe.

Probatur primò maior.

Vt habitus det facilè poſſe , oportet vt aliquid fiat facilius per illum,quàm ſine illo ; atqui nihil eſt aliud,quod facilius fieri poſſit per illum quàm actus , qui fit per illum:ergo in iſta ſententia, vt habitus det facilè poſſe, oportet vt actus, qui fit per illum facilius fiat quàm qui ſine illo.

Probatur ſecundò minor.

Potentiæ neceſſariæ habentes requiſita ad agendum præcisè, æquè facilè agunt, & producunt ſuos effectus ; atqui anima cum habitu , & eadem ſine habitu habet ſe ad modum neceſſa-

riarum respectu illorum suorum effectuum: ergo non facilius producit vnum, quàm alium.

Minor pr. Non est libera in attemperatione sui concursus in eo quod est vti, vel non vti illis necessariis ad producendum effectum: ergo habet se ad modum necessariarum respectu illorum suorum effectuum.

Tertia Conclvsio:

Actus vitales fiunt ab anima, & in anima.

Illi actus fiunt ab anima, & in anima quorum anima est principium effectiuum, & receptiuum; atqui anima est principium effectiuum, & receptiuum actuum vitalium: ergo actus vitales fiunt ab anima, & in anima.

Minor pr. Actus vitales sunt sensationes, appetitiones, intellectiones, & volitiones; atqui anima est principium effectiuum, & receptiuum sensationum, appetitionem, intellectionum, & volitionum: ergo anima est principium effectiuum, & receptiuum actuum vitalium.

Prima pars minoris probatur.

Illud est principium effectiuum intellectionum, & volitionum, quod est principium liberum illarum; atqui anima est principium liberum intellectionum, & volitionum: ergo & principium illarum effectiuum.

Maior pr. Quod est principium liberum intellectionum, & volitionum se determinat ad illas,

& est propter illas vituperabile; atqui quod non est principium effectiuum intellectionum, & volitionum non se determinat ad illas, & non est propter illas vituperabile: ergo illud est principium effectiuum volitionum, quod est principium liberum illarum.

Minor pr. Illud non se determinat ad intellectiones, & volitiones, & propter eas non est vituperabile, in cuius potestate non est eas ponere, vel non ponere; atqui non est in potestate eius, quod non est principium effectiuum eas ponere, & non ponere: ergo quod non est principium effectiuum intellectionum, & volitionum non se determinat ad illas.

Secunda pars primi argumenti, animam scilicet esse principium receptiuum intellectionum, probatur.

Illud est principium receptiuum intellectionum, & volitionum, cui intellectiones, & volitiones immediatè vniuntur; atqui intellectiones, & volitiones immediatè vniuntur animæ: ergo hæc est principium illarum receptiuum.

Minor pr. Illi intellectiones, & volitiones vniuntur immediatè, cui communicant effectum formalem intelligentis, & volentis; atqui intellectiones, & volitiones communicant animæ effectum formalem intelligentis, & volentis: ergo ei vniuntur immediatè.

Maior pr. Effectus formalis intelligentis, & volentis nihil est aliud, quàm subiectum intellectionis, & volitionis, intellectio, & volitio, & istarum cum illo vnio: ergo intellectiones, & volitiones vniuntur immediatè ei, cui communi-

cant effectum formalem intelligentis, & volẽtis.

Secunda pars minoris superioris argumenti, animam esse principium receptiuum sensationum, & appetitionum, probatur.

Non minùs sensationes, & appetitiones communicant effectum formalem appetentis animæ, quàm intelligentis, & volentis; atqui ex eo quod communicent effectum formalem intelligentis, & volentis, vniuntur immediatè animæ: ergo etiam sensatio, & appetitiò vniuntur immediatè animæ, & in ea recipiuntur.

Prima pars minoris superioris argumenti, animam esse quoque principium effectiuum sensationum, & appetitionum, probatur.

Quod est principium receptiuum appetitionum est etiam principium effectiuum earum; atqui anima ex concessis est principium receptiuum appetitionum: ergo & debet esse effectiuum.

Maior probatur. Quod est principium viuens appetitionum, & sensationum est principium earum effectiuum; atqui principium receptiuum sensationum, & appetitionum est principium viuens earum: ergo quod est principium receptiuum appetitionum, est etiam principium illarum effectiuum.

Maior pr. Quod agit appetitiones, & sensationes est principium earum effectiuum; atqui quod est principium viuens earum eas agit: ergo quod est principium vitale appetitionum, est principium effectiuum earundem.

Minor pr. Viuens est agens: ergo principium viuens appetitionum est earum effectiuum.

Minor antepenultimi argumenti, principium re-

ceptiuum appetitionum, esse earundem principium viuens, probatur.

Illud est principium viuens sensationum, & appetitionum, quod per illas viuit; atqui principium receptiuum appetitionum, & sensationum per illas viuit: ergo est principium earum viuens, & vitale.

Minor probatur. Illud viuit per sensationes, & appetitiones quod ab illis habet, vt sit sentiens, & appetens; atqui per sensationes, & appetitiones principium earum habet vt sit appetens, & sentiens: ergo per illas viuit.

Obiicies in secundam partem conclusionis.

Illi actus non fiunt in anima, quorum anima non est principium subiectiuum; atqui anima non est principium subiectiuum actuum vitalium: ergo actus vitales non fiunt in anima.

Minor pr. Sensationes, & appetitiones materiales hominis sunt actus vitales; atqui anima non est principium earum subiectiuum: ergo nec actuum vitalium.

Minor probatur. Illud non est principium subiectiuum sensationum, & appetitionum hominis, in quo istæ non recipiuntur; atqui sensationes, & appetitiones hominis non recipiuntur in eius anima: ergo hæc non est principium subiectiuum illarum.

Minor probatur. Quod est materiale non recipitur in eo, quod est spiritale; atqui sensationes sunt materiales, & hominis anima spiritalis: ergo sensationes, & appetitiones hominis non recipiuntur in eius anima.

Solutio: *Quod est materiale non recipitur ade-*

quatè in eo, quod est spiritale, Concedo. *inadæquatè*, Nego. ergo *sensationes hominis non recipiuntur adæquatè in eius anima*, Concedo. *inadæquatè*, Nego.

Contrà. Quod recipitur etiam inadæquatè in eo, quod est spiritale, est verè spiritale; atqui quod est materiale non potest esse spiritale: ergo quod est materiale non recipitur etiam inadæquatè in eo, quod est spiritale.

Maior pr. Non minus id, quod recipitur inadæquatè in subiecto spiritali est spiritale, quàm id, quod recipitur inadæquatè in subiecto materiali est materiale, aut quod efficitur inadæquatè à causa supernaturali est supernaturale; atqui quod recipitur in subiecto materiali est materiale, & quod efficitur inadæquatè à causa supernaturali est supernaturale: ergo quod recipitur etiam inadæquatè in eo quod est spiritale, est verè spiritale.

Maior pr. Vt quod recipitur inadæquatè in subiecto spiritali sit spiritale, nihil aliud requiritur quàm vt subiectum illud inadæquatum spiritale communicet ei suam spiritalitatem, & vt res sit materialis, aut supernaturalis, quàm vt subiectum inadæquatum, aut causa efficiens inadæquata communicet ei materialitatem, aut supernaturalitatem; atqui non minus subiectum inadæquatum spiritale, est aptum ad communicandam spiritalitatem ei, quod in ipso recipitur, quàm subiectũ inadæquatum materiale, aut causa efficiens inadæquata supernaturalis illa materialitatem, & ista supernaturalitatem: ergo non minus id, quod recipitur inadæquatè in subiecto spiritali est spi-

ritale,quàm id,quod recipitur inadæquatè in subiecto materiali est materiale, aut quod efficitur inadæquatè à causa supernaturali est supernaturale.

Solutio: *Neganda est minor. Ratio est, quia spiritalitas consistit in negatione dependentiæ à subiecto materiali,quæ consequenter haberi non potest, cùm totum eius subiectum non est spiritale, sed ex parte materiale. Materialitas autem, & supernaturalitas positæ sunt,illa quidem in dependentia à subiecto materiali, hæc verò in necessaria dependentia à causa supernaturali,quæ duo haberi possunt etiam si subiectum sit tantùm inadæquatè materiale, aut causa efficiens partialiter tantùm supernaturalis.*

QVARTA CONCLVSIO:

Actus vitales produci possunt à solo Deo.

VT actus vitales producantur à solo Deo nihil aliud requiritur, quàm vt Deus suppleat concursum,quem accipiunt ab anima; atqui non implicat Deum supplere concursum,quem actus vitales sumunt ab anima: ergo actus vitales produci possunt à solo Deo.

Minor pr. Non magis implicat Deum supplere concursum, quem actus vitales sumunt ab anima, quàm eum, quem alij effectus non modales accipiunt à suis causis connaturalibus; atqui non implicat Deum supplere concursum, quem accipiunt alij effectus à suis causis connaturalibus: ergo non implicat Deum supplere concursum,

quem actus vitales sumunt ab anima.

Maior pr. Non potest esse alia ratio, cur magis implicet Deum supplere concursum, quem accipiunt actus vitales ab anima, quàm eum, quem alij effectus accipiunt à suis causis connaturalibus, quàm quod anima exigat producere istos actus, aut ipsi ab ipsa produci; atqui quod anima exigat illos producere, aut ipsi ab ipsa produci non facit, vt magis implicet: ergo non magis implicat Deum supplere concursum, quem actus vitales sumunt ab anima, quàm eum, quem alij effectus non modales accipiunt à suis causis connaturalibus.

Minor pr. Illud non facit, vt magis implicet istos actus produci à Deo quàm alios, cui Deus obsequi non tenetur; atqui Deus obsequi non tenetur exigentiæ illi istorum actuum, aut animæ: ergo quod anima exigat illos producere, aut ipsi ab ipsa produci non facit, vt magis implicet.

Minor pr. Illi obsequi Deus non necessitatur, cui liberè se accommodat; atqui Deus liberè se accommodat isti exigentiæ: ergo Deus non necessitatur obsequi illi exigentiæ.

Minor pr. Accommodatio illa est opus Dei ad extra; atqui Deus liberè exercet sua opera ad extra: ergo & liberè accommodat se illi exigentiæ.

Obiicies. Actus, qui pendet essentialiter à principio vitali fieri non possunt à Deo solo; atqui actus vitales essentialiter pendent à principio vitali: ergo fieri non possunt à Deo solo.

Minor pr. Illi actus pendent essentialiter à principio vitali, qui sunt essentialiter tendentia prin-

cipij vitalis in obiectum; atqui actus vitales sunt essentialiter tendentia principij vitalis in obiectum: ergo pendent essentialiter à principio vitali.

Solutio: *Illi actus pendent essentialiter à principio vitali, qui sunt essentialiter tendentia in obiectum sui principij actiua, & passiua*, Concedo. *formalis tantum*, Nego. atqui *actus vitales sunt essentialiter tendentia in obiectum sui principij actiua, & passiua*, Nego. *formalis*, Concedo. *Sensus est, actus vitales non fieri quidem essentialiter à principio vitali, ipsis tamen essentiale esse repraesentare, aut ferri in obiectum.*

Contrà. Amor est actus vitalis; atqui amor est essentialiter tendentia actiua, & passiua principij vitalis in obiectum: ergo actus vitales sunt essentialiter tendentia actiua, & passiua principij vitalis in obiectum.

Minor pr. Quod est essentialiter voluntarium est essentialiter tendentia actiua, & passiua principij vitalis in obiectum; atqui amor est essentialiter voluntarius: ergo & tendentia actiua, & passiua principij vitalis in obiectum.

Solutio: *Quod est essentialiter voluntarium in actu secundo, est essentialiter tendentia actiua, & passiua principij vitalis in obiectum*, Concedo. *quod est essentialiter voluntarium tantum in actu primo est tendentia actiua, & passiua*, Nego. atqui *amor est essentialiter voluntarius in actu primo*, Concedo. *in actu secundo*, Nego. *Voluntarium essentialiter in actu primo, est illud quod exigit fieri à principio intrinseco ex cognitione, voluntarium verò in actu secundo, quod non tantum* hoc

hoc exigit, sed etiam actu fit à principio intrinseco ex cognitione. Primum est essentiale amori, secundum verò non. Eo enim potest priuari.

Contrà. Illud est essentialiter voluntarium in actu secundo, quod fieri non potest nisi à principio intrinseco ex cognitione; atqui amor fieri non potest nisi à principio intrinseco ex cognitione: ergo amor est essentialiter voluntarius in actu secundo.

Minor pr. Amor factus à principio extrinseco debet esse necessario in subiecto, vel sine subiecto; atqui non potest dici esse neque in subiecto, neque sine subiecto: ergo amor fieri non potest nisi à principio intrinseco ex cognitione.

Minor pr. Non magis amor productus à principio extrinseco, potest esse sine subiecto, aut in subiecto, quàm visio eodem modo producta; atqui visio producta à principio extrinseco, neque esse potest in subiecto, neque sine subiecto: ergo neque amor.

Prima pars minoris, non posse esse in subiecto, probatur.

Subiectum illius deberet esse res animata, aut inanimata; atqui neutrum dici potest: ergo non potest esse in subiecto.

Respondeo *posse dici vtrumque.*

Contrà. Lapis est res inanimata; atqui lapis non potest esse subiectum visionis: ergo res inanimata non potest dici subiectum illius.

Minor pr. Quod est subiectum visionis est videns; atqui lapis non potest esse videns: ergo nec subiectum visionis.

Solutio: *Quod est subiectum visionis, & simul*

causa eius efficiens est videns, Concedo. *quod est tantum eius subiectum*, Nego. *& concessa minori*: ergo *lapis non est subiectum, & simul causa efficiens visionis*, Concedo. *subiectum tantum, & non causa efficiens*, Nego.

Contra ad impugnationem distinctionis, Supponunt lapidem per eleuationem, & auxilium Dei extraordinarium producere visionem, *& sic argumentantur.*

Ex concessis quod est subiectum, & simul causa efficiens visionis est videns; atqui lapis in suppositione facta est subiectum, & simul causa efficiens visionis: ergo lapis est verè videns.

Solutio: *Quod est subiectum visionis, & simul eius causa efficiens connaturaliter est videns*, Concedo. *quod est causa efficiens, & subiectum non connaturaliter est videns*, Nego. atqui *lapis connaturaliter est subiectum, & causa efficiens visionis*, Nego. *non connaturaliter*, Concedo.

Contrà. Concretum ex visione, & lapide debet donari aliquo nomine; atqui non est aliud conuenientius quàm videns: ergo lapis subiectans, & efficiens visionem est verè videns.

Solutio: *Neganda est minor. Ratio est, quia cùm non habeamus sæpè nomina pro rebus, quæ in vsum non veniunt, & de potentia tantum Dei absoluta fieri possunt. Nomen autem videntis vsurpetur tantùm ad significandam causam subiectiuam, & efficientem connaturaliter visionis tribui non potest illi, quod aut non est causa subiectiua, aut efficiens visionis, aut etiam si illam efficiat, & recipiat non hoc facit connaturaliter. Quare quærendum est illi aliud nomen, aut de nouo formandum, quod hoc significet.*

DISPVTATIO II.

De anima vegetatiua, eiusque potentiis, & operationibus.

Sectio I.

De potentiis animæ vegetatiuæ.

Prima Conclusio:

Animæ vegetatiuæ cooperantur quatuor primæ qualitates.

OPERATIONES animæ vegetatiuæ sunt nutritio, augmentatio, & generatio; atqui animæ vegetatiuæ in nutritione, augmentatione, & generatione cooperātur quatuor primæ qualitates: ergo animæ vegetatiuæ cooperantur quatuor primæ qualitates.

Minor pr. Illæ qualitates cooperantur animæ vegetatiuæ in nutritione, augmentatione, & generatione, quæ iuuant illam ad inducendam in alimentum dispositionem necessariam ad formam viuentis, aut seminis; atqui quatuor primæ qualitates iuuant animam vegetatiuam, ad in-

ducendam dispositionem necessariam in alimentum ad formam viuentis, aut seminis: ergo quatuor primæ qualitates cooperantur animæ vegetatiuæ in nutritione, augmentatione, & generatione.

Minor pr. Dispositio necessaria in alimento ad formam viuentis, aut seminis est temperamentum quatuor primarum qualitatum conueniens formæ viuentis, aut seminis; atqui quatuor primæ qualitates iuuant animam ad inducendum illud temperamentum: ergo & ad inducendum in alimentum dispositionem necessariam ad formam viuentis, aut seminis.

Minor pr. Illud iuuat ad inducendum temperamentum conueniens formæ viuentis, aut seminis quod est productiuum illius, & de facto illud producit; atqui quatuor primæ qualitates sunt productiuæ, & de facto producunt temperamentum conueniens formæ viuentis, aut seminis: ergo iuuant animam ad illud inducendum.

Minor pr. Temperamentum conueniens formæ viuentis, aut seminis, nihil est aliud quàm complexio caloris, frigoris, humiditatis, & siccitatis in certo gradu; atqui quatuor primæ qualitates sunt productiuæ caloris, frigoris, humiditatis, & siccitatis in certo gradu: ergo quatuor primæ qualitates sunt productiuæ, & producunt temperamentum conueniens formæ viuentis, aut seminis.

III *Obijcies.* Frigus est prima qualitas; atqui frigus non cooperatur animæ vegetatiuæ in suis operationibus: ergo omnes primæ qualitates non cooperantur animæ vegetatiuæ in suis operationibus.

Minor pr. Operationes animæ vegetatiuæ sunt nutritio, augmentatio, & generatio; atqui frigus non cooperatur animæ vegetatiuæ, neque in nutritione, neque in augmentatione, neque in generatione: ergo neque in eius operationibus.

Minor pr. Illud, quod cooperatur animæ vegetatiuæ in nutritione, augmentatione, aut generatione dicitur vitale, & ab eo est concoctio, non verò condensatio; atqui frigus non dicitur vitale, & ab eo non est concoctio, benè verò condensatio: ergo frigus non cooperatur animæ vegetatiuæ, neque in nutritione, neque in augmentatione, neque in generatione.

Solutio: Atqui *frigus non dicitur vitale tam perfectè, ac calor, in homine maximè, & aliis animalibus*, Concedo. *nullo modo dicitur vitale, sine concurrens ad operationes vitæ*, Nego. *similiter distinguenda est secunda pars minoris, à frigore non est concoctio, quæ sonat dispositionem ad formam viuentis, in qua prædominatur calor*, Concedo. *quæ sonat alterationem prauiam ad introductionem formæ viuentis, siue in ea prædominetur calor, siue non*, Nego. *& deinde distinguenda est tertia pars minoris, benè verò condensatio cum est solum*, Concedo. *cum coniungitur animæ, & aliis coagentibus cum ipso*, Nego. *Verum quidem est frigus cum est solum, aut summum, & non impeditur ab alio, esse causam condensationis. Illius tamen eius effectus impeditur sæpè per coniunctionem cum aliis comprincipiis, quæ habent contrariam vim.*

Secunda Conclusio:

Calor cœlestis, vitalis, & elementaris non differunt specie.

Calor cœlestis, vitalis, & elementaris sunt eiusdem rationis: ergo non differunt specie.

Minor pr. Illi calores sunt eiusdem rationis, qui se mutuò intendunt; atqui calor cœlestis, vitalis, & elementaris se mutuò intendunt: ergo sunt eiusdem rationis.

Minor pr. Calor manus est vitalis; atqui calor manus intenditur à calore cœlesti, & elementari: ergo calor vitalis, cœlestis, & elementaris se mutuo intendunt.

Minor pr. Calor vitalis intenditur ab eo calore, per cuius additionem fit maior; atqui calor manus fit maior per additionem caloris cœlestis, & elementaris: ergo calor manus intenditur à calore cœlesti, & elementari.

Minor pr. Calor cœlestis est ille, qui producitur à sole, & elementaris, qui producitur ab igne; atqui calor manus fit maior per additionem caloris, qui producitur à sole, & ab igne cùm illis applicatur: ergo calor manus fit maior per additionem caloris cœlestis, & elementaris.

Obiicitur. Illi calores differunt specie, quorum vni conuenit aliquid commune intrinsecum, quod non conuenit aliis; atqui calori vitali conuenit aliquid commune intrinsecum, quod non conuenit calori cœlesti, & elementari: ergo calor vitalis, cœlestis, & elementaris differũt specie.

Minor p. Esse productiuum nutritionis, augmentationis, spirituum vitalium, &c. est aliquid cõmune intrinsecum calori vitali; atqui non conuenit calori cœlesti, & elementari: ergo conuenit aliquid commune intrinsecum calori vitali, quod non conuenit elementari, & cœlesti.

Solutio: Atqui *esse productiuum nutritionis, augmentationis, spirituum vitalium, &c. non conuenit calori cœlesti, & elementari cum non coniunguntur animæ*, Concedo. *cùm ei coniunguntur sicut coniungitur calor vitalis*, Nego. ergo *conuenit aliquid commune intrinsecum calori vitali, quod non conuenit elementari, & cœlesti, cum non coniunguntur animæ*, Concedo. *si ei coniungantur, vt coniungitur calor vitalis*, Nego.

Contrà. Illi calores non coniunguntur animæ, vt ipsi cooperentur, qui opponuntur ipsius calori; atqui calor cœlestis, & elementaris opponuntur calori animæ vegetatiuæ: ergo non coniunguntur animæ, vt ipsi cooperentur.

Minor pr. Illi calores opponuntur calori animæ, qui habent contrarios effectus ipsius effectibus; atqui calor cœlestis, & elementaris habent contrarios effectus calori animæ: ergo opponuntur eius calori.

Minor pr. Conseruatio animæ, & eius destructio sunt contrarij effectus; atqui conseruatio animæ est effectus caloris vitalis, & eius destructio est effectus caloris cœlestis, & elementaris: ergo calor cœlestis, & elementaris habent contrarios effectus calori animæ.

Solutio: *Conseruatio animæ est effectus caloris vitalis cùm est moderatus*, Concedo. *cum est ni-*

minus intensus, Nego. *& eius destructio est effectus caloris cœlestis, & elementaris cum sunt moderati*, Nego. *cum sunt nimium intensi, & plusquam requiratur ut possit perseuerare anima in materia, quam informat*, Concedo. ergo *habent effectus contrarios cum vnus est remissus, & alter valde intensus*, Concedo. *cum sunt æqualiter intensi*, Nego.

SECTIO II.

Quid sit nutritio, & quomodo fiat.

PRIMA CONCLVSIO:

Sola nutritio, est aggeneratio partis alicuius viuentis ad viuens præsuppositum, facta ex conuersione alimenti intussuscepti.

NEQVE prima productio viuentis, neque augmentatio rerum non viuentium sunt aggeneratio partis alicuius viuentis ad viuens præsuppositum, facta ex conuersione alimenti intussuscepti: ergo sola nutritio est aggeneratio partis alicuius viuentis ad viuens præsuppositum, facta ex conuersione alimenti intussuscepti.

Antecedens pr. Esse aggenerationem partis alicuius viuentis ad viuens præsuppositum, factam ex conuersione alimenti intussuscepti, non conuenit illis, quæ non sunt conuersio alimenti intussus-

cepti in ſubſtantiam viuentis; atqui neque prima productio viuentis, neque augmentatio rerum non viuentium eſt conuerſio alimenti intuſſuſcepti in ſubſtantiam viuentis: ergo non ſunt etiam aggeneratio partis alicuius viuentis ad viuens, facta ex conuerſione alimenti intuſſuſcepti.

Minor pr. Illud non eſt conuerſio alimenti intuſſuſcepti, partis alicuius viuentis ad viuens præſuppoſitum, facta ex conuerſione alimenti intuſſuſcepti, quod eſt tantùm eius iuxtapoſitio, aut illam antecedit; atqui augmentationes rerum non viuentium ſunt tantùm iuxtapoſitiones, & prima productio viuentis illam antecedit: ergo neque prima productio viuentis, neque augmentatio rerum non viuentium, eſt conuerſio alimenti intuſſuſcepti in ſubſtantiam viuentis.

SECVNDA CONCLVSIO:

Neque ſubſtantiæ ſpiritales, neque accidentia, neque venena, neque medicamenta ſunt alimenta.

ILLVD non eſt alimentum, quo viuens non nutritur; atqui viuens non nutritur neque ſubſtantiis ſpiritalibus, neque accidentibus, neque venenis, neque medicamentis: ergo neque ſubſtantiæ ſpiritales, neque accidentia, neque venena, neque medicamenta ſunt alimentum viuentis.

Minor pr. Illud, quo nutritur viuens debet eſſe conuertibile, & quidem facile in eius ſubſtantiam per ipſius actionem; atqui ſubſtantiæ ſpi-

ri ales, & accidentia nullo modo sunt conuertibilia in substantiam viuentis, venena verò, & medicamenta difficilè admodum : ergo viuens non nutritur substantiis spiritalibus, accidentibus, venenis, aut medicamentis.

Duæ primæ partes minoris probantur, aliæ enim satis patent ex penetratione terminorum.

Illa nullo modo sunt conuertibilia in substantiam viuentis, quæ amittendo propriam formam recipere non possunt illam viuentis; atqui neque substantiæ spiritales, neque accidentia recipere possunt formam viuentis: ergo non sunt conuertibilia in eius substantiam.

Prima pars minoris probatur.

Quod est expers potentiæ physicæ recipere non potest formam viuentis; atqui substantiæ spiritales sunt expertes potentiæ physicæ: ergo non possunt recipere formam viuentis.

Minor pr. Potentia physica est materia; atqui expertes sunt materiæ: ergo & potentiæ physicæ.

Secunda pars minoris superioris argumenti de accidentibus, probatur.

Quod recipit formam viuentis debet esse substantia; atqui accidentia non possunt esse substantia: ergo inepta sunt ad recipiendam formam viuentis.

Maior pr. Potentia passiua, & actus eius primarius debent esse eiusdem rationis; atqui forma viuentis est substantia, & actus primarius eius est illud, quod illam recipit: ergo quod recipit formam viuentis debet esse substantia.

Obiicies. Viuens nutritur accidentibus : ergo accidentia possunt esse eius alimentum.

Antecedens pr. Odores, ſapores, & ſpecies ſacramentales ſunt accidentia; atqui viuens, homo verbi gratia nutritur odoribus, ſaporibus, & ſpeciebus ſacramentalibus: ergo viuens nutritur accidentibus.

Minor pr. Qui ſunt ad fontes Gangis ex Plinio nutriuntur odoribus. Democritus Abderitanus quatriduo ſuſtentatus eſt ſapore panis calidi, & mellis, & quotidie Chriſtiani veſcuntur ſpeciebus ſacramentalibus: ergo homo nutritur odoribus, ſaporibus, & ſpeciebus ſacramentalibus.

Solutio: *Qui ſunt ad fontes Gangis nutriuntur ſolis odoribus, & Democritus Abderitanus ſolo ſapore nutritus eſt*, Nego. *odoribus, & ſapore, ſeu potius ſubſtantiis deferentibus odorem, & ſaporem*, Concedo. *& quotidie Chriſtiani veſcuntur ſpeciebus ſacramentalibus ſolis*, Nego. *materia ſubſtituta in locum destructæ, cum in eam induci deberet ſi adeſſet alia forma, quàm panis*, Concedo. *Odores, & ſapores cum ſint accidentia, & hæc nunquam ſint ſine ſuo ſubiecto, non poſſunt dici deferri ad odoratum & guſtum, quin etiam deferatur eorum ſubiectum, quo conſequenter nutriri deberet dici viuens, non ipſis vtpote incapacibus recipiendi formam viuentis. Verum quidem eſt ſpecies ſacramentales ingredi os & ſtomachum ſine ſubiecto, quippe quod nullum habent destructis per verba conſecrationis materia, & forma panis. Cum tamen calor natiuus ſtomachi induxit in illas diſpoſitiones ad formam chili neceſſarias, & cum quibus forma panis ſi adeſſet conſiſtere non poſſet, Deus ſubſtituit nouam materiam, aut præcedentem destructam in quam inducatur forma chili; &*

cum illa constituat totum illud quod dicitur chilus, ex quo deinde conuerso in sanguinem nutritur viuens, non verò solis accidentibus illis, quæ dicuntur species sacramentales.

TERTIA CONCLVSIO:

Elementum purum non est aptum viuentis alimentum.

ILLVD esse non potest aptum viuentis alimentum, quod viuens conuertere non potest facilè in suam substantiam in magna mole; sed viuens conuertere non potest facilè alimentum purum in magna mole in suam substantiam: ergo elementum purum non est aptum viuentis alimentum.

Minor pr. Illud viuens conuertere non potest facilè in suam substantiam, cuius destruere non potest dispositiones, & in eius materiam inducere proprias; atqui viuens destruere non potest dispositiones elementi puri in magna mole, & in eius materiam inducere proprias: ergo viuens conuertere non potest elementum purum in magna mole in suam substantiam.

Minor pr. Quod habet primas qualitates remissas, destruere non potest dispositiones illius, quod illas habet valdè intensas; atqui viuens habet primas qualitates remissas, & elementum purum habet vnam in summo, & alteram in excellenti: ergo viuens destruere non potest dispositiones elementi puri in magna mole, & in eius materiam inducere proprias.

Minor pr. Quod destruit qualitates alterius de-

bet esse eo fortius ; atqui quod habet qualitates remissas non est fortius eo , quod habet illas valde intensas : ergo quod habet primas qualitates remissas, destruere non potest dispositiones illius quod illas habet valdè intensas.

Obiicies. Plantæ, & pisces sunt viuentia ; atqui elementum purum est eorum alimentum : ergo elementum purum potest esse alimentũ viuentis.

Minor pr. Aqua maris, & fluuiorum est verum elementum ; atqui aqua maris , & fluuiorum est alimentum plantarum , & piscium : ergo & elementum.

Minor pr. Illud est alimentum plantarum , & piscium , quo nutriuntur pisces , & plantæ ; atqui pisces multi , & plantæ non paucæ nutriuntur aqua maris , & fluuiorum : ergo aqua maris , & fluuiorum est alimentum plantarum, & piscium.

Solutio : Atqui *pisces , & plantæ nutriuntur sola aqua* , Nego. *aqua permixta succo terreo , aut alio simili , & non habente in summa intentione suas qualitates* , Concedo. ergo *aqua maris , & fluuiorum sola est alimentum plantarum. & piscium*, Nego. *permixta succo terreo , aut alio simili, & non habente in summa intensione suas qualitates* , Concedo.

Contrà. Non minùs pisces , & plantæ nutriri possunt sola aqua habente in summa intensione suas qualitates , quàm struthio ferro ; atqui struthio nutriri potest ferro : ergo pisces , & plantæ nutriri possunt sola aqua habente in summa intensione suas qualitates.

Minor pr. Illud nutriri potest ferro, quod illud potest digerere ; atqui struthio digerit ferrum : ergo nutriri potest ferro.

Solutio : *Neganda est minor, quia experientia constat deglutire quidem ferrum, & illud aliquandiu seruare in stomacho, sed post aliquod tempus illud integrum & leuissimè tantum alteratum egerere.*

Qvarta Conclvsio:

Alimentum remotum viuentis potest esse viuens eiusdem speciei, aut diuersa.

Homo, & lupus sunt viuentia; atqui alimentum hominis, & lupi potest esse viuens eiusdem speciei, & diuersæ: ergo alimentum remotum viuentis potest esse viuens eiusdem speciei, aut diuersæ.

Minor pr. Homo est eiusdem speciei cum homine, & lupus cum lupo, & ouis diuersæ speciei ab vtroque; atqui homo potest esse alimentum remotum hominis, & lupus lupi, & ouis vtriusque: ergo alimentum remotum viuentis potest esse viuens eiusdem speciei, aut diuersæ.

Minor pr. Illud est alimentum remotum hominis, & lupi quod homo, & lupus deuoratum conuertunt in propriam substantiam; atqui homo, & lupus alium hominem, & lupum deuoratum conuertunt in propriam substantiam: ergo homo potest esse alimentum remotum hominis, & lupus lupi.

Obiicies. Quod est contrarium, & dissimile viuenti non est eiusdem speciei cum illo; atqui ex Aristotele alimentum remotum est illi dissimile, & contrarium: ergo alimentum remotum viuentis non est eiusdem speciei cum viuente.

Solutio : Atqui *ex Aristotele alimentum remotum est illi dissimile antequam immediatè fiat eius conuersio in viuens*, Concedo. *mediatè, & antequam debeat esse immediata illa conuersio*, Nego. ergo *alimentum remotum viuentis non est eiusdem speciei cum viuente immediatè antequam fiat eius conuersio in viuens*, Concedo. *mediatè & antequam fieri debeat immediata illa conuersio*, Nego.

Contrà. Alimentum remotum etiam antequam sit in proxima potentia ad conuersionem debet esse dissimile viuenti: ergo nulla solutio.

Antecedens pr. Alimentum remotum antequam sit in proxima potentia ad conuersionem non debere esse dissimile viuenti, est viuens nutriri posse suis partibus; atqui viuens nutriri non potest suis partibus : ergo alimentum remotum etiam antequam sit in proxima potentia ad conuersionem debet esse dissimile viuenti.

Minor pr. Quod nutriri potest suis partibus non eget alimento extrinseco; atqui viuens eget alimento extrinseco : ergo nutriri non potest suis partibus.

Solutio : *Quod nutriri potest suis partibus semper, aut longo tempore, non eget alimento extrinseco*, Concedo. *aliquo perbreui tempore*, Nego. *& concessa minori* : ergo *viuens nutriri non potest suis partibus perbreui tempore*, Nego. *semper aut longo tempore*, Concedo.

Contrà. Non potest viuens nutriri suis partibus etiam perbreui tempore, quin verum sit vnam partem nutriri alia; atqui vna pars viuentis non nutritur alia: ergo nec viuens suis partibus etiam perbreui tempore.

Minor pr. Ossa, caro &c. sunt partes viuentis; atqui neque os nutriri potest carne, neque caro ossi: ergo vna pars viuentis non potest nutriri alia.

Solutio: Atqui *os nutriri non potest carne cùm non subiit mutationes praecedere solitas*, Concedo. *cùm illas subiit*, Nego. ergo *vna pars nutriri non potest alia cùm non subiit mutationes ad hoc requisitas*, Concedo. *cùm subiit mutationes requisitas*, Nego. *Mutationes requisitae, vt os nutriatur carne, sunt, vt fuerit chilus, deinde sanguis, ac etiam medulla, quas quia ipsum os in carnem sibi immediatam inducere non potest, ipsum etiam illam in se immediate non potest conuertere.*

Contrà. Pars viuentis, quae inducere potest in aliam mutationes requisitas, vt illam in se conuertat non potest illa nutriri: ergo nulla solutio.

Antecedens pr. Ventriculus est pars viuentis; atqui nutriri non potest parte, in quam ducere potest mutationes requisitas, vt illam in se conuertat: ergo pars viuentis, quae inducere potest in aliam mutationes requisitas vt illam in se conuertat, non potest nutriri.

Minor pr. Ventriculus nutriri non potest suis neruis; sed potest inducere in illos mutationes requisitas, vt eos in se conuertat: ergo nutriri non potest parte, in quam inducere potest mutationes requisitas vt illam in se conuertat.

Minor pr. Mutatio requisita, vt neruus conuertatur in ventriculum est, vt neruus fiat chilus; atqui inducere potest in suos neruos formam chili: ergo & mutationes requisitas, vt eos in se conuertat.

Minor pr. Non minùs inducere potest in suos

neruos formam chili, quàm in neruos mansos alterius partis, aut alterius animalis; atqui inducere potest in neruos mansos alterius partis, aut alterius animalis formam chili: ergo & in suos.

Solutio: *Neganda est maior. Ratio est, quia anima ei cooperatur ad inducendam formam chili in neruum mansum alterius partis, non verò ad eandem inducendam in proprios neruos, siquidem non concurrit ad suî destructionem.*

QVINTA CONCLVSIO:

Necessarium est alimentum viuenti.

ILLVD necessarium est viuenti, sine quo exercere non potest commodè suas operationes, neque perseuerare; atqui sine alimento viuens commodè exercere non potest suas operationes, neque perseuerare: ergo alimentum necessarium est viuẽti.

Prima pars minoris probatur.

Sine eo exercere non potest viuens commodè suas operationes, sine quo habere non potest debitam molem ad illud exercitium; atqui viuens sine alimento habere non potest debitam molem, & quantitatem ad commodè exercendas suas operationes: ergo sine alimento exercere non potest commodè suas operationes.

Minor pr. Moles debita viuenti ad exercendas commodè suas operationes debet esse longè maior ea, quam habet in prima formatione; atqui non potest habere longè maiorem molem ea, quàm habet in prima formatione sine alimento: ergo neque debitam molem ad exercendas com-

modè suas operationes.

Minor pr. Viuens habere non potest molem longè maiorem ea, quam habet in prima formatione nisi illi fiat additio alterius; atqui ei fieri nō potest additio alterius sine alimento: ergo non potest habere maiorem molem sine alimento.

Minor pr. Non potest illi fieri additio alterius sine nutritione; atqui nutritio fieri non potest sine alimento: ergo nec sine eodem additio alterius.

Secunda pars minoris primi argumenti superioris, perseuerare non posse sine alimento, probatur.

Viuens perseuerare non potest sine reparatione partium diffluentium; atqui non potest reparare partes diffluentes sine alimento: ergo non potest perseuerare sine alimento.

Minor pr. Partes diffluentes non aliter reparantur, quàm per successionem aliarum in earum locum; atqui non potest esse successio aliarum in earum locum sine alimento: ergo nec reparatio diffluentium sine alimento.

Minor pr. Partes, quæ succedunt informantur de nouo anima viuentis; atqui non potest fieri illa informatio sine alimento: ergo nec successio.

Minor pr. Informatio illa de nouo non potest fieri sine nutritione; atqui nutritio fieri non potest sine alimento: ergo non potest fieri illa informatio sine alimento.

Maior argumenti superioris, viuens permanere non posse sine reparatione partium diffluentium, pr.

Quod ferè continuò deperdit partes aliquas perseuerare non potest sine earum reparatione; atqui viuens ferè continuò deperdit partes aliquas: ergo viuens perseuerare non potest sine re-

paratione partium diffluentium

Minor pr. Viuens deperdit illas partes, quas eius anima desinit informare; atqui eius anima desinit ferè continuò informare aliquas partes: ergo viuens ferè continuò deperdit partes aliquas.

Minor pr. Anima viuentis desinit informare illas partes, in quibus desinunt esse dispositiones requisitæ, vt cum illis habeat vnionem; atqui ferè continuò desinunt esse dispositiones requisitæ in partibus quibusdam viuentis, vt anima cum illis habeat vnionem: ergo eius anima desinit illas informare ferè continuò.

Minor pr. In illis partibus desinunt esse dispositiones ad vnionem cum anima, quæ aut discontinuantur ab aliis, aut nimium rarescunt, aut valdè alterantur ab agentibus intrinsecis ipsi viuenti, aut extrinsecis; atqui ferè continuò partes aliquæ discontinuantur ab aliis, nimium rarescunt, aut alio quodam modo multum alterantur ab agentibus ipsi viuenti intrinsecis, aut extrinsecis: ergo ferè continuò desinunt esse dispositiones requisitæ in partibus quibusdam viuentis, vt anima cum illis habeat vnionem.

Minor pr. Partes viuentis quæ abeunt in vapores, & in excrementa discontinuantur, nimium rarescunt, aut valdè alterantur ab agentibus ipsi viuenti intrinsecis, & extrinsecis; atqui ferè continuò partes aliquæ viuentis abeunt in excrementa, & vapores: ergo ferè continuò partes aliquæ discontinuantur ab aliis, nimium rarescunt, aut multum alterantur ab agentibus ipsi viuenti intrinsecis, aut extrinsecis.

SEXTA CONCLVSIO:

Viuens diffluit secundùm omnes partes.

PARTES viuentis sunt spermaticæ, aut alimentitiæ; atqui viuens diffluit secundùm partes spermaticas, & alimentitias: ergo & secundùm omnes partes.

Minor probatur de partibus spermaticis, conceduntenim omnes de alimentitiis.

Viuens non minùs diffluit secundùm partes spermaticas quàm alimentitias; atqui ex concessis diffluit secundùm alimentitias: ergo & secundùm spermaticas.

Maior pr. Vt viuens minùs diffluat secundùm partes spermaticas, quàm alimentitias, debent spermaticæ esse magis resistitiuæ, aut agentia corruptiua non esse ipsis æquè applicata; atqui partes spermaticæ non sunt magis resistitiuæ, & agentia corruptiua sunt æquè ipsis applicata: ergo non minùs diffluit secundùm spermaticas, quàm alimentitias.

Prima pars maioris probatur.

Illæ partes non debent dici magis resistitiuæ, per quas viuens non fit robustius, & facilius vincitur à contrariis; atqui per partes spermaticas viuens non fit robustius, quàm per alimentitias, & per illas facilius vincitur à contrariis: ergo partes spermaticæ non sunt magis resistitiuæ.

Minor pr. Per partes spermaticas viuens fieri robustius, quàm per alimentitias, & per illas dif-

ficiliùs vinci à contrariis,est puerum recens natum robustiorem esse, & minùs obnoxium actioni contrariorũm agentium homine grandæuo,; atqui ipse grandæuus robustior est, & minùs obnoxius actioni contrariorum agentium:ergo per partes spermaticas viuens non fit robustius, & per illas facilius vincitur à contrariis.

Maior pr. In puero recens nato sunt ferè tantùm partes spermaticæ, & in eodem grandæuo sunt partes alimentitiæ plures longè, quàm dici possint fuisse spermaticæ: ergo per partes spermaticas viuens fieri robustius,& difficiliùs vinci à contrariis, est puerum recens natum robustiorem esse, & minùs obnoxium actioni agentium contrariorum homine grandæuo.

Secunda pars argumenti superioris, scilicet agentia corruptiua esse æquè ipsis applicata, probatur.

Agentia corruptiua sunt calor natiuus partium, calor aduentitius sanguinis,& spirituum,reactio partium heterogenearum, alimentorum, excrementorum, & agentium extrinsecorum; atqui calor natiuus partium, calor aduentitius sanguinis, & spirituum, reactio partium heterogenearum,alimentorum, excrementorum,& agentium extrinsecorum sunt æquè applicata partibus spermaticis, ac alimentitiis:ergo agentia corruptiua sunt æquè applicata illis,ac istis.

Minor pr. Calorem natiuum partium,calorem aduentitium sanguinis, & spirituum vitalium, partes heterogeneas, alimenta, excrementa, & agentia extrinseca æquè esse applicata partibus spermaticis, est in ipsis esse æquè,ac in alimentitiis calorem natiuum, æquè ad illas deferri san-

guinem, & spiritus vitales, ipsas habere partes heterogeneas, esse intra sphæram actiuitatis excrementorum, & agentium extrinsecorũ: atqui in ipsis est verè calor natiuus, ad ipsas defertur sanguis, & spiritus vitales, habent partes heterogeneas, & sunt intra sphæram excrementorum, & agentium extrinsecorum: ergo calor natiuus, aduentitius, &c. sunt æquè applicata partibus spermaticis, ac alimentitiis.

Obiicies. Partes spermaticas in viuente æquè diffluere, ac alimentitias, est viuens non esse idem in adolescentia, aut virili ætate, ac erat ineunte; atqui viuens debet esse idem in adolescentia, & in ætate virili, ac erat ineunte: ergo partes spermaticæ non æquè diffluunt, ac alimentitiæ.

Solutio: *Partes spermaticas in viuente æquè diffluere, ac alimentitias, est viuens in adolescentia, aut virili ætate non esse idem physice, ac erat ineunte.* Concedo. *non esse idem moraliter,* Nego. atqui *viuens debet esse idem physice*, Nego. *idem moraliter*, Concedo.

Contrà. Viuens non potest negari debere esse idem physicè, cùm non amisit vllas partes physicas; atqui viuens in ætate virili nullas amisit partes physicas ex illis, quas habebat in iuuenili: ergo debet esse idem physicè in vtraque ætate.

Minor pr. Viuentis partes sunt alimentitiæ, vel spermaticæ; atqui in virili ætate nullas amisit, neque alimentitias, neque spermaticas: ergo nullas amisit partes.

Minor pr. Partes alimentitiæ, & spermaticæ cernuntur in næuis, & cicatricibus; atqui nullas viuens amisit partes in virili ætate cicatricum, &

næuorum : ergo nullas amisit partes.

Minor pr. Viuens non potest amittere aliquas partes næuorum,& cicatricum quin næui esse desinant iidem, sicut & cicatrice ; atqui næui sunt, & apparent semper iidem,& cicatrices etiam:ergo nullas amisit partes næuorum, & cicatricum.

Solutio : *Viuens non potest amittere aliquas partes neuorum , & cicatricum , quin næui desinant esse iidem physice* , Concedo. *moraliter , & æquiualenter*, Nego. atqui *neui sunt semper iidem physice* , Nego. *moraliter , & æquiualenter*, Concedo.

Contrà. Vt næui dici possent esse iidem moraliter deberent partes deperditæ reparatæ fuisse; atqui viuens non reparat partes deperditas:ergo non sunt iidem moraliter.

Minor pr. Viuens non magis debet dici reparare partes deperditas næuorum, aut cicatricum, quàm manum , aut pedem abscissum , &c. atqui non reparat manum , & pedem abscissum , &c. ergo nec partes deperditas næuorum, & cicatricum.

Maior pr. Tam benè partes næuorum , & cicatricum sunt partes animatæ , ac pedes , & manus : ergo viuens non magis debet dici reparare partes deperditas neuorum aut cicatricum, quàm manum , aut pedem abscissum , &c.

Solutio : *Tam bene partes neuorum , & cicatricum sunt partes animate , & ad illas reparandas tanta requiritur virtus ex parte principij , & tam facile suppetit alimentum* , Nego. *non tanta requiritur virtus , & facilius suppetit alimentum*, Concedo. *Maior , vt per se patet , necessaria est*

virtus ad reparationem manus abscissæ, quàm ad substituendam aliquam exiguam valdè partem in neruis, & cicatricibus in locum earum, quæ in illis sicut in aliis partibus propter causas superiùs allatas sensim deperduntur, ac proinde non est bona illatio ex eo quòd ista sit in viuente, debere quoque in eodem esse illam aliam longè maiorem.

SEPTIMA CONCLVSIO:

Viuens non nutritur necessariò toto vitæ tempore.

ILLVD non nutritur necessariò toto vitæ tempore, de quo verum est dicere non conuertere semper alimentum in suam substantiam; atqui viuens non conuertit semper alimentum in suam substantiam: ergo non nutritur toto vitæ tempore.

Minor pr. Illud non conuertit semper alimentum in suam substantiam, quod aliquando cessat ab illa conuersione; atqui viuens cessat aliquando à conuersione alimenti in suam substantiam: ergo viuens non conuertit semper alimentum in suam substantiam.

Minor pr. Illud cessat aliquando à conuersione alimenti in suam substantiam, quod aliquando non habet vim sufficientem ad huiusmodi conuersionem; atqui aliquando viuens non habet vim sufficientem ad huiusmodi conuersionem: ergo viuens cessat aliquando à conuersione alimenti in suam substantiam.

Minor

Minor pr. Cùm viuens eſt valdè malè affectum, & alimentum non eſt ita conſentaneum, viuens non habet vim ſufficientem ad illud in ſe conuertendum; atqui aliquando viuens poteſt eſſe valdè malè affectum, & alimentum etiam ei diſſentaneum: ergo aliquando viuens non habet vim ſufficientem ad huiuſmodi conuerſionem.

Obiicitur. Viuens dum viuit nunquam ceſſat à nutritione: ergo nutritur toto vitæ tempore.

Antecedens probatur. Viuens ceſſare non poteſt à nutritione, quin facultati altrici obrepat ſomnus; atqui ex Ariſtotele facultati altrici nunquam obrepit ſomnus: ergo viuens nunquam ceſſat à nutritione.

Solutio: *Viuens ceſſare non poteſt à nutritione, quin facultati altrici obrepat ſomnus, hoc eſt vacatio à conuerſione alimenti in ſubſtantiam viuentis*, Concedo. *obrepat ſomnus, hoc eſt vacatio ab aliis actionibus antecedentibus huiuſmodi conuerſionem*, Nego. Atqui *ex Ariſtotele facultati altrici nunquam obrepit ſomnus, hoc eſt, vacatio à conuerſione alimenti in ſubſtantiam viuentis*, Nego. *hoc eſt vacatio ab aliis actionibus antecedentibus huiuſmodi conuerſionem*, Concedo.

Contrà. Facultati altrici nunquam obrepit ſomnus ſumptus pro vacatione à vera, & propria conuerſione alimenti in ſubſtantiam viuentis: ergo nulla ſolutio.

Antecedens pr. Nunquam obrepere poteſt ſomnus huiuſmodi facultati, quamdiu habet vim conuertendi alimentum in propriam ſubſtantiam; atqui dum perſtat vita, altrix facultas habet vim conuertendi alimentum in propriam

substantiam : ergo nunquam obrepit somnus facultati altrici.

Minor probatur. Vt altrix facultas dici possit habere vim conuertendi alimentum in propriam substantiam, sufficit, quòd in aliqua parte viuentis, dum perstat vita, reperiatur illa vis; atqui in aliqua parte viuentis, dum perstat vita, reperitur huiusmodi vis: ergo dum perstat vita altrix facultas habet vim conuertendi alimentum in propriam substantiam.

Minor probatur. Cor est pars viuentis; atqui in corde dum perstat vita est vis conuertendi in se alimentum: ergo in aliqua parte viuentis, dum perstat vita reperitur huiusmodi vis.

Minor probatur. In corde est vis conuertendi in se alimentum, quamdiu non est notabiliter alteratum; atqui dum perstat vita cor non est notabiliter alteratum: ergo in corde dum perstat vita est vis conuertendi alimentum in propriam substantiam.

Solutio: *In corde est vis conuertendi alimentum in se, quamdiu non est notabiliter alteratum, & aliæ partes adiacentes non sunt etiam notabiliter alteratæ, ipsumque alimentum non est dissentaneum,* Concedo. *si aliæ partes adiacentes sint notabiliter alteratæ, & alimentum sit dissentaneum,* Nego. atqui *dum perstat vita, cor non est notabiliter alteratum, & aliæ partes adiacentes non sunt etiam notabiliter alteratæ, ipsumque alimentum non est dissentaneum,* Nego. *& aliæ partes adiacentes sunt notabiliter alteratæ, & alimentum est dissentaneum,* Concedo.

Contrà. Non magis cor dum perstat vita, &

aliæ partes ei adiacentes sunt notabiliter altera tæ quàm pili, v.g. aut aliqua alia huiusmodi pars, quæ nutritur alimento excrementitio; atqui huiusmodi partes, dum perstat vita non sunt notabiliter alteratæ: ergo cor, & aliæ partes adiacentes, dum perstat vita non sunt notabiliter alteratæ.

Minor pr. Illud non est notabiliter alteratum, alteratione, de qua loquimur, seu impediente conuersionem alimenti, quod valdè crescit; atqui pili dum ita perstat vita, vt breui debeat desinere valdè crescunt, & magis, quàm ante: ergo pili dum perstat vita, non sunt notabiliter alterati.

Solutio: Atqui *pili dum ita perstat vita, vt breui debeat desinere valdè crescunt semper*, Nego. *vt plurimum*, Concedo. *& concessa minori*: ergo *pili dum perstat vita non sunt notabiliter alterati semper, & vt plurimum*, Concedo. *aliquando*, Nego. *Certè non est dubium, quin potuerit paralysis occupare partes, in quibus sunt pili, & deinde perrepere ad alias, in quo casu pili quippe primò mortui non crescent dum manebit vita. Cæterum quòd pili valde crescant sub finem vitæ, potest prouenire primò ex humore excrementitio, quo nutriuntur qui tunc magis abundat; secundò, quia succo humido partium diminuto cutis magis apprimitur, & approximatur ad ossa, & pars pilorum iam formata quæ latebat, & tegebatur detegitur, & videtur quasi de nouo tota addita alteri.*

SECTIO III.

De Augmentatione.

PARAGRAPHVS I.

Quomodo differat à nutritione, & in quo posita sit eius formalis ratio.

VNICA CONCLVSIO:

Augmentatio, & nutritio terminata ad idem alimentum, non sunt duæ actiones realiter distinctæ.

NVTRITIO est actio, per quam materia alimenti fit materia viuentis, & augmentatio actio per quam quantitas alimenti fit quantitas viuentis; atqui actio, per quam materia alimenti fit materia viuentis, est eadem cum ea, per quam quantitas alimenti fit quantitas viuentis: ergo augmentatio, & nutritio non sunt duæ actiones realiter distinctæ.

Minor pr. Illa actio dici debet esse idem cum alia, per quam fit quidquid per aliam, & nihil aliud; atqui actione, per quam materia alimenti fit materia viuentis, fit quidquid efficitur actione, ... quam quantitas alimenti fit quantitas viuentis, & nihil aliud: ergo sunt idem.

Minor pr. Actione, per quam materia alimenti fit materia viuentis, acquiritur viuenti materia alimenti, & eius quantitas; atqui idem fit actione, per quam quantitas alimenti fit quantitas viuentis: ergo idem fit per vtramque.

Minor pr. Quando duo sunt coniuncta inseparabiliter, actio, quæ acquirit sibi vnum, acquirit & aliud; atqui materia alimenti, & eius quantitas sunt inseparabiliter coniuncta: ergo idem fit actione, per quam quantitas alimenti fit quantitas viuentis.

Obiicies. Illæ actiones realiter distinguuntur, quæ habent terminos realiter distinctos; atqui nutritio, & augmentatio terminatæ ad idem alimentum habent terminos realiter distinctos; ergo realiter distinguuntur.

Solutio: *Illæ actiones realiter distinguuntur, quæ habent terminos intrinsecos realiter distinctos*, Concedo. *extrinsecos*, Nego. atqui *nutritio. & augmentatio terminatæ ad idem alimentum habent terminos intrinsecos realiter distinctos*, Nego. *extrinsecos*, Concedo.

Contrà. Termini intrinseci actionum sunt illi, qui fiunt per illas; atqui termini, qui fiunt per augmentationem, & nutritionem sunt realiter distincti: ergo augmentatio, & nutritio habent terminos intrinsecos realiter distinctos.

Minor pr. Terminus qui fit per nutritionem, est vnio materiæ alimenti cum materia viuentis, & terminus augmentationis, est vnio quantitatis viuentis cum quantitate alimenti; atqui vnio materiæ alimenti cum materia viuentis, & vnio quantitatis alimenti cum quantitate viuentis, realiter

distinguuntur: ergo termini qui fiunt per augmentationem, & nutritionem sunt realiter distincti.

Maior pr. Non est alius terminus, qui dici possit fieri per augmẽtationem,& nutritionem, quàm vnio formæ viuentis cum materia alimenti; atqui illa sola vnio non fit: ergo terminus, qui fit per nutritionem est vnio materiæ alimenti cum materia viuentis, & terminus augmentationis vnio quantitatis viuentis, cum quantitate alimenti.

Minor pr. Vnio materiæ viuentis cum materia alimenti, & vnio quantitatis alimenti, cum quantitate viuentis debent fieri per aliquam actionem; atqui non fiunt per aliam, quàm per nutritionem, & augmentationem: ergo sola vnio formæ viuentis cum materia alimenti non fit.

Solutio: Atqui *non fiunt per aliam quàm per nutritionem, & augmentationem formaliter, & præcisè sumptas.* Nego. *per nutritionem, & augmentationem præsuppositiuè sumptas*, Concedo. ergo *sola vnio formæ viuentis cum materia alimenti non fit formaliter*, Nego. *præsuppositiuè*, Concedo. *Sensus est ad augmentationem, & nutritionem prærequiri continuationem materiæ, & quantitatis alimenti cum materia, & quantitate viuentis, in ea tamen non esse positam nutritionem, & augmentationem, sed in vnione formæ viuentis cum materia alimenti. Illa enim esse potest, absque eo, quòd materia, & quantitas alimenti censeantur esse materia, & quantitas viuentis prout requiritur ad nutritionem.*

Contrà. Potest esse acquisitio, & sæpè est materiæ alimenti viuenti absque eo, quòd in eo sit.

acquisitio quantitatis : ergo acquisitio materiæ alimenti est actio distincta ab acquisitione quantitatis.

Antecedens pr. Homines in statu consistentiæ acquirunt sibi materiam alimenti; atqui non acquirunt quantitatem alimenti : ergo sæpè est acquisitio alimenti absque eo quod sit acquisitio quantitatis.

Minor pr. In eo non est acquisitio quantitatis, in quo non est augmentatio ; atqui in hominibus in statu consistentiæ non est augmentatio : ergo nec acquisitio quantitatis.

Minor pr. In illis viuentibus non est augmentatio, quæ non augentur ; atqui homines in statu consistentiæ non augentur : ergo in illis non est augmentatio.

Solutio : *In illis viuentibus non est augmentatio sumpta pro acquisitione quantitatis maioris ea, quæ deperditur, quæ non augentur,* Concedo. *sumpta pro acquisitione quantitatis cuiuscumque,* Nego. *& concessa minori :* ergo *in illis non est augmentatio sumpta pro acquisitione quantitatis maioris ea, quæ deperditur,* Concedo. *sumpta pro acquisition? quantitatis cuiuscunque,* Nego.

Contrà. In hominibus in statu consistentiæ, nulla est planè acquisitio quantitatis per nutritionem : ergo nulla solutio.

Antecedens pr. Non magis debet esse per nutritionem in illis acquisitio quantitatis, quàm in ægrotis, qui parcissimè, aut nihil ferè aluntur per augmentationem nutritio; atqui in illis per augmentationem non est nutritio : ergo nec in aliis per nutritionem acquisitio quantitatis.

Minor pr. In illis est augmentatio sine nutritione: ergo in illis per augmentationem non est nutritio.

Antecedens pr. In illis est augmentatio sine nutritione, qui maiores fiunt licèt non nutriantur; atqui illi fiunt maiores licèt non nutriantur: ergo in illis est augmentatio sine nutritione.

Solutio : *In illis est augmentatio sine nutritione, qui fiunt verè maiores licèt non nutriantur*, Concedo. *qui tantum fiunt maiores apparenter*, Nego. atqui *illi fiunt maiores verè*, Nego. *apparenter*, Concedo. *quia scilicet propter ablatam pinguedinem, & crassitiem oculus repræsentat illos longiores, licèt verè non sint. Res enim crassior cæteris partibus iudicio oculi non est ita longa, ac alia minus crassa.*

Contrà. Per nutritionem non acquiritur quantitas: ergo neque nutritio est augmentatio, neque augmentatio nutritio.

Antecedens pr. Per illud non acquiritur quantitas, per quod viuens non dicitur augeri; atqui per nutritionem viuens non dicitur augeri: ergo per nutritionem non acquiritur quantitas.

Minor pr. Non magis viuens per nutritionem dici potest augeri, quàm magis calefieri; atqui per nutritionem non dicitur magis calefieri: ergo neque augeri.

Maior pr. Viuens ideo tantùm dicitur augeri per nutritionem, quia facit suam materiam, in qua est noua quantitas; atqui etiam in materia, quam de nouo facit suam est calor: ergo viuens non magis potest dici per nutritionem augeri, quàm magis calefieri.

Solutio : Atqui *etiam in materia, quam de nouo*

facit suam est calor, & magis calefieri non dicit intensionem caloris, Nego. *& dicit intensionem caloris, seu positionem noui caloris cum præcedente in eodem loco*, Concedo. *hoc autem non conuenit ei, quod nutritur, licèt acquirat nouum calorem, quare dici non potest magis calefieri. Quare ad consequens:* ergo *viuens non magis potest dici per nutritionem augeri, quàm magis calefieri, hoc quod est, magis calefieri non importante intensionem caloris*, Concedo. *illam importante*, Nego.

Contrà. Poterit saltem dici tam benè calefieri, ac augeri: ergo nulla solutio.

Antecedens pr. Ideo dicitur augeri, quia acquirit nouam quantitatem; atqui etiam acquirit nouum calorem: ergo tam poterit dici magis calefieri, ac augeri.

Solutio: *Ideo dicitur augeri, quia acquirit nouam quantitatem, & augeri, significat tantum continuationem, & vnionem nouæ quantitatis cum præcedente*, Concedo. *& augeri significat ambas debere esse in eadem parte subiecti*, Nego. atqui *etiam acquirit nouum calorem, & calefieri significat tantum calorem aduenientem esse in subiecto immediato ei, in quo est præcedens calor*, Nego. *& significat calorem aduenientem de nouo esse in eadem planè parte subiecti in qua est præcedens*, Concedo. *Ex diuersa illa significatione augeri, & calefieri prouenit, vt per quantitatem nouam additam præcedenti viuens dicatur augeri, non dicatur verò calefieri per calorem, etiamsi eodem modo addatur præcedenti, propterea quòd calefieri, sicut & fieri album, nigrum, &c. sonent additionem noui gradus in eadem parte subiecti in qua erat alius præcedens, aut si fit*

primus ex qua expellitur gradus contrariæ qualitatis.

Cæterum ex dictis facile est inferre responsionem ad secundam partem paragraphi, in quo posita sit eius ratio formalis; dicendum est enim augmentationem formaliter sumptam nihil aliud esse, quàm actionem, per quam quantitas alimenti acquiritur viuenti.

PARAGRAHVS II.

Quomodo augmentatio differat à decretione, & an fiat continuè, & successiuè.

PRIMA CONCLVSIO:

Augmentatio, & decretio sumpta pro deperditione quantitatis differunt specie.

ENs positiuum differt specie à negatiuo; atqui augmentatio est ens positiuum, & decretio sumpta pro deperditione quantitatis ens negatiuum : ergo differunt specie.

Minor pr. Illud est ens positiuum, quod est productio alicuius entis positiui, & illud negatiuum quod est eiusdem desitio; atqui augmentatio est productio entis positiui, & decretio eiusdem desitio: ergo augmentatio est ens positiuum, & decretio sumpta pro deperditione ens negatiuum.

Minor pr. Augmentatio est productio vnionis formæ viuentis cum materia alimenti, & decretio est eiusdem desitio; atqui illa vnio est ens positiuum, & eius non esse ens negatiuum: ergo augmentatio est productio entis positiui, & decretio eiusdem desitio.

Secvnda Conclvsio:

Augmentatio fit successiue continue.

Eo modo fit augmentatio, quo nutritio; atqui nutritio fit successiuè continuè: ergo & augmentatio.

Minor pr. Eo modo fit nutritio, quo disponitur materia alimenti ad habendam vnionem cum forma viuentis; atqui illa disponitur successiuè continuè: ergo nutritio fit successiuè continuè.

Minor pr. Eo modo disponitur materia alimenti ad habendam vnionem cum forma viuentis, quo applicatur potentiæ nutritiuæ; atqui applicatur successiuè continuè potentiæ nutritiuæ: ergo disponitur successiuè continuè.

Prima pars minoris probatur.

Illud applicatur potentiæ nutritiuæ successiuè, cuius omnes partes simul non æquè ei applicantur; atqui omnes partes materiæ alimenti non æquè ei simul applicantur: ergo materia alimenti applicatur successiuè potentiæ nutritiuæ.

Minor pr. Illius partes simul non æquè applicantur potentiæ nutritiuæ, quarum vna est illi propinquior, quàm aliæ; atqui vna pars materiæ

alimenti, est propinquior potentiæ nutritiuæ, quàm alia: ergo omnes partes materiæ alimenti non æquè simul ei applicantur.

Minor probatur. Illius vna pars est propinquior potentiæ nutritiuæ, quàm alia, cuius partes sunt aliæ extra alias necessariò; atqui partes materiæ alimenti sunt necessariò aliæ extra alias: ergo vna pars materiæ alimenti est propinquior potentiæ nutritiuæ, quàm alia.

Secunda pars minoris superioris argumenti, materiam alimenti applicari continuè potentiæ nutritiuæ, probatur.

Illud applicatur continuè potentiæ nutritiuæ, quod semper magis, & magis ei applicatur; atqui materia alimenti semper magis, ac magis applicatur potentiæ nutritiuæ: ergo applicatur ei continuè.

Minor pr. Illud applicatur semper magis, ac magis potentiæ nutritiuæ, quod semper magis, ac magis fit ei vicinius; atqui materia alimenti fit semper magis, ac magis ei vicinior: ergo semper ei applicatur magis, ac magis.

Minor pr. Illud fit semper magis, ac magis vicinius potentiæ nutritiuæ, in cuius aliquam partem illa introducitur sine interruptione; atqui potentia nutritiua introducitur in aliquam partem materiæ alimenti sine interruptione; ergo materia alimenti fit semper magis, ac magis ei vicinior.

Minor pr. In illud introducitur sine interruptione potentia nutritiua, in quod introducitur anima; atqui anima introducitur sine interruptione in aliquam partem materiæ alimenti: ergo

potentia nutritiua introducitur sine interruptione in aliquam partem materiæ alimenti.

Minor pr. In illud introducitur anima sine interruptione, quod sine interruptione disponitur ad illius vnionem; atqui pars aliqua materiæ alimenti sine interruptione disponitur ad vnionem cum anima: ergo anima sine interruptione introducitur in aliquam partem materiæ alimenti.

Minor pr. Illud sine interruptione disponitur ad habendam vnionem cum anima, in quod potentia nutritiua in eum finem sine interruptione agit; atqui potentia nutritiua in eum finem agit, sine interruptione in materiam alimenti: ergo pars aliqua materiæ alimenti sine interruptione disponitur ad vnionem cum anima.

Minor probatur. Agens necessarium agit sine interruptione in subiectum, cui est applicatum; atqui potentia nutritiua est agens necessarium applicatum materiæ alimenti: ergo agit sine interruptione in materiam alimenti.

PARAGRAPHVS III.

An res naturales habeant terminos accretionis, & decretionis.

PRIMA CONCLVSIO:

Viuentia determinant ſibi ab intrinſeco terminum magnitudinis.

ILLVD determinat ſibi ab intrinſeco terminum magnitudinis, quod natura ſua excreſcere non poteſt in infinitum; atqui viuentia natura ſua excreſcere non poſſunt in infinitum: ergo viuentia determinant ſibi ab intrinſeco terminum magnitudinis.

Minor probatur. Illud natura ſua excreſcere non poteſt in infinitum, quod non poteſt habere infinitam molem; atqui viuentia natura ſua habere non poſſunt infinitam molem: ergo viuentia excreſcere non poſſunt in infinitum.

Minor pr. Illud natura ſua habere non poteſt infinitam molem, quod natura ſua creſcit per intuſſuſceptionem; atqui viuentia natura ſua creſcunt per intuſſuſceptionem: ergo habere non poſſunt infinitam molem.

Maior pr. Illius, quod creſcit per intuſſuſceptionem partes omnes creſcunt etiam remotiores ab ea, quæ ſumit alimentum; atqui illius quod habet infinitam molem partes remotiores ab ea, quæ ſumit alimentum non creſcunt: ergo illud

habere non poteſt infinitam molem quod creſcit per intuſſuſceptionem.

Minor probatur. Vt partes remotiores ab ea, quæ ſumit alimentum creſcant debet iis applicari alimentum; atqui applicari non poteſt: ergo partes remotiores ab ea, quæ ſumit alimentum non creſcunt.

Minor probatur. Vt iis applicetur tranſire debet priùs per partes interpoſitas inter eam, quæ ſumit alimentum, & remotiores; atqui tranſeundo per illas non poteſt iſtis applicari: ergo iis applicari non poteſt.

Minor pr. Non poteſt per illas tranſire niſi per motum; atqui huiuſmodi motus eſt impoſſibilis: ergo non poteſt iis applicari tranſeundo per partes interpoſitas.

Minor probatur. Motus ille eſt impoſſibilis, cui correſpondere debet infinitum tempus alicotum; atqui motui alimenti tranſeuntis per partes interpoſitas inter eam, quæ ſumit alimentum, & remotiores correſpondere debet infinitum tempus alicotum: ergo huiuſmodi motus eſt impoſſibilis.

Minor probatur. Illi motui correſpondere debet infinitum tempus alicotum, per quem ſucceſsiuè decurruntur partes alicotæ infinitæ; atqui per motum alimenti tranſeuntis per partes interpoſitas inter eam, quæ ſumit alimentum, & remotiores decurruntur partes infinitæ alicotæ: ergo motui alimenti tranſeuntis per partes interpoſitas inter eam, quæ ſumit alimentum, & remotiores correſpondere debet tempus infinitum alicotum.

Minor pr. Per motum alimenti transeuntis per partes interpositas, inter eam, quæ sumit alimentum, & remotiores decurruntur partes constituentes infinitam molem; atqui partes constituentes molem infinitam alicotam sunt infinitæ alicotæ: ergo per motum alimenti transeuntis per partes interpositas inter eam, quæ sumit alimentum, & remotiores decurruntur partes infinitæ alicotæ.

Maior pr. Moles viuentis, de quo loquitur est infinita; atqui partes interpositæ inter eam, quæ sumit alimentum, & remotiores illam constituunt: ergo per motum alimenti transeuntis per partes interpositas inter eam, quæ sumit alimentum, & remotiores decurruntur partes constituentes infinitam molem.

Obiicies. Viuentia crescere possunt in infinitum: ergo non determinant sibi ab intrinseco terminum magnitudinis.

Ant. probatur. Illud crescere potest in infinitum, cui non repugnat augmentum in infinitum; atqui augmentum in infinitum non repugnat viuentibus: ergo viuentia crescere possunt in infinitum.

Minor probatur. Augmentum in infinitum repugnare non potest viuentibus nisi ex parte materiæ, vel ex parte formæ; atqui augmentum in infinitum non repugnat viuentibus, neque ex parte materiæ, neque ex parte formæ: ergo augmentum in infinitum non repugnat viuentibus.

Respondeo *repugnare ex parte formæ.*

Contrà. Illud non repugnat viuentibus ex par-

te formæ, quod non repugnat ipſorum formis; atqui agumentum in infinitum non repugnat ipſorum formis: ergo ex parte formę augmentum in infinitum non repugnat viuentibus.

Minor pr. Non magis repugnat formis viuentibus augmentum in infinitum, quàm decrementum in infinitum; atqui illis non repugnat decrementum in infinitum: ergo neque augmentum in infinitum.

Minor probatur. Formæ equi, canis, leonis ſunt formæ viuentis; atqui illis non repugnat decrementum in infinitum: ergo formis viuentibus non repugnat decrementum in infinitum.

Minor probatur. Illis non repugnat decrementum in infinitum, quæ poſſunt in minores, & minores partes in infinitum diuidi; atqui formæ equi, canis, leonis diuidi poſſunt in partes minores, & minores in infinitum: ergo formis equi, canis, leonis non repugnat decrementum in infinitum.

Solutio: *Illis non repugnat decrementum in infinitum, quæ poſſunt diuidi in partes minores, & minores in infinitum, & ſub illis conſeruari*, Concedo. *& ſub illis non conſeruari*, Nego. atqui *formæ equi, canis, leonis diuidi poſſunt in partes minores, & minores in infinitum, & ſub illis conſeruari*, Nego. *& ſub illis non conſeruari*, Concedo.

Contrà. Ratio, quare non poſſunt ſub illis conſeruari eſt, quia debent habere certam magnitudinem, & quæcumque minor illis non ſufficit, vt exerceant ſuas operationes; atqui non debent habere certam magnitudinem, & quæcumque

minor illis sufficit, vt exerceant suas operationes: ergo formæ equi, canis, leonis diuidi possunt in partes minores, & minores in infinitum, & sub illis conseruari.

Minor pr. Illa magnitudo illis sufficit, vt exerceant suas operationes, sub qua illas possunt exercere; atqui sub quacumque minori illas possunt exercere: ergo quæcumque minor illis sufficit, vt exerceant suas operationes.

Minor pr. Non minùs formæ equi, canis, leonis exercere possunt sub quacumque minori magnitudine suas operationes, quàm sub quacumque maiori; atqui sub quacumque maiori exercere possunt suas operationes: ergo & sub quacumque minori.

Minor pr. Non minùs formæ equi, canis, leonis exercere possunt sub quacumque maiori magnitudine suas operationes, quàm anima rationalis; atqui anima rationalis exercere potest suas operationes sub quacumque maiori magnitudine: ergo formæ equi, canis, leonis exercere possunt sub quacumque maiori magnitudine suas operationes.

Minor probatur. Maior magnitudo, sub qua dici possit anima rationalis exercere posse suas operationes debet esse vel ea, quam homines attingunt communiter, vel quam attigére gigantes, vel aliqua alia; atqui non potest dici, neque ea, quam attingunt communiter homines, neque quam attigêre gigantes, neque aliqua alia: ergo anima rationalis exercere potest suas operationes sub quacunque maiori magnitudine.

Respondeo *esse aliquam aliam.*

Contrà. Illa alia debet esse v. g. vel viginti pedum, vel viginti quinque, &c. atqui non potest dici esse neque viginti pedum, aut viginti quinque: ergo maior magnitudo quam dici possunt habere homines non est aliqua alia.

Minor probatur. Homo sub magnitudine viginti, aut viginti quinque pedum percussus intumesceret; atqui magnitudo, quam haberet per illum tumorem esset maior illa viginti quinque pedum: ergo magnitudo viginti quinque pedum non est maxima omnium sub quibus homo conseruari possit.

Solutio: *Neganda est primò maior. Ratio est, quia cùm magnitudo illa supponatur esse vbi adæquatum animæ, clarum est non posse occupare locum tumoris, quin derelinquat tantundem ex alia parte, quod cùm non faciat, quare enim? quantumuis percuteretur non intumesceret. Secundò distingui potest minor*; atqui *magnitudo, quam haberet per illum tumorem esset maior illa viginti quinque pedum secundùm molem,* Nego. *secundùm extensionem, hoc est, corresponderet maiori spatio quàm antè,* Concedo. ergo *magnitudo viginti quinque pedum non est maxima secundùm molem omnium sub quibus homo conseruari possit,* Nego. *non est maxima secundùm extensionem*, Concedo. *Verùm quia maioritas extensionis debet ipsa esse determinata si supponatur esse omnium maxima, recurrendum erit ad primam responsionem.*

✱✱

SECVNDA CONCLVSIO:

Viuentia habent intrinſecum terminum paruitatis.

ILLA habent intrinſecum terminum paruitatis, quæ nec generari, nec decreſcere poſſunt ad quamcunque paruam magnitudinem; atqui viuentia nec generari, nec decreſcere poſſunt ad quamcunque paruam magnitudinem : ergo viuentia habent intrinſecum terminum paruitatis.

Minor pr. Illud fieri non poteſt naturaliter, quod experientia docet nunquã factũ eſſe, & ratio ſuadet fieri non debuiſſe; atqui experientia medicorũ docet viuentia nec generata, nec decreuiſſe vnquã ad quamcunque paruam magnitudinem & ratio id ſuadet: ergo viuentia nec generari, nec decreſcere poſſunt ad quãcunque paruã magnitudinẽ.

Prima pars minoris non eſt dubia, & ſecunda pr.

Quod habere debet organizationem, ſeu certam configurationem partium, generari non poteſt ſub quacunque parua magnitudine, neque ad quamcunque decreſcere; atqui ratio ſuadet viuentia habere debere certam organizationem, ſeu certam configurationem partium: ergo ratio ſuadet viuentia generari non poſſe, neque decreſcere ad quamcunque paruam magnitudinem.

Maior probatur. Quod habere debet organizationem, ſeu certam configurationem partium debet habere certam molem; atqui quod habere debet certam molem, neque generari, neque decreſcere poteſt ad quamcunque paruam magni-

tudinem: ergo quod habere debet organizationem, seu certam configurationem partium generari non potest sub quacunque parua magnitudine.

Maior probatur. Quod habet varias partes variæ figuræ, & temperiei habet certam molem; atqui quod habet organizationem partium habet varias partes variæ figuræ, & variæ temperiei: ergo quod habet organizationem partium habet certam molem.

Minor pr. Organizatio partium nihil est aliud, quàm variæ partes variæ figuræ, & variæ temperiei: ergo quod habet organizationem partiũ habet varias partes variæ figuræ, & variæ tẽperiei.

Minor superioris argumenti, viuentia debere habere organizationem partium, probatur.

Ratio suadet viuentia habere debere id, per quod distinguuntur à non viuentibus; atqui id, per quod distinguuntur à non viuentibus est, quod habeant organizationem partium: ergo ratio suadet viuentia habere debere organizationem partium.

Minor probatur. Per illud distinguuntur à non viuentibus, quod est differentia in definitione animæ; atqui organizatio est differentia in definitione animæ: ergo id, per quod distinguuntur à non viuentibus est quod habeant organizationem partium.

Minor probatur. Definitio animæ est actus primus corporis organici; atqui organici, seu organizatio est eius differentia: ergo organizatio est differentia in definitione animæ.

Obiicies. Illud non habet intrinsecum termi-

num paruitatis, quod generari poteſt ſub quacunque parua magnitudine; atqui viuentia generari poſſunt ſub quacunque parua magnitudine: ergo viuentia habent intrinſecum terminum paruitatis.

Minor pr. Illud generari poteſt ſub quacunque parua magnitudine, cuius forma introducitur in materiam ſucceſſiuè; atqui forma viuentium introducitur in materiam ſucceſſiuè: ergo viuentia generari poſſunt ſub quacunque parua magnitudine.

Minor pr. Illud introducitur in materiam ſucceſſiuè, quod priùs introducitur in vnam eius partem, quàm in aliam; atqui forma viuentium introducitur priùs in vnam partem materiæ, quàm in aliam: ergo forma viuentium introducitur in materiam ſucceſſiuè.

Minor pr. Eo modo introducitur forma viuentium in materiam, quo hæc diſponitur ad illius ſuſceptionem; atqui priùs vna pars materiæ diſponitur ad illius ſuſceptionem, quàm alia: ergo forma viuentium priùs introducitur in vnam partem materiæ, quàm in aliam.

Minor pr. Eo modo diſponitur materia ad ſuſceptionem formæ viuentium, quo illi applicatur vis formatrix, & generatiua; atqui illa priùs applicatur vni parti materiæ, quàm alteri: ergo priùs diſponitur vna pars, quàm alia.

Minor pr. Eo modo applicatur potentia generatiua, & vis formatrix materiæ, quo cæteræ potentiæ neceſſariæ eidem applicari ſolent; atqu cæteræ potentiæ neceſſariç priùs applicantur vni eius parti, quàm alteri: ergo vis formatrix priùs

applicatur vni parti materiæ, quàm alteri.

Solutio : *Eodem modo applicatur vis formatrix materiæ, quo cæteræ potentiæ necessariæ homogeneæ, & non diffusæ per omnes partes materiæ*, Nego. *heterogeneæ, & diffusæ per omnes partes materiæ*, Concedo. atqui *potentiæ necessariæ homogeneæ, & non diffusæ per omnes partes materiæ prius applicantur vni parti materiæ, quàm alteri*, Concedo. *heterogeneæ, & diffusæ per omnes partes materiæ*, Nego. *Vis autem formatrix est de istarum numero.*

Contrà Vt potentiæ heterogeneæ quantumuis diffusæ per omnes partes materiæ non priùs applicentur vni parti materiæ, quàm alteri, debent illius partes esse penetratiuè inter se, aut cum illis potentiis heterogeneis; atqui non possunt esse penetratiuè inter se, neque cum illis potentiis heterogeneis: ergo potentiæ heterogeneæ etiam diffusæ per omnes partes materiæ applicantur priùs vni eius parti, quàm alteri.

Solutio : *Vt potentiæ heterogeneæ quantumuis diffusæ per omnes partes materiæ non priùs applicentur vni parti materiæ, quàm alteri, si sumantur secundùm suas partes diuisim, & sigillatim sumptas, debent partes materiæ esse penetratiuè inter se, aut cum illis potentiis heterogeneis*, Concedo. *si sumantur secundum se totas*, Nego. ergo *potentiæ heterogeneæ etiam diffusæ per omnes partes materiæ applicantur prius vni eius parti, quàm alteri, si sumantur secundum suas partes diuisim, & sigillatim sumptas*, Concedo. *si sumantur secundum se totas*, Nego. *Ratio est, quia verum quidem est quod vna pars illius potentiæ heteroge-*

nea applicata parti materiæ A, v.g. priùs agat in primam eius partem quàm in secundam ab ipsa remotiorem: verumtamen falsum est quod illa pars priùs agat in partem materiæ, cui est applicata, quàm alia, quæ eodem tempore applicatur alteri; ac consequenter illa potentia heterogenea secundùm diuersas suas partes non priùs applicatur vni parti materiæ, quàm alteri, & consequenter simul multæ disponi possunt, & in illas proinde simul induci forma viuens. Illæ autem multæ faciunt haud dubiè certam magnitudinem, cùm enim sint variæ figuræ, & variæ temperiei, ex illis non potest non resultare certa moles.

TERTIA CONCLVSIO:

Non viuentibus non conuenit ab intrinseco habere terminum magnitudinis, & paruitatis.

ILLVD non conuenit ab intrinseco non viuentibus, quod non conuenit omnibus; atqui non conuenit omnibus non viuentibus habere ab intrinseco terminum magnitudinis, & paruitatis: ergo non viuentibus non conuenit ab intrinseco habere terminum magnitudinis, & paruitatis.

Minor pr. Ignis est non viuens; atqui non conuenit igni ab intrinseco habere terminum magnitudinis, & paruitatis: ergo non conuenit omnibus non viuentibus ab intrinseco habere terminum magnitudinis, & paruitatis.

Minor pr. Illi non conuenit ab intrinseco habere terminum magnitudinis, & paruitatis, quod expres-

excreſcre poteſt in infinitum, & eodem modo minui: atqui ignis excreſcere poteſt, & minui in infinitum: ergo igni non conuenit ab intrinſeco habere terminum magnitudinis, & paruitatis.

Prima pars minoris probatur.

Illud excreſcere poteſt in infinitum, quod in quacunque mole ſupponatur eſſe, conuertere poteſt in ſe materiam ſibi applicatam, ſeu in illam inducere ſuam formam; atqui ignis in quacunque mole ſupponatur eſſe inducere poteſt in materiam ſibi applicatam formam ſuam: ergo ignis excreſcere poteſt in infinitum.

Minor pr. Materia, quæ applicari ſolet igni eſt ſtupa, paleæ, lignum, &c. atqui ignis in quantacunque mole ſupponatur eſſe, inducere poteſt in ſtudam, paleas, & lignum ſuam formam: ergo ignis in quantacunque mole ſupponatur eſſe, inducere poteſt in materiam ipſi applicatam formam ſuam.

Minor pr. Ignis facilius inducere poteſt formam ſuam in ſtupam, cùm plus habet virium, quàm cum minùs; atqui cùm eſt in maiori mole habet plus virium: ergo ignis in quantacunque mole ſupponatur eſſe, inducere poteſt in ſtupam formam ſuam.

Minor pr. Vires ignis ſunt eius entitas; atqui cùm eſt in maiori mole habet plus entitatis: ergo & plus virium.

Secunda pars minoris ſuperioris argumenti, ignem minui poſſe in infinitum, probatur.

Non minus ignis minui poteſt in infinitũ, quàm lignum; atqui lignum minui poteſt in infinitum: ergo & ignis.

Antecedens pr. Eo modo forma ignis inducitur in illas medietates, quo illas disponit; atqui prius disponit vnam, quàm aliam: ergo priùs, inducitur in vnam, quàm in aliam.

Minor pr. Eo modo illas disponit, quo illis applicatur; atqui applicatur priùs vni, & magis, quàm alteri: ergo priùs disponit vnam, quàm aliam.

Minor pr. Non potest simul æquè applicari vtrique, quin illæ sint penetratiuè inter se, aut cum forma ignis; atqui esse non possunt penetratiuè inter se, neque cum forma ignis: ergo priùs applicatur vni, quàm alteri.

Maior pr. Non potest simul æquè applicari vtrique, quin illæ ei æquè sint immediatæ; atqui non possunt ei esse simul æquè immediatæ, quin sint penetratiuè inter se, aut cum forma ignis: ergo non potest simul æquè applicari vtrique quin illæ sint penetratiuè inter se, aut cum forma ignis.

Obiicies. Ignis habet intrinsecum terminum paruitatis: ergo non viuentia habent intrinsecum terminum paruitatis.

Minor probatur. Illud habet intrinsecum terminum paruitatis, quod sub quacũque parua magnitudine conseruari non potest; atqui ignis sub quacunque parua magnitudine conseruari non potest: ergo ignis habet intrinsecum terminum paruitatis.

Minor pr. Magnitudo scintillæ est certa, & determinata; atqui sub illa ignis conseruari non potest: ergo ignis conseruari non potest sub quacunque parua magnitudine.

Solutio: Atqui *sub illa ignis conseruari non potest, propterea quòd oppugnetur à contrariis*, Concedo. *si non oppugnetur à contrariis*, Nego. ergo *ignis conseruari non potest sub quacunque parua magnitudine, propterea quòd oppugnetur à contrariis*, Concedo. *si non oppugnetur à contrariis*, Nego. *Certè si scintilla poneretur in aliquo loco, in quo non haberet contrarium, æternum conseruaretur.*

Contrà. Ignis conseruari non potest sub quacunque parua magnitudine, etiam si non oppugnetur à contrariis: ergo nulla solutio.

Antecedens pr. Illud conseruari non potest sub quacunque parua magnitudine, quod exigit certam magnitudinem; atqui ignis exigit certam magnitudinem: ergo conseruari non potest sub quacunque parua magnitudine, etiam si non oppugnetur à contrariis.

Minor pr. Non minùs ignis exigit certam magnitudinem, quàm certam intensionem primarum qualitatum; atqui ignis exigit certam intensionem primarum qualitatum: ergo ignis exigit etiam certam magnitudinem.

Solutio: N*ganda est maior*, *quia ignis habere potest suas operationes in quacunque mole, non tamen perseuerare sine certa intensione primarum qualitatum. Materia enim determinatur ad hanc potius formam, quàm ad aliam per illam intensionem, & hæc sola facit, vt forma ignis sit in hac materia potiùs, quàm alia forma.*

SECTIO IV.

De Operationibus potentiæ generatiuæ.

PRÆCIPVA operatio potentiæ generatiuæ, & quæ sola explicanda nobis videtur, est formatio fœtus, de qua quid sentiendum sit duabus, aut tribus conclusionibus declarabimus.

PRIMA CONCLVSIO:

Variæ causæ concurrunt ad formationem fœtus.

SEMEN paternum, vterus, anima matris, & Deus sunt variæ causæ; atqui semen paternum, vterus, anima matris, & Deus concurrunt ad formationem fœtus: ergo variæ causæ concurrunt ad formationem fœtus.

Prima pars minoris probatur.

Illud concurrit ad formationem fœtus, quod est necessarium, vt pater dicatur parens fœtus; atqui vt pater dicatur parens fœtus, necessarium est, vt semen paternum concurrat: ergo semen paternum concurrit ad formationem fœtus.

Minor probatur. Vt pater dicatur parens fœtus necessarium est, vt materia ab illo decisa, & in

isto manens sit actiua istius; atqui nulla alia materia dici potest decisa à parte, quàm semen: ergo vt pater dicatur parens fœtus necessarium est, vt semen paternum concurrat.

Maior pr. Debet esse aliqua ratio, cur Adam non fuerit parens Euæ; atqui illa non potest esse alia, quàm quòd materia ab Adamo decisa, & in Eua manens non concurrit ad illam actiuè: ergo vt pater dicatur parens fœtus, necessarium est vt materia ab illo decisa, & in isto manens sit actiua istius.

Secunda pars minoris superioris argumenti, vterum, & animam matris concurrere probatur.

Illud concurrit ad formationem fœtus, quod producit animam, & vnionem huius cum materia; atqui anima matris producit animam fœtus, quæ non est rationalis, & vnionem eius cum materia: ergo anima matris concurrit ad formationem fœtus.

Minor probatur. Aliqua causa secunda producit animam fœtus, & eiusdem vnionem cum materia; atqui non est alia causa, quæ possit hoc commodius facere quàm anima matris: ergo anima matris producit animam fœtus, & eius vnionem cum materia.

Minor probatur. Alia, quæ dici possunt productiua animæ quidem fœtus, sunt semen paternum, vnionis verò eius cum materia ipsa anima; atqui semen paternum non est productiuum animæ fœtus, neque anima suæ vnionis cum materia: ergo non est alia causa, quæ possit hoc commodius facere, quàm anima matris.

Prima pars minoris probatur.

Quod eſt non viuens non eſt. productiuum principaliter viuentis; atqui ſemen paternum eſt non viuens, & anima fœtus viuens: ergo ſemen paternum non eſt productiuum principaliter animæ fœtus.

Maior pr. Quod eſt ignobilius non eſt productiuum principaliter eius, quod eſt nobilius; atqui viuens eſt nobilius non viuente: ergo non viuens non eſt productiuum principaliter viuentis.

Secunda pars minoris ſuperioris argumenti animam non producere ſuam vnionem, probatur.

Anima fœtus non magis poteſt vnionem ſui cum materia primò producere, quàm eandem deſtructam reproducere; atqui non poteſt eandem deſtructam reproducere: ergo non poteſt etiam vnionem ſui cum materia producere.

Minor pr. Quod anima fœtus facere poteſt non eſt miraculoſum; atqui vnionem deſtructam reproducere eſt miraculoſum: ergo anima fœtus non poteſt vnionem deſtructam reproducere.

Minor pr. Reſurrectio mortuorum eſt miraculoſa; atqui reſurrectio illa nihil aliud eſt, quàm reproductio vnionis deſtructæ animæ cum materia: ergo vnionem illam deſtructam reproducere eſt miraculoſum.

Maior ſuperioris argumenti, animam fœtus non magis poſſe producere ſuam vnionem cum materia, quàm eandem deſtructam reproducere, probatur.

Tam difficile eſt vnionem animæ fœtus cum

materia primò producere, quàm eandem reproducere: ergo anima fœtus non magis potest vnionem sui cum materia primò producere, quàm eandem reproducere.

Antecedens pr. Illud tam difficile est, ad quod tanta requiritur virtus; atqui ad vnionem animæ fœtus cum materia primò producendam tanta requiritur virtus, quanta ad eandem reproducendam: ergo tam difficile est vnionem animæ fœtus cum materia primò producere, quàm eandem reproducere.

Maior pr. Ad illud tanta requiritur virtus, quanta ad aliud, quod si non sit idem cum alio, est saltem illi omnino æquale; atqui vnio animæ fœtus primò producenda cum materia si non est eadem, est saltem perfectè æqualis, & tam nobilis, ac reproducenda: ergo ad vnionem animæ fœtus cum materia primò producendam tãta requiritur virtus, quanta ad eandem reproducendam.

Respondetur *potest, ad illud tanta requiritur virtus, quanta ad aliud quod est omnino æquale cum isto, & alia quæ ad ipsum requiruntur in eo statu sunt etiam æquè facilia*, Concedo. *si sint longè difficiliora*, Nego. atqui *vnio animæ fœtus primò producenda cum materia, si non est eadem, est saltem perfectè æqualis, & tam nobilis, ac reproducenda, & alia quæ ad ipsam requiruntur sunt æquè facilia,* Nego. *sunt longè difficiliora*, Concedo. *Illa difficiliora sunt productio dispositionum necessariarum in corpore, defectu quarum destructa est vnio illa primò producta animæ cum ipso, quas cùm anima producere non possit, & aliæ causæ earum productiuæ etiam non adsint, anima illam vnionem reproducere non potest.*

Contrà. Defectus dispositionum in corpore non reddit difficiliorem productionem vnionis animæ cum ipso ei, quod applicare potest agentia productiua illarum, aut inuenit ea applicata; atqui anima in corpore ex quo iam iam recedit applicare potest agentia productiua illarum dispositionum, & in corpore, quod de nouo formatur in vtero inuenit ea applicata: ergo defectus dispositionum in corpore non reddit difficiliorem reproductionem vnionis animæ cum corpore.

Tertia pars minoris argumenti superioris, Deum concurrere ad formationem fœtus, probatur.

Deus concurrit ad productionem omnis rei creatæ; atqui formatio fœtus est productio rei creatæ: ergo Deus concurrit ad formationem fœtus.

Maior probata est tractatu de Causis disput. quarta de Causa efficiente, sectione secunda.

SECVNDA CONCLVSIO:

Animatio fœtus est vnitio animæ fœtus cum eius materia.

VNITIO animæ fœtus cum eius materia est actio productiua vnionis animæ fœtus cum eius materia; atqui actio productiua vnionis animæ fœtus cum eius materia est animatio fœtus: ergo animatio fœtus est vnitio animæ fœtus cum eius materia.

Minor pr. Animatio fœtus est actio productiua eius, per quod eius anima animat eius materiam; atqui actio productiua vnionis est actio productiua eius, per quod anima animat eius ma-

teriam: ergo actio productiua vnionis animæ fœtus cum eius materia est eius animatio.

Minor pr. Vnio est id, per quod anima fœtus animat eius materiam: ergo actio productiua vnionis est actio productiua eius, per quod anima animat eius materiam.

Antecedens pr. Illud per quod anima animat materiam est id, per quod fit eius actus; atqui vnio est id, per quod anima fit actus materiæ: ergo vnio est id, per quod anima fœtus animat eius materiam.

TERTIA CONCLVSIO:

Mors est destructio vnionis animæ cum materia.

MORS est desitio viuentis; atqui desitio viuentis est destructio vnionis animæ cum materia: ergo mors est destructio vnionis animæ cũ materia.

Minor pr. Desitio viuentis est desitio compositi; atqui desitio compositi est destructio vnionis formæ eius cum materia: ergo desitio viuentis est destructio vnionis animæ cum materia.

Minor pr. Destructio vnionis est non existentia vnionis; atqui non existentia vnionis est desitio compositi: ergo desitio compositi est destructio vnionis formæ eius cum materia.

Minor pr. Illud est desitio compositi, quod est non existentia eius quod est aliquid compositi; atqui non existentia vnionis est non existentia eius, quod est aliquid compositi: ergo non existentia vnionis est destructio compositi.

Minor pr. Vnio est aliquid compositi : ergo non existentia vnionis est non existentia eius , quod est aliquid compositi.

Antecedens probatum est tractatu de Causis.

DISPVTATIO III.

De Anima sensitiua, eiusque Potentiis & operationibus.

QVEMADMODVM anima sensitiua multò nobilior est vegetatiua: Ita etiam potentiæ, & operationes primæ sunt longè perfectiores potentiis, & operationibus secundæ.

SECTIO PRIMA.

De natura , numero , & perfectione sensuum externorum.

SENSVS externus habet commune cum intellectu quod sit elicitiuus cognitionis , & prærerea cum imaginatione , quod cognitiones ab illo elicitæ sint materiales : Differt verò ab iisdem , quod non repræsentet obiectum suum nisi præsens , aut quasi præsens , quod qua ratione sit intelligendum explicabimus sectione quarta.

PRIMA CONCLVSIO:

Quinque sunt tantum sensus externi.

NON debent plures sensus externi admitti quàm fuerint deprehensi; atqui quinque tantum fuere deprehensi: ergo quinque tantum debent admitti.

Maior pr. Fundamentum admittendi plures esse sensus externos, quàm fuerint deprehensi non potest esse nisi efficax aliqua ratio aut experientia; atqui nulla est ratio efficax huius rei neque experientia: ergo non debent admitti plures sensus externi, quàm fuerint deprehensi.

Minor pr. Ratio alia huius rei afferri non posse videtur, quàm possibilitas plurium, experientia etiam nulla esse potest de eo, quod non est deprehensum; atqui possibilitas illorum non est ratio efficax, & plures non sunt deprehensi: ergo nulla est ratio efficax huius rei, neque experientia.

Secunda pars minoris clara est, & prima probatur.

Non est bona illatio aliquid esse actu, & de facto, ex eo quod possit esse: ergo possibilitas plurium sensuum quàm quinque non est ratio efficax ad probandum esse plures quinque.

SECVNDA CONCLVSIO:
Sensus externi possunt esse plures quinque.

TOT possunt esse sensus externi, quot possunt esse principia diuersa elicitiua cognitionis materialis de obiecto tantum pręsenti, aut quasi pręsēti; atqui possunt esse plura quàm quinque principia diuersa elicitiua cognitionis materialis de obiecto tantum præsenti, aut quasi præsenti: ergo & sensus externi etiam plures quinque.

Minor pr. Principium elicitiuum tantum cognitionis materialis de albedine præsenti, aut quasi pręsenti est verè principium elicitiuum cognitionis materialis de obiecto præsente; atqui illud nullum est ex quinque vulgatis principiis elicitiuis cognitionis materialis de obiecto præsenti, aut quasi præsenti: ergo possunt esse plura quàm quinque principia diuersa elicitiua cognitionis materialis de obiecto tantùm præsenti, aut quasi præsenti.

Respondent *huiusmodi principium implicare*.

Contrà. Illud non implicat, ex quo non sequitur illud esse, & non esse, neque esse simul, & non esse alterius rei: atqui ex eo quod detur principium tantùm elicitiuum cognitionis de albedine præsenti, aut quasi præsenti, non sequitur illud principium esse, & non esse, neque etiam esse, & non esse alterius rei: ergo huiusmodi principium non implicat.

Minor pr. Sequitur tantùm illud principium esse: ergo non sequitur illud non esse.

TERTIA CONCLVSIO:

Visus est omnium sensuum perfectissimus, post visum auditus, post auditum odoratus, post odoratum gustus, post gustum tactus.

SENSVS nobilitas desumi debet ex perfectiori organo, ex modo attingendi obiectum in maiori distantia, & celeritate, & certitudine operandi; atqui visus percipit obiecta in maiori distantia quàm alij sensus, habet perfectius organum, & citius operatur, auditus etiam respectu aliorum, & odoratus respectu gustus, & hic comparatus cum tactu: ergo visus est omnium perfectissimus, post visum auditus, post auditum odoratus, post odoratum gustus, & post gustum tactus.

SECTIO II.

Quomodo obiectum se habeat ad sensationem.

PRIMA CONCLVSIO:

Obiectum coëfficit sensationem.

ILLVD coëfficit sensationem, quod est principium illius effectiuum; atqui obiectum est principium effectiuum sensationis: ergo coëfficit sensationem.

Minor pr. Illud est principium effectiuum sen-

sationis, cuius existentia requiritur, vt illa efficiatur,& non est improportionatum ad huiusmodi effectionem; atqui existentia obiecti requiritur, vt efficiatur sensatio externa,& illud non est improportionatum ad illam efficiendam: ergo obiectum est principium effectiuum sensationis.

Prima pars minoris patet experientia,& secunda pr.

Non potest alia fingi improportio in obiecto ad efficiendam sensationem, quam quod sit quid ipsa imperfectius; atqui illa maior imperfectio non facit, vt sit improportionatum ad illam efficiendam: ergo obiectum non est improportionatum ad efficiendam sensationem.

Minor pr. Res imperfectior producere potest perfectiorem saltem instrumentaliter: ergo maior imperfectio obiecti quàm sensationis non facit illud improportionatum ad illam efficiendam saltem instrumentaliter.

Antecedens pr. Sol & astra iuxta illud decantatum sol & homo generant hominem, concurrunt ad productionem plantarum, & animalium; atqui sunt perfectiora plantis, & animalibus: ergo res imperfectior producere potest perfectiorem.

Minor pr. Quod non est viuens ignobilius est viuente; atqui sol, & astra non sunt viuentia, & plantæ, & animalia sunt viuentia: ergo sol, & astra sunt imperfectiora plantis, & animalibus.

SECVNDA CONCLVSIO:

Obiectum coëfficit sensationem aliquando immediatè.

Sensatio elicita à gustu,& tactu producitur

immediatè ab obiecto: ergo obiectum aliquando coëfficit sensationem immediatè.

Minor pr. Illa sensatio efficitur immediatè ab obiecto, quæ efficitur ab ipso sine interuentu speciei impressæ; atqui sensatio elicita à gustu, & tactu efficitur ab obiecto sine interuentu speciei impressæ: ergo efficitur ab illo immediatè.

Minor pr. Sensatio efficitur sine interuentu speciei impressæ, cùm obiectum est immediatum potentiæ sensitiuæ; atqui obiectum gustus, & tactus est illis immediatum: ergo sensatio elicita à gustu, & tactu efficitur ab illo sine interuentu speciei impressæ.

Maior pr. Interuenire tantùm debet species, cùm obiectum non est præsens potentiæ; atqui cùm obiectum est immediatum potentiæ, est verè illi præsens: ergo sensatio efficitur sine interuentu speciei impressæ, cùm obiectum est immediatum potentiæ sensitiuæ.

Maior pr. Interuenire tantùm debet species ad efficiendum sensationem ne detur actio in distans; atqui cum obiectum est præsens potentiæ, non est periculum, ne detur actio in distans: ergo interuenire tantum debet species cùm obiectum non est præsens.

Maior pr. Interuenire non debet species, cùm obiectum potest per se, & sine alio efficere sensationem; atqui cùm non est periculum ne detur actio in distans, obiectum potest per se efficere sensationem: ergo interuenire tantum debet species ad efficiendam sensationem ne detur actio in distans.

Tertia Conclusio:

Obiectum concurrit aliquando ad sensationem mediatè.

Visio, auditio, & olfactio sunt sensationes; atqui obiectum concurrit ad illas mediatè: ergo & ad sensationem.

Minor pr. Obiectum distans à potentia visiua, auditiua, & olfactiua concurrit mediatè ad visionem, auditionem, & olfactionem; atqui obiectum visionis, auditionis & olfactionis distat à potentia visiua, auditiua, & olfactiua: ergo concurrit ad illas mediatè.

Maior pr. Illud concurrit mediatè ad visionem, auditionem, & olfactionem, quod producit illas mediante aliquo à se producto; atqui cùm obiectum est distans à potentia visiua, auditiua, & olfactiua producit visionem mediante aliquo à se producto: ergo & concurrit ad illas mediatè.

Minor pr. Obiectum distans producere non potest visionem nisi per aliquid à se productum, vel à se non productum; atqui non producit illam mediante aliquo à se non producto: ergo producit illam mediante aliquo à se producto.

Minor pr. Non productum ab obiecto, per quod dici potest producere visionem non est aliud à medio interiecto inter ipsum, & potentiam; atqui non producit visionem mediante medio interiecto inter ipsum, & potentiam nihil in illo producendo: ergo non producit illam mediante aliquo à se non producto.

Minor pr. Medium interiectum inter obiectum, & potentiam aliquando est aër, aliquando aqua, aliquando ignis, aliquando carta, aliquando vitrum, &c. atqui non producit visionem mediante aqua, aëre, vitro, &c. ergo nec mediante medio interiecto.

Minor pr. Obiectum non producit visionem mediante eo, quod nullam habet vim ad hanc productionem; atqui aër, aqua, ignis, &c. nullam habent vim ad producendam visionem: ergo obiectū non producit visionem mediante aqua, aëre, vitro, &c.

Minor pr. Nullum est fundamentum concedendi vim productiuam visionis aquæ, igni, & vitro: ergo illam non habent.

Ant. pr. Non est maius fundamentum concedendi illis vim productiuam visionis, quàm aliis corporibus; atqui nullum est fundamentum eam aliis corporibus concedendi: ergo neque istis.

Sectio III.

De natura specierum impressarum.

Prima Conclusio:

Species impressæ sunt vera entia positiua.

Illud est verum ens positiuum, quod est effectiuum entis positiui; atqui species impressæ sunt effectiuæ entis positiui: ergo sunt vera entia positiua.

Minor pr. Sensatio est ens positiuum; atqui sunt effectiuæ sensationis: ergo & entis positiui.

Minor pr. Species impressæ faciunt erga sensationes, quod faceret obiectum si esset præsens; atqui si obiectum esset presens efficeret sensationem: ergo sunt effectiuæ sensationis.

Maior pr. Species impressa est vicaria obiecti: ergo facit erga sensationem, quod faceret obiectum si adesset.

SECVNDA CONCLVSIO:

Species impressæ sunt accidentia:

SPECIES impressæ debent esse substantiæ, vel accidentia; atqui non sunt substantiæ: ergo sunt accidentia.

Minor pr. Omnis substantia est vel spiritalis, vel corporea; atqui species impressæ non sunt, neque substantiæ spiritales, neque corporeæ: ergo non sunt substantiæ.

Minor pr. Accidentia non sunt productiua principaliter substantiarum, siue spiritalium, siue corporearum; atqui species producuntur principaliter ab accidentibus: ergo non sunt substantiæ spiritales, neque corporeæ.

Minor pr. Color, sonus, odor, &c. sunt accidentia; atqui species impressæ producuntur principaliter à colore, sono, odore, &c. ergo & ab accidentibus.

Minor pr. Species impressæ producuntur principaliter ab eo, cuius sunt repræsentatiuæ; atqui sunt repræsentatiuæ coloris, odoris, soni, &c. er-

go producuntur principaliter à colore, sono, odore, &c.

TERTIA CONCLVSIO:

Species impressæ sunt capaces intensionis, & remissionis.

ILLVD est capax intensionis, & remissionis cuius sunt plures partes in eadem parte subiecti; atqui sunt plures partes specierum impressarum in eadem parte subiecti: ergo species impressæ sunt capaces intensionis, & remissionis.

Minor pr. Species albedinis, species nigredinis, &c. sunt veræ species impressæ; atqui sunt plures partes illarum in eadem parte subiecti: ergo & specierum impressarum.

Minor pr. Oculus est subiectum illarum specierum; atqui in eadem parte oculi sunt plures partes speciei albedinis, & nigredinis: ergo & in eadem parte subiecti.

Minor pr. Debet afferri ratio, propter quàm oculus eodem modo dispositus, & benè affectus videat clarius obiectum, quàm antea; atqui illa non potest esse alia, quàm quod plures sint partes specierum in eadem parte oculi: ergo in ea sunt plures partes speciei albedinis & nigredinis.

Minor pr. Ratio, cur clarius videatur obiectum, quàm antea, non potest esse nisi maior actiuitas potentiæ, maior illuminatio obiecti, aut eius maior propinquitas; atqui actiuitas, & illuminatio sunt æquales ex suppositione, & propinquitas maior nihil ad hoc facere potest, nisi per

eam plures sint partes specierum in eadem parte oculi : ergo illa ratio non potest esse alia, quàm quod sint plures partes specierum in eadem parte oculi.

Minor probatur. Obiectum non aliter confert ad visionem, quàm per species à se productas: ergo maior eius propinquitas, nisi per eam plures sint partes specierum in eadem parte oculi nihil ad hoc facere potest.

QVARTA CONCLVSIO:

Species sunt diuersæ rationis ab obiectis.

OBIECTA specierum sunt colores, odores, soni, &c. atqui species sunt diuersæ rationis à coloribus, odoribus, sonis, &c. ergo & ab obiectis.

Minor pr. Speciebus conuenit aliquid commune intrinsecum, quod non conuenit coloribus, odoribus, sonis, &c. ergo sunt diuersæ rationis inter se.

Probatur antecedens de coloribus.

Species intensæ albedinis, & nigredinis possunt esse in eodem subiecto simul; atqui albedo, & nigredo intensa non possunt esse in eodem subiecto simul: ergo conuenit aliquid commune intrinsecum speciebus, quod non conuenit coloribus.

Maior pr. Oculus est idem subiectum specierum visualium; atqui in eadem parte oculi sunt species intensæ albedinis, & nigredinis: ergo spe-

cies intensæ albedinis, & nigredinis possunt esse simul.

Minor pr. In illo oculo est simul species intensa albedinis, & nigredinis, qui videt valdè clarè albedinem, & nigredinem; atqui oculus simul videt clarè albedinem, & nigredinem: ergo species intensæ albedinis, & nigredinis sunt in eadem parte oculi.

QVINTA CONCLVSIO:

Species non efficiuntur à sensu.

AB eodem efficiuntur species in medio, & in sensu; atqui in medio non efficiuntur à sensu: ergo sensus eas non efficit.

Minor pr. Ab eo species efficiuntur in medio, quod repræsentant; atqui non repræsentant sensum: ergo non efficiuntur à sensu in medio.

Maior pr. Ab eo efficiuntur species, cuius virtuales sunt imagines; atqui non sunt virtuales imagines, nisi eius, quod repræsentant: ergo ab eo efficiuntur, quod repræsentant.

Obiicies. Non est negandum sensui, quod ei necessarium est ad agendum; atqui actiuitas in species necessaria est sensui ad agendum: ergo sensus habet vim productiuam specierum.

Minor pr. Illud necessarium est sensui ad agendum, sine quo elicere non potest sensationem; atqui sine actiuitate in species elicere non potest sensationes: ergo actiuitas in species necessaria est sensui ad agendum.

Minor pr. Sensus non potest agere, quin aliquid

habeat actiuitatem in specie; atqui nullum aliud habere potest actiuitatem in species quàm ipsemet: ergo sine actiuitate in species elicere non potest sensationes.

Minor probatur. Aliud, quod dici potest habere actiuitatem in species est obiectum; atqui obiectum non habet actiuitatem in species: ergo nullum est aliud à sensu quod illam habeat.

Minor probatur. Obiectum est v. g. nigredo, albedo, &c. atqui albedo, & nigredo habere non possunt actiuitatem in species: ergo neque obiectum.

Minor pr. Quod habet actiuitatem in species est actiuum; sed albedo, & nigredo non sunt actiuæ: ergo non habent actiuitatem in species.

Solutio: *Quod habet actiuitatem in species, est actiuum actione physica, & simpliciter dicta,* Nego. *actione intentionali,* Concedo. atqui *albedo, & nigredo non sunt actiuæ actione physica, & simpliciter dicta,* Concedo. *actione intentionali,* Nego.

Contrà. Quod est actiuum specierum actione intentionali est illarum causa vniuoca, aut æquiuoca; atqui albedo, & nigredo non sunt causæ, neque vniuocæ, neque æquiuocę specierum: ergo non sunt actiuæ illarum actione intentionali.

Respondeo *esse causas æquiuocas.*

Contrà. Causa æquiuoca specierum est causa illarum principalis, vel instrumentalis; atqui albedo, & nigredo non sunt earum causæ æquiuocæ principales, nec instrumentales: ergo nec causæ æquiuocæ illarum.

Respondeo *esse causas æquiuocas.*

Causa æquiuoca principalis est perfectior suo

effectu; atqui albedo, & nigredo non sunt perfectiores speciebus: ergo nec causæ æquiuocæ principales illarum.

Minor pr. Magis materiale non est perfectius eo, quod est minus materiale; atqui albedo, & nigredo sunt magis materiales, quàm species impressæ earum repræsentatiuæ: ergo non sunt illis perfectiores.

Solutio: *Neganda est primò maior, nam possunt esse cætera imparia, ac proinde, & excessus ex aliis capitibus.*

Responderi potest secundò negando minorem. Ratio est, quia cum materialitas sit posita in independentia à materia, tam species dependent à subiecto adæquatè corporeo, ac albedo, & nigredo, & consequenter sunt æquè materiales, quòd autem dicantur intentionales prouenit ex eo, quod non sint tam palpabiles, ac sensibiles, vt sunt earum obiecta.

SEXTA CONCLVSIO:

Species conseruantur ab obiecto regulariter.

SPECIES ab eo conseruantur, quo remoto pereunt; atqui species remoto obiecto, aut impedito ne agat pereunt: ergo species conseruantur ab obiecto.

Minor pr. Species odoris, coloris, luminis, &c. pereunt remotis lumine, colore, & odore, aut impeditis ne agant: ergo species pereunt remoto earum obiecto, aut impedito ne agat.

Antecedens pr. Species odoris, coloris, luminis

nis, &c. pereunt, cùm sensatio obiecti ipsarum nec fit, nec fieri potest; atqui remotis lumine, colore, odore, &c. aut impeditis ne agant, non fit, nec fieri potest sensatio ipsorum: ergo species odoris, coloris, luminis, &c. pereunt remotis lumine, colore, & odore, aut impeditis ne agant.

Minor pr. Lumen, odor, & color impediuntur ne agant in sensationem, cùm interponitur inter ipsa, & potentiam sensitiuam corpus aliquod incapax recipiendi ipsorum effectum; atqui cùm huiusmodi corpus interponitur non fit sensatio luminis, coloris, odoris, &c. ergo remotis lumine, colore, & odore, aut impeditis ne agant, fieri non potest sensatio ipsorum.

Minor pr. Corpus opacum est incapax actionis luminis, & coloris; atqui cùm interponitur inter colorem, lumen, & oculum corpus opacum, color, & lumen non agunt in sensationem: ergo cùm huiusmodi corpus aliquod interponitur non fit sensatio luminis, coloris, odoris, &c.

Minor pr. Non fit vt patet experientia sensatio luminis, & coloris: ergo cùm interponitur inter oculum, & lumen, & colorem corpus aliquod incapax recipiendi effectum luminis, & coloris, hæc non agunt in sensationem.

Obiicies. Ab eo species non conseruantur, quo destructo, aut remoto perseuerant; atqui destructo obiecto species perseuerant: ergo non conseruantur ab obiecto.

Minor pr. Species perseuerant, quamdiu perseuerat sensatio; atqui sensatio perseuerat remoto, aut destructo obiecto: ergo & species.

Minor probatur. Visio perseuerat remoto, aut

destructo obiecto: ergo & sensatio.

Antecedens pr. Obiectum visionis est color, & lumen; atqui remoto colore, & lumine perseuerat visio: ergo & destructo, aut remoto obiecto.

Vt probetur minor, Supponunt aliquem intueri quanta potest magna applicatione, & diu colorem aliquem vehementem, qui deinde remoueatur, *& hoc posito sic argumentantur.*

Visio perseuerat, quamdiu experimur nos illum habere; atqui remoto illo colore experimur nos habere visionem de illo colore: ergo visio perseuerat remoto colore, & lumine.

Solutio: *Visio perseuerat quamdiu experimur nos illam habere vera experientia*, Concedo. *fallaci, & illudente nobis imaginatione*, Nego. atqui *remoto illo colore experimur nos habere visionem de ipso vera experientia*, Nego. *fallaci, & illudente nobis imaginatione*, Concedo.

Contrà Non illudit nobis tunc imaginatio: ergo experimur vera experientia nos habere visionem de illo colore.

Antecedens pr. Imaginatio nobis non illudit, cùm cessat ab omni actu circa illum colorem; atqui imaginatione cessante ab omni actu, qui incipiat ab ipsa circa illum colorem, experimur nos habere visionem de illo colore: ergo tunc imaginatio non illudit nobis.

Minor pr. Tunc imaginatio cessat ab actu circa colorem, cùm hoc ei imperat voluntas; atqui licèt voluntas imperet imaginationi, vt cesset ab omni actu circa colorem, experimur nos habere visionem de illo: ergo imaginatione cessante ab

omni actu circa colorem experimur nos habere visionem de ipso.

Solutio : *Tunc imaginatio cessat ab omni actu, cum hoc ei imperat voluntas, si actus ille non sit valdè vehemens*, Concedo. *si sit valdè vehemens*, Nego. atqui *licèt voluntas imperet imaginationi, vt cessit ab omni actu circa colorem experimur nos habere visionem de ipso, & tunc est valdè vehemens imaginatio circa colorem*, Concedo. *& non est valdè vehemens*, Nego. *Voluntas non potest semper cohibere ad libitum imaginationes, maximè quando sunt vehementes, vt patet in peccatoribus propensis ad vitium aliquod, cuius imaginationem quantumuis velint repellere non possunt sæpè.*

Septima Conclvsio:

Species sunt aliæ aliarum productiuæ.

Species debent aliæ alias producere, aut omnes tantum produci ab obiecto; atqui solum obiectum non producit omnes : ergo species sunt aliæ aliarum productiuæ.

Minor pr. Species, per quas videtur obiectum in speculo non producuntur à solo obiecto : ergo solum obiectum non producit omnes species.

Ant. pr. Species illæ non producuntur ab obiecto, ad quas obiectum non concurrit; atqui sæpè obiectum non concurrit ad species, per quas videtur in speculo : ergo illæ non producuntur à solo obiecto.

Minor pr. Tunc obiectum non concurrit ad

species, per quas videtur in speculo, quando inter ipsum, & oculum interponitur corpus opacum; atqui sæpè inter obiectum, & oculum cùm videtur in speculo, interponitur corpus opacum: ergo obiectum non concurrit sæpè ad species, per quas videtur in speculo.

Minor pr. Moles capitis, & corporis est corpus opacum; atqui sæpè inter obiectum, & oculum cùm videtur in speculo interponitur moles capitis, & corporis: ergo sæpè inter obiectum, & oculum cùm videtur in speculo interponitur corpus opacum.

Minor pr. Cùm videtur in speculo occiput, & tergum, aut ea quæ ipsis respondent, interponitur moles capitis, & corporis; atqui videtur sæpè in speculo occiput, tergum, & alia, quæ ipsis respondent: ergo sæpè inter oculum, & obiectum cùm videtur in speculo interponitur moles capitis, & corporis.

Obiicies. Species non fiunt nisi ab obiecto; atqui species vnæ non sunt aliarum obiectum: ergo species non sunt aliæ aliarum productiuæ.

Maior pr. Species fiunt tantùm ab eo, quod repræsentant; atqui repræsentant tantùm obiectum: ergo fiunt tantùm ab obiecto.

Solutio: *Species fiunt tantùm vt à causa præcipua ab eo quod repræsentant*, Concedo. *vt à causa minus præcipua*, Nego. *& concessa minori: ergo species fiunt tantùm ab obiecto vt à causa præcipua*, Concedo. *vt à causa minus præcipua*, Nego.

Contrà. Species non fiunt etiam, vt à causa minùs præcipua ab eo, quod non repræsentant: ergo nulla solutio.

Antecedens pr. Ab eo ſpecies non fiunt etiam vt à cauſa minus præcipua, quo pereunte, aut remoto ipſæ non pereunt; atqui pereunte, aut remoto eo, à quo fieri dicuntur, licèt illud non repræſentent, non pereunt: ergo ab eo non fiunt etiam vt à cauſa minus præcipua.

Minor probatur. Species, quæ ſunt in medio producere dicuntur eas, quæ ſunt in oculo, licèt ab iſtis non repræſententur; atqui pereuntibus ſpeciebus, quæ ſunt in medio, aut remotis non pereunt illæ, quæ ſunt in oculo: ergo pereunte, aut remoto eo, à quo fieri dicuntur, licèt illud non repræſentent, non pereunt.

Minor pr. Cùm flat ventus pereunt ſpecies, quæ ſunt in medio, aut remouentur ſimul cum aëre, qui eſt earum ſubiectum; atqui non pereunt illæ, quæ ſunt in oculo: ergo pereuntibus ſpeciebus, quæ ſunt in medio non pereunt illæ, quæ ſunt in oculo.

Solutio: *Cùm flat ventus pereunt ſpecies, quæ ſunt in medio, & non ſubſtituuntur aliæ earum loco,* Nego. *& ſubſtituuntur*, Concedo. *& conceſſa minori: ergo* *pereuntibus ſpeciebus, quæ ſunt in medio aliis earum loco ſubſtitutis non pereunt illæ, quæ ſunt in oculo*, Concedo. *ſi non ſubſtituerentur aliæ*, Nego. *Cum ſubſtituuntur autem aliæ, quæ ſunt in oculo non pereunt, quia ſuccedentes faciunt, quod faciebant præcedentes, ſcilicet dant eſſe illis, quæ ſunt in oculo, tanquam cauſa minus præcipua.*

Octava Conclusio:

Species aliquæ producunt aliæ alias dependenter tantùm à concursu obiecti.

Species visus producunt aliæ alias dependenter tantùm à concursu obiecti: ergo species aliquæ producunt aliæ alias dependenter tantum à concursu obiecti.

Antecedens pr. Illæ species producunt aliæ alias tantum dependenter à concursu obiecti, quæ producere non possunt alias nisi simul cum illis concurrat obiectnm; atqui species visus producere non possunt alias nisi simul cum illis concurrat obiectum: ergo producunt tantum alias dependenter à concursu obiecti.

Minor pr. Species visus producere non possunt alias nisi in subiecto, à quo ad obiectum duci potest linea recta; atqui non potest esse alia ratio huius rei, quàm quod producere non possint alias nisi concurrente obiecto: ergo producere non possunt alias nisi simul cum illis concurrat obiectum.

Minor pr. Obiectum visus non concurrit in productione specierum, nisi per lineam rectam: ergo non potest esse alia ratio huius rei, quàm quod producere non possint alias nisi concurrente obiecto.

NONA CONCLVSIO:

Species ſunt indiuiſibiles obiectiuè.

ILLAE ſpecies ſunt indiuiſibiles obiectiuè, quæ ſunt indiuiſibiles in repræſentando obiecto; atqui ſpecies impreſſæ ſenſibiles ſunt indiuiſibiles, in repræſentando obiecto: ergo ſunt indiuiſibiles obiectiuè.

Minor pr. Illæ ſpecies ſunt indiuiſibiles in repræſentando obiecto, quarum quælibet pars repræſentat totum obiectum, & ſingulas eius partes; atqui quælibet pars ſpecierum impreſſarum ſenſibilium repræſentat totum obiectum, & ſingulas eius partes: ergo ſunt indiuiſibiles in repræſentando obiecto.

Minor pr. Eo modo ſpecies impreſſæ ſenſibiles repræſentant ſuum obiectum, quo fiunt ab illo; atqui fiunt ab illo toto, & ſingulis eius partibus: ergo quælibet pars illarum repræſentat totum obiectum, & ſingulas eius partes.

Minor pr. Illæ ſpecies fiunt à toto obiecto, & ſingulis eius partibus, ad quas efficiendas ſibi mutuò cooperantur partes, & totum; atqui ad efficiendas ſpecies impreſſas ſenſibiles mutuò ſibi cooperantur partes, & totum: ergo fiunt ab illo toto, & ſingulis eius partibus.

Minor pr. Illa ſibi mutuò cooperantur ad efficiendas ſpecies impreſſas ſenſibiles, quæ ſola illas producere non poſſunt, coniuncta verò poſſunt; atqui partes obiecti ſeorſim ſumptæ ſæpè producere non poſſunt ſpecies impreſſas, coniun-

ctæ verò possunt: ergo ad efficiendas species impressas cooperantur sibi partes, & totum.

Minor pr. Granum milij est pars obiecti visus; atqui granum milij seorsim producere non potest in aliqua distantia speciem impressam, per quam videatur, coniunctum verò cum aliis potest: ergo partes obiecti seorsim sumptæ sæpè producere non possunt species impressas, coniunctæ verò possunt.

Minor pr. Illud non producit speciem impressam, per quam videatur, quod de facto non videtur; atqui granum milij seorsim de facto non videtur: ergo seorsim sumptum non producit speciem, per quam videatur.

Respondet primò *Arriaga disputatione quarta de anima, sectione septima ad præcedens argumentum. Granum milii seorsim sumptum non producit in ea distantia speciem impressam, per quam videatur defectu comprincipii*, Negat. *defectu conditionis requisitæ*, Concedit. *Vult enim consortium aliorum granorum iuuare istud granum, non per modum comprincipii, sed conditionis necessariæ, vt exerat suam vim, & producat intensiorem speciem, & ad maiorem distantiam.*

Contrà. Grana alia coniuncta primo, dici possunt sine incommodo comprincipium illius speciei intensioris, & ad maiorem distantiam: ergo non sunt tantùm conditio ad illam.

Antecedens pr. Incommodum, quod affert ille author est, quòd species illa intensior producta ab illis omnibus deberet illa æquè clarè repræsentare; atqui non debet illa æquè clarè repræsentare: ergo grana alia coniuncta primo

possunt dici sine incommodo comprincipium illius.

Minor pr. Eo modo debet illa repræsentare, quo est ab illis; atqui non est æquè ab omnibus: ergo non debet æquè clarè omnia repræsentare.

Minor pr. Quod est minus ab vno, quàm ab alio non est æquè ab omnibus; atqui species illa minus est à remotioribus,& magis à propinquioribus, seu hæc magis in illam influunt, quàm illa: ergo non est æquè ab omnibus.

Minor pr. Tam certum est minus influere in illam speciem grana remotiora propinquioribus, quàm in eundem effectum, aut actionem causam instrumentalem principali, aut ex duabus principalibus debiliorem potentiori; atqui causa instrumentalis minùs influit principali in communem effectum, sicut & ex duabus principalibus debilior potentiori: ergo remotiora minus influunt in illam speciem, quàm propinquiora.

Minor pr. Tractio currus à duobus equis vno alio longè potentiori est communis illis effectus; atqui magis influit in illam,& plus ad eam confert potentior, quàm debilior:ergo debilior caussa minus influit in communem effectum, quàm potentior.

Minor pr. Potentior equus confert ad illam omnes suas vires, & debilior non aliud confert, quam suas; atqui illæ potentioris sunt longè maiores: ergo potentior magis ad illam confert quàm debilior.

Respondet *secundò idem auctor ibidem ad argumentum vltimò factum ante primam responsionem.*

Granum milii non videtur visione valde magna, & sensibili, Concedo. *visione non ita sensibili, & propter exiguitatem vix immutante sensum, & determinante nos ad iudicium ferendum de illa, & dicendum nos illam habere*, Nego. *Responsumque suum confirmat experientia illa, qua intuendo parietem valdè album consperſum notis nigris, existimamus nihil in illo esse nigri, licèt videamus etiam in nostra sententia notas illas nigras per speciem, scilicet obiectiuè indiuisibilem.*

Contrà. Solutio data supponit visionem vnius grani esse exiguam, & illam octo, v.g. aut nouem granorum esse magnam; atqui hæc iuxta illum modum philosophandi non potest dici magna: ergo solutio data nulla est.

Minor pr. Visio non est magna, cùm non immutat valdè sensum, & non determinat nos ad iudicandum nos illam habere; atqui visio nouem granorum ex aliqua distantia non determinat nostrum intellectum ad iudicandum nos illam habere: ergo non potest dici magna.

Responderi posset: Atqui *visio nouem granorum ex aliqua distantia, æquali illi in qua visio vnius grani incipit dici exigua, non determinat nostrum intellectum ad iudicandum nos illam habere*, Nego, *ex aliqua distantia maiori*, Concedo. ergo *non potest dici magna in distantia, in qua illa vnius grani incipit dici exigua*, Nego. *in maiori*, Concedo. *Ad magnitudinem enim illam non tantum attendenda est multitudo, sed etiam intensio, quæ sine dubio minor est in maiori distantia, quàm in minori.*

Contrà. Iuxta solutionem granum vnum mi-

lij tantum protendit sui speciem, & tam intensam producit sui visionem, ac multa simul iuncta; atqui falsum est granum milij protendere tantum sui speciem, & tam intensam producere sui visionem, ac multa simul iuncta: ergo solutio tradita nulla est.

Minor pr. Multæ partes vini rubri v. g. simul iunctæ producunt teste experientia, ipso etiam annuente Arriaga disp. 3. de alteratione sect. 3. intensiorem visionem, & ad maiorem distantiam, quàm separatæ per aquæ admixtionē: ergo multa grana milij producunt intensiorem visionem, & ad maiorem distantiam, quàm vnum solum.

Antecedens pr. Multæ partes vini separatæ per aquæ admixtionem, videntur minus rubræ, etiamsi oculus illis fiat propinquior: ergo multæ partes vini rubri simul iunctæ producunt intensiorem visionem, & ad maiorem distantiam.

Obiicies. Illæ species non sunt indiuisibiles obiectiuè, quæ sunt diuisibiles in repræsentando; atqui species impressæ sensibiles sunt diuisibiles in repræsentando: ergo non sunt indiuisibiles obiectiuè.

Minor pr. Illæ species sunt diuisibiles in repræsentando, quarum vna pars repræsentat vnam partem obiecti, alia aliam, & non quælibet totum obiectum, & singulas eius partes; atqui vna pars specierum impressarum repræsentat vnam partem obiecti, alia aliam, & non quælibet totum obiectum, & singulas eius partes: ergo sunt diuisibiles in repræsentando.

Minor pr. Species impressæ sensibiles eo modo repræsentant obiectum, quo ab illo fiunt; atqui

quælibet pars speciei fit à qualibet parte obiecti, & non quælibet à singulis eius partibus: ergo vna pars speciei repræsentat vnam partem obiecti, alia aliam, &c.

Minor pr. Vt pars speciei quælibet fiat à singulis obiecti partibus, debent partes obiecti cooperari sibi in productione eiusdem speciei; atqui non cooperantur sibi in productione eiusdem speciei: ergo pars quælibet speciei non fit à singulis partibus obiecti.

Minor pr. Partes obiecti sæpè sunt contrariæ; atqui partes contrariæ non cooperantur sibi in productione eiusdem speciei: ergo neque partes obiecti.

Minor pr. Albedo, & nigredo sunt partes obiecti contrariæ; sed illæ non cooperantur sibi in productione eiusdem speciei: ergo neque partes contrariæ.

Solutio: *Neganda est minor. Ratio est, quia non minus albedo, & nigredo concurrere possunt ad productionem eiusdem speciei maximè adiutæ à lumine, quàm calor, & frigus; humiditas, & siccitas ad productionem formæ substantialis mixti adiuta ab alia forma substantiali agentis.*

Contrà. Albedo, & nigredo etiam adiutæ à lumine minus dicendæ sunt cooperari sibi in productione eiusdem speciei, quàm partes similes; atqui partes similes siue eiusdem coloris non cooperantur sibi in productione eiusdem speciei: ergo albedo, & nigredo non cooperantur sibi in productione eiusdem speciei.

Minor pr. Partes eiusdem coloris cooperari sibi in productione eiusdem speciei, est ferè con-

tinuò produci nouam speciem; atqui dici non debet produci ferè continuò nouas species: ergo neque partes similes cooperari sibi in productione eiusdem speciei.

Minor pr. Produci ferè continuò nouam speciem, est dari infinities infinitas nouas species; atqui non dantur infinities infinitę nouę species: ergo non producuntur ferè continuò nouæ species.

Maior pr. Dari de nouo infinities infinitas species est dari infinitum actu; atqui non datur infinitum actu: ergo nec infinities infinitæ nouæ species.

Solutio: *Dari de nouo infinities infinitas species est dari actu infinitum, quale negatur communiter à philosophis,* Nego. *quale non negatur,* Concedo atqui *non datur infinitum actu entium corporeorum simul existentium, & alicotorum,* Concedo. *non simul existentium, aut non alicotorum,* Nego. *Infinitum quod negatur à philosophis, est infinitum entium corporeorum simul actu existentium, & habentium partes aliquotas, quod istis speciebus non conuenit, quippe quæ simul non existant, cùm enim vna fit, alia esse desinit.*

Caeterùm argumentum factum maiorem habet vim contra aduersarios, cuilibet enim parti obiecti etiam proportionali respondet sua species distincta, & æqualis alteri sunt autem infinitæ partes proportionales: ergo *& in medio, & in oculo infinitæ species æquales simul existentes, ac proinde & infinitum actu. Videant ipsi quid sit respondendum.*

Contra nostram solutionem sic argumentantur.

Cùm vna species fit, alia desinere non debet: ergo nulla solutio.

Antecedens pr. Fundamentum dicendi debere vnam ſpeciem deſinere cùm ſit alia, non poteſt eſſe niſi defectus ſubiecti, aut aduentus contrarij; atqui non deeſt ſubiectum, neque ponitur de nouo vllum contrarium: ergo cùm vna ſpecies ſit, alia deſinere non debet.

Solutio: *Neganda eſt maior. Ratio eſt, quia poteſt perire propter defectum cauſæ conſeruantis obiecti, ſcilicet, quod modo non adeſt, cùm antea adeſſet, & eatenus ipſi poſſet dare eſſe.*

Contrà. Obiectum non dat ipſi eſſe: ergo non debet perire propter defectum obiecti.

Antecedens pr. Obiectum, quod aufertur, non dat eſſe ſpeciei repręſentatiuę aliorum à ſe; atqui ſpecies repræſentat alia ab ipſo: ergo obiectum, quod aufertur, non dat illi eſſe.

Maior pr. Obiectum, quod aufertur, non dat eſſe ſpeciei, quæ non eſt repræſentatiua illius ſimul, & aliorum; atqui ſpecies non eſt repræſentatiua ipſius, & aliorum: ergo obiectum, quod aufertur non dat eſſe ſpeciei repræſentatiuæ aliorum à ſe.

Minor pr. Repræſentatio ſpeciei repręſentatiuę obiecti, quod aufertur, & ſimul aliorum eſt indiuiſibilis; atqui repręſentatio illius ſpeciei non eſt indiuiſibilis: ergo non eſt repræſentatiua obiecti quod aufertur, & aliorum.

Minor probatur. Repræſentatio ſpeciei eſt eius entitas; atqui eius entitas non eſt indiuiſibilis: ergo nec eius repræſentatio.

Solutio: Atqui *eius entitas non eſt indiuiſibilis, comparata ad ſubiectum, aut habita ratione partium intenſiuarum,* Concedo. *comparata ad ob-*

iectum, & habita ratione modi, quo illud repræsentat, Nego. ergo *nec est indiuisibilis eius repræsentatio comparata ad subiectum, aut habita ratione partium intensiuarum,* Concedo. *comparata ad obiectum, & habita ratione modi quo est illius repræsentatio,* Nego. *Entitas illa est diuisibilis quoad subiectum, & habita ratione partium intensiuarum, quæ habet partes coextensas partibus subiecti, & in eadem subiecti parte plures, quod verum est de specie, quæ nihilominus comparata ad obiectum, & habita ratione modi, quo illud repræsentat rectè dicitur indiuisibilis, quia scilicet quælibet eius pars totum obiectum, & quamlibet eius partem repræsentat.*

Contrà. Quælibet pars speciei non fit à toto obiecto, & à singulis eius partibus: ergo quælibet pars speciei non repræsentat totum obiectum, & singulas eius partes.

Ad probationem antecedentis, supponunt esse duo obiecta colorata A, & B *per rectam lineam opposita, & in toto spatio intermedio producentia sui speciem, & hoc posito sic argumentantur:*

Pars speciei obiecti B, vicina obiecto A, non fit ab obiecto A, & B, neque illa obiecti A, quæ est vicina obiecto B, simul ab ipso obiecto B, & A; atqui obiectum A, & B, sunt partes obiecti, seu faciunt simul vnum obiectum: ergo quælibet pars speciei non fit à singulis partibus obiecti.

Maior probatur. Obiectum B, producere non potest simul cum obiecto A, speciem vicinam ipsi obiecto A, nisi medio ei cooperante, vel compatiente; atqui medium non potest dici neque ei cooperari, neque compati: ergo obiectum B,

non potest producere speciē vicinam obiecto A.

Prima pars minoris probatur.

Medium non magis dici debet cooperari obiecto B, quàm obiecto A, in productione speciei vicinæ obiecto B; atqui medium non cooperatur obiecto A, in productione speciei vicinæ obiecto B: ergo medium non cooperatur obiecto B, in productione speciei vicinæ obiecto A.

Minor probatur. Medium respectu obiecti A, sunt species ipsi viciniores, & respectu obiecti B, species ab A remotiores; atqui species viciniores obiecto A, & ab eo remotiores non cooperantur vtrique: ergo medium non cooperatur obiecto A, in productione speciei vicinioris obiecto, A.

Minor probatur. Quod cooperatur alteri producit, quod illud producit; atqui species viciniores obiectis A, & B, non producunt, quod illæ producunt: ergo illis non cooperantur.

Minor probatur. Obiectum A, producit speciem viciniorem obiecto B, & istud speciem viciniorem obiecto A; atqui species viciniores obiecto A, non producunt speciem viciniorem obiecto B, neque illæ, quæ sunt isti viciniores eam, quæ est vicinior obiecto B: ergo species viciniores obiectis A, & B non producunt, quod illæ producunt.

Minor pr. Species viciniores obiecto A, producere non possunt eam, quæ est vicinior obiecto B, & viciſſim, quæ sunt isti viciniores eam, quæ est vicinior obiecto A, quin producant id, à quo producuntur; atqui producere non possunt id, à quo producuntur: ergo species viciniores obiecto

A, non producunt speciem viciniorem obiecto B, neque illæ, quæ sunt isti viciniores eam, quæ est vicinior obiecto B.

Ad probandam minorem superioris argumenti medium scilicet, non posse dici compati. Supponunt *esse duo obiecta, vnum coloratum, alterum luminosum, opposita per lineam rectam duobus aliis; quorum vnum sit coloratum, alterum luminosum, ita tamen dissita, vt colorata in toto spatio intermedio videri non possint, propterea quòd in remotioribus eius partibus non producant speciem, luminosa verò C, & D possint, propterea quod maiorem habeant sphæram, quo posito sic argumentantur:*

Non magis obiectum B, coloratum producere potest speciem vicinam obiecto A, medio tantùm compatiente, quàm luminosum C, speciem sui in remotioribus partibus interiectis tantùm compatientibus; atqui luminosum C, producere non potest speciem sui in partibus remotioribus ab ipso, interiectis tantùm compatientibus: ergo obiectum B, producere non potest speciem vicinam obiecto A, medio tantùm compatiente.

Minor pr. Cùm effectus, qui est in passo remoto diuersus est ab eo, qui est in propinquiori, agens producere illum non potest medio tantùm compatiente; atqui species luminosi C, quæ sunt in partibus ab ipso remotioribus, diuersæ sunt ab iis, quæ sunt in propinquioribus: ergo luminosum C, eas producere non potest interiectis tantùm compatientibus.

Solutio: *Cùm effectus, qui est in passo remoto est omnino diuersus, aut valdè ab eo, qui est in pro-*

pinquiori, agens producere illum non potest medio tantùm compatiente, Concedo. *cùm non est valdè diuersus*, Nego. atqui *species luminosi C, quæ sunt in partibus ab ipso remotioribus, sunt omninò, aut valdè diuersæ ab iis, quæ sunt in propinquioribus*, Nego. *non sunt valdè diuersæ*, Concedo.

Contrà. Species, quæ sunt in partibus remotioribus à luminoso C, sunt tantùm repræsentatiuæ luminis, & illæ, quæ sunt ei propinquiores sunt repręsentatiuę coloris simul, & lucis; atqui species repræsentatiuæ tantùm lucis sunt valdè diuersæ ab iis, quæ sunt repræsentatiuæ simul coloris, & lucis: ergo species, quæ sunt in partibus remotioribus à luminoso C, sunt valdè diuersæ à speciebus ei propinquioribus.

Minor pr. Quæ sunt diuersæ speciei sunt valdè diuersa; atqui species repræsentatiuæ tantùm lucis, sunt diuersæ speciei ab speciebus repræsentatiuis lucis simul, & coloris: ergo species repræsentatiuæ tantùm lucis sunt valdè diuersæ ab speciebus repræsentatiuis lucis simul, & coloris.

Solutio: *Quæ sunt diuersæ speciei sunt valdè diuersa diuersitate requisita ad speciem*, Concedo. *diuersitate requisita ad hoc, vt non possit censeri continuatio influxus, & actionis*, Nego. *& concessa minori*: ergo *species repræsentatiuæ tantùm lucis sunt valdè diuersæ ab speciebus repræsentatiuis lucis simul, & coloris, diuersitate requisita ad speciem*, Concedo. *diuersitate requisita ad hoc, vt non possint censeri continuare actionem, & impedire ne detur actio in distans*, Nego. *Ratio est, quia cùm species repræsentatiuæ coloris, & lucis sint verè repræsentatiuæ lu-*

cis, & alia repræsentatiuæ tantùm lucis sint verè etiam repræsentatiuæ lucis, censentur meritò esse vnus effectus, & illarum productio continuata actio, & consequenter effectio secundarum non est quòd dicatur interruptio actionis priorum, & luminosum agere in distans si medium, vt asserimus nos, ei non cooperetur.

DECIMA CONCLVSIO:

Species impressæ sensibiles non sunt formales imagines suorum obiectorum.

ILLVD non est formalis imago alterius, quod est diuersæ speciei ab illo, ei dissimile in figura externa & lineamentis, neque est viua & formalis expressio illius; atqui species impressæ sunt diuersæ speciei ab obiectis, dissimiles eis in figura, & lineamentis, neque sunt viua & formalis eorum expressio: ergo non sunt formales imagines obiectorum suorum.

Respondent *esse formalem expressionem obiecti.*

Contrà. Quod est viua expressio alterius, vnitum alteri reddit illud se ipso cognoscens istius; atqui species impressæ non reddunt illud, cui vniuntur percipiens formaliter hoc ipso ipsarum obiectum: ergo ipsæ non sunt viua, & formalis expressio sui obiecti.

Minor pr. Species impressæ vniuntur aëri; atqui non reddunt aërem percipientem hoc ipso earum obiectum: ergo nec illud cui vniuntur.

Respondent: *Species impressæ vniuntur aëri, & aër est subiectum capax perceptionis obiecti,* Nego.

& non est capax illius perceptionis, Concedo. *& concessa minori:* ergo *non reddunt illud, cui vniuntur percipiens formaliter hoc ipso earum obiectum, si non sit capax huiusmodi perceptionis,* Concedo. *si sit capax huiusmodi perceptionis,* Nego.

Contrà. Illud est capax perceptionis obiecti, quod est subiectum connaturale huiusmodi perceptionis; atqui aër est subiectum connaturale huiusmodi perceptionis: ergo est capax perceptionis obiecti.

Minor probatur. Illud est subiectum connaturale huiusmodi perceptionis, quod ei vnitur citra vllam violentiam, & eleuationem; atqui aër vnitur huiusmodi perceptioni citra vllam violentiam, & eleuationem: ergo est subiectum connaturale illius.

Minor probatur. Illud vnitur huiusmodi perceptioni citra vllam violentiam, & eleuationem, cui illa perceptio non est dissentanea, neque supra eius vires; atqui huiusmodi perceptio non est dissentanea aëri, neque supra eius vires: ergo aër vnitur huiusmodi perceptioni citra vllam violentiam, & eleuationem.

Obiicies. Illud est formalis imago obiecti, quod est formalis illius similitudo; atqui species impressæ sunt formales similitudines suorum obiectorum: ergo & formales imagines.

Minor probatur. Illud est formalis similitudo obiecti, quod per sui vnionem cum alio facit illud formaliter simile obiecto; atqui species impressa facit illud, cui vnitur ex Aristotele formaliter simile obiecto: ergo est formalis illius similitudo.

Solutio : *Illud est formalis similitudo obiecti quod facit illud cui vnitur formaliter simile obiecto per se ipsum immediatè*, Concedo. *per aliud à se productum*, Nego. atqui *species impressa facit illud, cui vnitur formaliter simile obiecto per se ipsam immediatè*, Nego. *per aliud à se productum*, Concedo.

Contrà. Illud facit id, cui vnitur formaliter simile obiecto per se ipsum immediatè, quod est signum formale obiecti; atqui species impressæ sunt signa formalia obiecti: ergo faciunt illud, cui vniuntur formaliter simile obiecto per seipsas immediatè.

Minor probatur. Species impressæ sunt signa formalia, vel instrumentalia suorum obiectorum; atqui non sunt signa illorum instrumentalia: ergo sunt signa formalia ipsorum.

Maior probatur. Illud est signum formale, vel instrumentale obiecti, quod est verè illius signum; atqui species impressæ sunt signa suorum obiectorum; ergo sunt signa illorum formalia, vel instrumentalia.

Minor pr. Illud est verè signum alterius, quod ducit in illius cognitionem; atqui species impressæ ducunt in cognitionem obiectorum: ergo verè sunt signum illorum.

Solutio : *Illud est verè signum alterius quod ducit per sui cognitionem, aut quod sit eius formalis cognitio in cognitionem illius*, Concedo. *quod efficiat cognitionem formalem*, Nego. *alioquin quacunque producerent cognitionem essent signa rei significatæ per illam, quod est falsum, vt patet in Deo efficiente res omnes, & illas non significante*; atqui

species impressæ ducunt in cognitionem suorum obiectorum per sui cognitionem, aut quod sint formalis cognitio ipsorum, Nego. *propterea quod efficiant cognitionem formalem suorum obiectorum*, Concedo.

VNDECIMA CONCLVSIO:

Species impressa concurrit effectiuè ad sensationem.

Eo modo concurrit species impressa ad sensationem, quo obiectum si adesset; atqui si obiectum adesset concurreret effectiuè: ergo species impressa concurrit effectiuè ad sensationem.

Maior probatur. Quod gerit vices alterius respectu sensationis eodem modo debet ad illam concurrere, quo illud faceret si adesset; atqui species gerit vices obiecti respectu sensationis: ergo eodem modo concurrit, quo obiectum si adesset.

Obiicies Species impressa non est causa efficiens sensationis: ergo non concurrit effectiuè ad sensationem.

Minor pr. Illud non est causa efficiens sensationis, quod est illa imperfectius; atqui species impressa est imperfectior sensatione: ergo non est causa efficiens illius.

Solutio: *Quod est imperfectius sensatione non est causa efficiens illius principalis*, Concedo. *instrumentalis*, Nego. *& concessa minori eadem distinctio applicanda est consequenti.*

Contrà. Species impressa non est causa efficiens instrumentalis sensationis: ergo nulla solutio.

Antecedens pr. Quod est causa efficiens etiam instrumentalis sensationis debet esse vitale; atqui species impressa non est vitalis: ergo non est causa instrumentalis sensationis.

Maior pr. Quod est causa etiam instrumentalis actus vitalis debet esse vitale; atqui sensatio est actus vitalis: ergo quod est causa efficiens etiam instrumentalis sensationis debet esse vitale.

Maior pr. Actus vitalis exigit fieri à principio vitali: ergo quod est causa etiam instrumentalis actus vitalis debet esse vitale.

Solutio: *Actus vitalis exigit fieri à principio vitali principali,* Concedo. *instrumentali, aut etiam adæquato,* Nego. *Ratio est, quia vt actus sit vitalis, sufficit vt fiat à principio intrinseco, & in eodem recipiatur, ad quod sanè non est necessarium, vt quidquid concurrit ad illius productionem sit quid vitale, seu non proueniens ab extrinseco.*

DVODECIMA CONCLVSIO:

Causa materialis specierum impressarum sensibilium est quantitas.

ILLVD est causa materialis specierum impressarum, quod est earum subiectum; atqui quantitas est earum subiectum: ergo est etiam causa materialis ipsarum.

Minor pr. Tam quantitas est subiectum specierum impressarum, quàm accidentium non vitalium,& non modalium; atqui quantitas est subiectum accidentium non vitalium,& non modalium, ex tractatu de causis disputatione de causa materiali : ergo est etiam subiectum specierum non vitalium, & non modalium.

Maior pr. Ratio quæ probat quantitatem esse subiectum accidentium non vitalium & non modalium habet eandem vim pro speciebus impressis:ergo quantitas tam est subiectum specierum impressarum,quàm accidentium non vitalium,& non modalium.

Antecedens pr. Ratio, quæ probat quantitatem esse subiectum accidentium non vitalium, & non modalium est ne multiplicentur in speciebus Eucharisticis miracula; atqui negata quantitati vi subiectandi species impressas in speciebus Eucharisticis, longè plura admittenda erunt miracula, quàm ea ei concessa:ergo ratio, quæ probat quantitatem esse subiectum accidentium non vitalium, & non modalium, habet eandem vim pro speciebus impressis.

Minor pr. Negato quantitati vi subiectandi species impressas in speciebus Eucharisticis, tot erunt miracula quot producuntur in illis species impressæ obiectorum,à quibus ad ipsas duci potest linea recta,& quot reflectuntur, & huiusmodi vi subiectiua ei concessa, miracula illa non sunt admittenda:ergo negata quantitati vi subiectandi species impressas in speciebus Eucharisticis, longè plura admittenda erunt miracula, quàm ea ei concessa.

Antecedens

Antecedens pr. Miraculum est quòd species impressæ producantur sine subiecto, & non est miraculum quòd producantur dependenter à subiecto, & istud debet dici esse in speciebus Eucharisticis respectu illarum sola quantitas: ergo negata quantitati vi subiectandi species impressas in speciebus Eucharisticis, tot erunt miracula quot producuntur in illis species impressæ obiectorum, à quibus ad ipsas duci potest linea recta, & quot reflectuntur, & huiusmodi vi ei concessa illa miracula non sunt admittenda.

Prima & secunda pars antecedentis claræ sunt, & tertia probatur.

Vis subiectandi species impressas in speciebus Eucharisticis dicenda est potius inesse illi quod est subiectum qualitatum primarum, & secundarum, quàm ipsis qualitatibus primis aut secundis; atqui quantitas est subiectum qualitatum primarum & secundarum: ergo subiectum specierum impressarum in speciebus Eucharisticis non est aliud à quantitate.

Decima-tertia Conclusio:

Species impressæ sensibiles non percipiuntur à sensibus.

Species impressę non cognoscuntur à visu auditu, olfactu, gustu, aut tactu: ergo non percipiuntur à sensibus.

Antecedens probatur. Illud non cognoscitur à

visu, seu non videtur, quod non repræsentatur per visionem; atqui species impressa non repræsentatur per visionem: ergo non cognoscitur à visu.

Minor probatur. Quod repræsentatur per visionem est obiectum, aut quid illi simile in figura externa, & lineamentis; atqui species impressa non est obiectum, neque aliquid illi simile in figura & lineamentis: ergo non repræsentatur per visionem.

Prima pars minoris est clara, & secunda probatur.

Quod est simile obiecto in figura externa, & lineamentis est quadratum, triangulare, &c. atqui species impressa non est quadrata, triangularis, &c. ergo nec similis obiecto in figura externa, & lineamentis.

Minor probatur. Quod est quadratum, triangulare, &c. recipi non potest in oculo, & qualibet eius parte etiam exigua; atqui species impressa recipi potest in oculo, & qualibet eius parte: ergo non est quadrata, nec triangularis, &c.

Obiicies. Species percipiuntur à visu: ergo & à sensibus.

Antecedens pr. Species coloris receptæ in speculo, & in charta opposita foramini cubiculi obscuri percipiuntur à visu: ergo species impressæ percipiuntur à visu.

Ant. pr. Illud percipitur à visu, quod visus repræsentat in speculo, & in illa charta; atqui quod visus repræsentat in speculo,& in illa charta est species: ergo illæ percipiuntur à visu.

Minor pr. Quod visus repræsentat in speculo, & in illa charta est species, aut eius obiectum; atqui non est obiectum: ergo est species.

Minor pr. Visus non repræsentat in speculo, & in charta, quod in illis non est; atqui obiectum non est in speculo, neque in charta: ergo quod visus repræsentat in speculo non est obiectum.

Solutio: *Visus non repræsentat in speculo, & in charta, quod in illis non est, cùm illa non reflectunt species receptas*, Concedo. *si reflectant species acceptas*, Nego. atqui *obiectum non est in speculo, neque in charta, & speculum, & charta non reflectunt species, quas recipiunt ab obiecto*, Nego. *& illas reflectant*. Concedo.

Contrà. Obiectum quod non est in charta, & speculo non videtur in illis, etiam si illa reflectant species receptas: ergo nulla solutio.

Antecedens pr. Obiectum non potest videri in illis, nisi vel in ea parte, ex qua reflectuntur species, vel versus eam; atqui neutrum dici potest: ergo obiectum, quod non est in charta, & speculo non videtur in illis, etiam si illa reflectant species receptas.

Respondeo *debere videri versus illam partem à qua reflectuntur species.*

Contrà. Debet obiectum potiùs videri in parte, ex qua reflectuntur species, quàm versus illam; atqui ex concessis non videtur in parte, ex qua species reflectuntur: ergo nec versus illam.

Maior pr. Debet potius videri obiectum in parte, in qua sunt eius species, quàm in ea, in

qua non sunt; atqui sunt in parte, ex qua reflectuntur, non verò versus illam: ergo debet potius videri in parte, ex qua reflectuntur species, quàm versus illam.

Solutio: *Neganda est maior. Ratio est, quia species debet repræsentare non tantum obiectum, sed etiam eius propinquitatem, aut distantiam ab ipso speculo, quod non fieret si illud repræsentaret in parte in qua sunt species superficie, scilicet speculi, semper enim appareret æquè propinquum.*

SECTIO IV.

De sensibili communi.

PRIMA CONCLVSIO:

Numerus, figura, magnitudo, quies, & motus sunt sensibilia communia.

ILLVD est sensibile commune, quod percipitur plusquam ab vno sensu, & saltem à duobus; atqui numerus, figura, magnitudo, quies, & motus percipiuntur plusquam ab vno sensu, & saltem à duobus: ergo sunt sensibilia communia.

Minor pr. Visus, & tactus sunt duo sensus; atqui numerus, figura, magnitudo, quies, & motus percipiuntur à visu, & tactu: ergo & à duobus sensibus.

Minor probatur. Numerus est multitudo vni-

tatum, figura, conformatio externarum partium in rotundum, longum, &c. motus existentiæ rei modo in vno loco, modo in alio, quies; permanentia rei in eodem loco, & magnitudo positio partium extra partes; atqui multitudo vnitatum, conformatio partium in rotundum, longum, &c. existentia rei modo in vno loco, & deinde in alio, permanentia eiusdem in eodem loco, & positio partium extra partes percipiuntur à visu, & tactu: ergo & numerus, figura, magnitudo, quies, & motus.

Minor pr. Illud percipitur à visu, & tactu, de quo intellectus (visus tantum, & tactus sequens ductam) fert iudicium; atqui intellectus sequens tantum ductum visus, & tactus fert iudicium de multitudine vnitatum, de conformatione partium externarum in rotundum, longum, &c. de existentia rei modò in vno loco, & deinde in alio, de permanentia eiusdem in eodem loco, & positione partium eiusdem extra partes: ergo multitudo vnitatum, conformatio partium externarum in rotundum, longum, &c. existentia rei modò in vno loco, & deinde in alio, permanentia eiusdem in eodem loco, & positio partium extra partes percipiuntur à visu, & tactu.

Obiicies. Magnitudo, motus, numerus, quies, & figura non percipiuntur à pluribus sensibus: ergo non sunt sensibilia communia.

Minor pr. Sensus sunt visus, auditus, olfactus, gustus, & tactus; atqui magnitudo, figura, quies, motus, & numerus non percipiuntur à duobus ex istis: ergo nec à pluribus sensibus.

Prima pars minoris de magnitudine pr.

Magnitudo nihil est aliud, quàm quantitas, aut extensio localis coloris, saporis, odoris, aut tactilium qualitatum; atqui neque quantitas, neque extensio illa localis coloris, odoris, saporis, soni, & qualitatum tactilium, percipiuntur à duobus ex istis sensibus: ergo neque magnitudo.

Respondeo *extensionem localem illarum qualitatum percipi.*

Contrà. Extensio localis nihil est aliud, quàm vbi actuale coloris, saporis, odoris, &c. atqui vbi illud non percipitur à duobus ex istis sensibus: ergo nec extensio localis.

Minor de vbi coloris probatur.

Quod percipitur tantum à visu non percipitur à duobus ex istis sensibus; atqui vbi coloris percipitur tantùm à visu: ergo non percipitur à duobus ex istis sensibus.

Solutio: Atqui *vbi coloris percipitur tantum à visu, & illud non facit vnam moraliter extensionem cum vbi caloris, & saporis,* Nego. *& facit vnam extensionem moraliter cum illis,* Concedo.

Contrà. Non magis percipitur vbi coloris provt facit vnam moraliter extensionem cum vbi caloris, quàm ratio qualitatis secundæ in communi; atqui ratio qualitatis secundæ in communi non percipitur: ergo neque etiam vbi caloris provt facit vnam moraliter extensionem cum vbi coloris.

Minor pr. Ratio, quare dici possit potius percipi vbi coloris, provt facit moraliter vnam extensionem cum vbi caloris, quàm ratio qualita-

tis secundæ in communi est, quia illa vbi sunt vna extensio moraliter; atqui hæc ratio nulla est : ergo non magis percipitur vbi coloris, provt facit vnam extensionem moraliter cum vbi caloris, quàm ratio qualitatis secundæ in communi.

Minor pr. Percipi vbi coloris provt facit vnam moraliter extensionem cum vbi caloris, est percipi à pluribus sensibus aliquod vbi indeterminatè sumptum, hoc scilicet ab vno, & illud ab alio; atqui falsum est quòd hoc vbi percipiatur ab illo sensu, & illud ab alio : ergo hæc ratio nulla est.

Minor pr. Vbi coloris non percipitur ab vllo sensu : ergo hoc vbi non percipitur ab vno sensu, & illud ab alio.

Antecedens pr. Non magis percipitur vbi coloris quàm eius duratio; atqui duratio coloris non percipitur à sensu : ergo nec eius vbi.

Maior pr. Ideo tantum dici potest percipi vbicatio obiecti à sensu, quia debet per sensationem illius vbicationis determinari intellectus ad ferendum iudicium, vbinam res sit; atqui etiam per eandem determinari debet, quando obiectum sit : ergo non magis percipitur illud vbi, quàm duratio.

Minor pr. Debet determinari intellectus, quando obiectum sensatum sit, vel per sensationem vel per aliquid aliud; atqui non determinatur ad percipiendum, quando obiectum sit per vllum aliud, quàm per sensationem durationis obiecti : ergo determinatur per illam.

Minor pr. Illud aliud non potest esse nisi existentia sensationis; atqui existentia sensationis illum non determinat ad iudicandum quando

obiectum est : ergo non determinatur per vllum aliud.

Minor pr. Existentia sensationis non magis determinare potest intellectum ad ferendum iudicium, quando sit obiectum, quàm vbi sit; atqui existentia sensationis de obiecto non repræsentante eius vbicationem non determinat intellectum ad iudicandum, vbinam sit obiectum : ergo neque quando sit.

Solutio : *Neganda est maior. Ratio est, quia sensatio esse non potest, quin obiectum etiam sit, aut aliquid supplens eius vices, ac proinde, vt intellectus cognoscat obiectum existere, sufficit vt intellectus sciat esse sensationem illius obiecti. Cùm autem sensatio esse possit absque eo, quod obiectum sit in hoc loco. Potest enim esse in alio viciniori; aut remotiori, necessarium est vt hoc intellectus cognoscat, vt sensatio repræsentet propinquitatem illam, aut distantiam, quæ cum nihil aliud sit, quàm vbi debet etiam istud ab illa repræsentari.*

Secunda & tertia pars minoris superioris argumenti figuram, & quietem, non percipi à pluribus sensibus, probatur.

Figura, & quies non possunt percipi ab vllo sensu : ergo non percipiuntur à duobus ex illis.

Antecedens pr. Illud non potest percipi ab vllo sensu, quod non est quid positiuum; atqui figura, & quies non sunt quid positiuum : ergo non possunt percipi ab vllo sensu.

Minor pr. Figura, & quies sunt quid negatiuū; ergo figura, & quies non sunt quid positiuum.

Antecedens pr. Priuatio motus, & carentiæ partium superaddendarum sunt quid negatiuum,

atqui quies est priuatio motus, & figura carentia partium superaddendarum: ergo figura, & quies sunt quid negatiuum.

Solutio: *Quies est priuatio motus, & figura sumpta formaliter carentia partium superaddendarum*, Concedo. *materialiter sumpta*, Nego. ergo *figura, & quies formaliter sumpta sunt quid negatiuum*, Concedo. *materialiter sumpta*, Nego. *Ratio est, quia quies materialiter sumpta nihil est aliud, quàm permanentia rei sub eodem vbi, & figura partes rei, hoc aut illo modo vbicatæ, quæ duo vt patet, tam sunt positiua, quàm ipsa vbi cum quibus sunt idem.*

Quarta pars minoris superioris argumenti, motum non percipi à duobus, aut pluribus sensibus, probatur.

Quod constat partibus prioribus, & posterioribus non percipitur à duobus, aut pluribus sensibus; atqui motus constat partibus prioribus, & posterioribus: ergo non percipitur à duobus, aut pluribus sensibus.

Maior pr. Quod percipit id, quod habet partes priores, & posteriores percipit præteritum; sed præteritum non percipitur à duobus sensibus, imò nec ab vllo: ergo neque illud, quod constat partibus prioribus, & posterioribus.

Maior pr. Illud est præteritum, quod fuit & iam non est; atqui quod habet partes priores, & posteriores secundùm priores non est, sed fuit: ergo quod percipit id, quod habet partes priores, & posteriores percipit præteritum.

Solutio secundi argumenti istius probationis, *quod percipit partes priores, & posteriores simul*,

& per idem sui percipit præteritum, Concedo. *quod percipit successiuè , & per diuersam sensationem*, Nego. *& concessa minori* : ergo *quod percipit id, quod habet partes priores , & posteriores simul, & per idem sui percipit præteritum*, Concedo. *successiuè , & per diuersas sensationes sibi succedentes*, Nego. *Vnaquæque enim nihil aliud percipit, quàm præsens, quamuis cum existit secunda, præteritum sit quod prima percepit.*

Quinta pars minoris superioris argumenti , numerum non percipi à duobus, aut pluribus sensibus, probatur.

Numerns à nullo sensu percipitur : ergo non percipitur à duobus , aut pluribus .

Antecedens pr. Quod solus intellectus cognoscit non percipitur ab vllo sensu ; atqui numerus cognoscitur à solo intellectu : ergo à nullo sensu percipitur.

Minor pr. Numerus ab eo solo cognoscitur, cuius est numerare ; atqui solius intellectus est numerare : ergo numerus cognoscitur à solo intellectu.

Solutio : *Numerus formaliter sumptus cognoscitur ab eo solo , cuius est numerare*, Concedo. *materialiter sumptus* , Nego. *& concessa minori* : ergo *numerus formaliter sumptus cognoscitur à solo intellectu*, Concedo. *materialiter sumptus*, Nego. *Numerus materialiter sumptus est multitudo vnitatum, formaliter verò est non tantum illa multitudo, sed etiam proportio , quæ est omnium illarum vnitatum , cum singulis vnitatibus , & vnius cum omnibus. Primum percipitur à visu , tactu, &c. secundum à solo intellectu.*

Secvnda Conclvsio:

Senſibile commune non cognoſcitur per ſpeciem diſtinctam ab ſpecie ſenſibilis proprij.

Qvod habet ſpeciem communem cum alio non cognoſcitur per diſtinctam ſpeciem ab illo; atqui ſenſibile commune habet ſpeciem communem cum ſenſibili proprio: ergo non cognoſcitur per ſpeciem diſtinctam ab ſpecie ſenſibilis proprij.

Minor pr. Senſibile commune dicendum eſt potius habere ſpeciem communem cum ſenſibili proprio, quàm ſenſibile proprium cum alio ſenſibili proprio; atqui ſenſibile proprium habet communem ſpeciem cum alio ſenſibili proprio, ex concluſione nona ſectionis tertiæ: ergo & ſenſibile commune cum proprio.

Maior probatur. Quæ habent inter ſe maiorem dependentiam, & quorum vnum non ſentitur, quin ſentiatur etiam aliud, dicenda ſunt habere potius communem ſpeciem, quàm illa, quæ oppoſito modo ſe habent; atqui ſenſibile commune habet maiorem dependentiam à ſenſibili proprio, quàm aliud ſenſibile proprium, & ſenſibile commune non ſentitur ſine proprio: ergo ſenſibile commune dicendum eſt potius habere ſpeciem communem cum ſenſibili proprio, quàm ſenſibile proprium cum alio ſenſibili proprio.

Prima pars minoris probatur, & ſecunda de-

clarabitur per solutionem obiectionis.

Quod est modus alterius habet maiorem dependentiam ab eo, quàm quod non est eius modus; atqui sensibile commune est modus sensibilis proprij: ergo habet maiorem dependentiam ab eo, quàm aliud sensibile proprium.

Obiicies. Illud habet distinctam speciem ab alio, quod percipitur sine illo; atqui sensibile commune percipitur sine proprio: ergo sensibile commune habet distinctam speciem à proprio.

Minor pr. Figura est sensibile commune, & color sensibile proprium; atqui figura percipitur sine colore: ergo & sensibile commune sine proprio.

Ad probandam minorem, Supponunt, *corpus aliquod opacum rotundum destitutum omni colore poni inter oculum, & solem.*

In ea suppositione videtur figura illius corporis; atqui non videtur vllus eius color: ergo percipitur figura sine colore.

Solutio: Neganda est maior. Ratio est, quia tunc nihil videtur.

Contrà. Non minus tunc videtur aliquid, seu figura illius corporis opaci sine colore, quàm figura turris eminus positæ sine eiusdem colore; atqui videtur figura turris eminus positæ sine colore: ergo & figura illius corporis.

Maior pr. Non videtur color illius turris etiam si videatur eius figura: ergo non minùs tunc videtur figura illius corporis opaci sine colore, quã figura turris eminus positæ sine eiusdem colore.

Solutio: Negandum est antecedens. Color enim

illius turris verè videtur, obscurè tamen, & non ita distinctè, vt possit discerni, & cognosci quisnam sit, nigérne, an albus.

Contrà. Ex concessis non cognoscitur, & non videtur quisnam sit color, nigérne, an albus? ergo videtur figura sine colore.

Consequentia probatur. Non est difficilius videri figuram sine colore, quàm videri, & cognosci quænam sit figura non visa, & non cognita specie coloris, & an sit niger, an albus; atqui videtur, & cognoscitur quænam sit figura, & non videtur neque cognoscitur quisnam sit color albúsne, an niger? ergo videtur figura sine colore.

Solutio: Atqui *videtur, & cognoscitur quænam sit figura, & non videtur neque cognoscitur ex parte obiecti quisnam sit color, nigérne, an albus*, Nego. *ex parte actus*, Concedo. ergo *videtur figura sine colore, hoc est non visa colore ex parte obiecti*, Nego. *ex parte actus, seu non habetur illa cognitio de colore, per quam si non repræsentatur non possumus reddere rationem de distinctione coloris*, Concedo.

Contrà. Ex parte actus non cognoscitur quisnam sit color; atqui ex parte actus cognoscitur quænam sit figura: ergo ex parte actus cognoscitur figura sine colore.

Solutio: *Ex parte actus non cognoscitur quisnam sit color, hoc est non habetur illa cognitio per quam illud obiectum denominari solet talis coloris*, Concedo. *Hoc est, per illum actum non attingitur differentia illius coloris*, Nego. *& concessa minori: ergo ex parte actus cognoscitur figura sine colore, hoc est*

habetur actus, qui sufficit ad denominandum illud obiectum talis figuræ; non verò talis coloris, Concedo. *hoc est, habetur actus, qui attingat solam figuram, & non attingat colorem, neque eius differentiam,* Nego. *Actus enim ille, qui repræsentat figuram, repræsentat etiam ex parte obiecti colorem, & eius differentiam, quamuis obiectum egeat alia repræsentatione, vt dicatur habere talem colorem. Ratio autem cur actus, qui sufficit vt dicamus illud obiectum habere talem figuram, non sufficiat, vt dicamus esse in illo talem colorem, est, quia talis figura est quid latiùs patens tali colore. Potest enim esse cum diuerso, aut etiam contrario. Pauciora autem requiruntur ad formandas cognitiones rerum magis vniuersalium, quàm earum, quæ non habent tantam latitudinem, vt patet in animali, & rationali materia, & forma substantiali, & similibus. Cùm enim illæ non habeant tot explicanda, satis illis sunt cognitiones magis confusæ, quàm debeant esse illæ earum rerum, de quibus plura explicanda sunt.*

* * *

* *

SECTIO V.

De obiecto sensus externi, & quomodo se habeant ad inuicem.

PRIMA CONCLVSIO:

Obiectum sensus externi debet esse quid positiuum.

QVOD est causa efficiens sensationis debet esse quid positiuum; atqui obiectum sensus externi est causa efficiens sensationis ex conclusione vndecima sectionis tertiæ: ergo debet esse quid positiuum.

Maior pr. Causa efficiens rei positiuæ debet esse quid positiuum; atqui sensatio est res positiua: ergo causa efficiens sensationis debet esse quid positiuum.

Maior pr. Quod non est non potest esse causa efficiens eius, quod est; atqui quod non est quid positiuum non est, & quod est res positiua est: ergo causa efficiens rei positiuæ debet esse quid positiuum.

Obiicies. Illud est obiectum sensus externi, quod percipitur à sensu externo; atqui solum ens positiuum non percipitur à sensu externo: ergo obiectum sensus externi non debet esse semper quid positiuum.

Minor pr. Priuationes non sunt quid positiuum; atqui priuationes percipiuntur à sensu externo: ergo solum ens positiuum non percipitur à sensu externo.

Minor pr. Silentium, & tenebræ sunt priuationes; atqui silentium, & tenebræ percipiuntur à sensu externo: ergo & priuationes.

Minor pr. Percipiuntur ab auditu, & visu: ergo & à sensu externo.

Antecedens pr. Illud percipitur ab auditu, quod auditur, & à visu quod videtur; atqui silentium auditur ab auditu, & tenebræ videntur à visu: ergo percipiuntur ab auditu, & visu.

Minor pr. Illud auditur ab auditu, & videtur à visu, quod communis sensus dicit ab illis audiri, & videri; atqui communis sensus dicit de nocte silentium audiri, & videri tenebras: ergo silentium auditur ab auditu, & tenebræ videntur à visu.

Solutio: *Illud auditur ab auditu, & videtur à visu, quod communis sensus dicit ab illis audiri, & videri propria auditione, & visione*, Concedo. *impropria*, Nego. atqui *communis sensus dicit ab illis audiri silentium, & videri tenebras propria visione & auditione*, Nego. *impropria*, Concedo. *Audiri impropriè est non esse tunc temporis vllam visionem, neque auditionem, intellectúmque hoc cognoscere. Quare sensus phrasis illius vulgi quod audiatur silentium, & videantur tenebræ, est quod nullus sit sonus, qui formare possit auditionem, aut lumen quod efficere possit visionem, seu nullam planè à sono effici auditionem, neque à lumine visionem.*

SECVNDA CONCLVSIO:

Obiectum debet esse præsens, aut quasi præsens.

ILLVD debet esse præsens, aut quasi præsens, quod debet coëfficere sensationem; atqui obiectum sensus externi debet coëfficere sensationem: ergo & esse præsens, aut quasi præsens.

Maior pr. Præsens, aut quasi præsens est existens, aut habens aliud faciens, quod faceret ipsum si existeret; atqui quod coëfficit sensationem debet existere, aut habere aliud quod faciat, quod faceret ipsum si existeret: ergo illud debet esse præsens, aut quasi præsens, quod debet coëfficere sensationem.

Minor pr. Quod non est, efficere non potest sensationem: ergo quod coëfficit sensationem debet existere, aut habere aliud quod faciat quod faceret ipsum si existeret.

Obiicies in vltimam partem conclusionis. Non sufficit, vt obiectum sensationis sit quasi præsens: ergo debet esse verè, & realiter præsens.

Antecedens pr. Quod est tantùm quasi præsens potest non esse de facto existens; atqui obiectum sensationis non potest esse non existens de facto: ergo non sufficit, vt sit tantùm quasi præsens.

Minor pr. Obiectum cognitionis intuitiuæ non potest non esse de facto existens; atqui sensatio est cognitio intuitiua: ergo eius obiectum non potest esse de facto non existens.

Solutio: *Obiectum cognitionis intuitiuæ debet*

esse de facto existens realiter, vel intentionaliter, seu per speciem sui à se, vel ab alio productam, Concedo. *realiter semper, & physicè*, Nego. *& concessa minori*: ergo *eius obiectum non potest non esse de facto non existens realiter, vel intentionaliter, seu per speciem sui à se, vel ab alio productam*, Concedo. *realiter semper, & physicè*, Nego.

Contrà. Obiectum cognitionis intuitiuæ sensitiuæ debet esse realiter semper de facto existens: ergo nulla solutio.

Antecedens pr. Obiectum visionis debet esse semper de facto realiter existens: ergo & obiectum cognitionis intuitiuæ.

Antecedens pr. Obiectum visionis est color, & lumen; atqui color, & lumen cùm percipiuntur à visione semper sunt de facto realiter existentia: ergo obiectum visionis debet esse semper de facto realiter existens.

Minor pr. Nullus alius color conuenientiùs dici potest non esse de facto realiter existens cùm percipitur à visione, quàm color iridis, aut colli columbæ; atqui color iridis, & colli columbæ non possunt negari esse de facto realiter existentia: ergo color, & lumen cùm percipiuntur à visione semper realiter existunt.

Minor pr. Color iridis, & colli columbæ talis est, qualis repræsentatur à visione; atqui repræsentatur color de facto realiter existens: ergo realiter existit.

Maior pr. Non potest dici non esse talis, qualis repræsentatur à visione: ergo talis est, qualis ab ea repræsentatur.

Antecedens pr. Color, qui non est talis, qualis repræsentatur à visione, debet esse vel color aliquis singularis, vel color in communi; atqui color qui repræsentatur à visione in iride non est color in communi, neque color aliquis singularis: ergo est talis qualis repræsentatur à visione.

Solutio: *Color, qui non est talis qualis repræsentatur à visione, debet esse, vel color in communi, vel color aliquis singularis determinatè, vel indeterminatè sumptus,* Concedo. *determinatè tantùm sumptus,* Nego. atqui *color qui repræsentatur à visione in iride non est color in communi, neque color aliquis singularis determinatè sumptus,* Concedo. *indeterminatè sumptus,* Nego. *Color singularis determinatè sumptus est, hic numero A, v.g. indeterminatè verò sumptus est vel A, vel B, vel C, ita vt non distinguatur, nec discernatur primus à secundo, aut tertio, & dicatur tantum singularis, & indiuiduus, quia repræsentatur affectus conditionibus indiuiduantibus, seu alligantibus illum loco, tempori, figuræ, aut alicui huiusmodi, quod non conuenit rei perfectè vniuersali.*

Contrà. Quod repræsentatur à visione non est color sub vbi constituente eum in tali spatio: ergo color aliquis singularis indeterminatè sumptus non repræsentatur à visione.

Antecedens pr. Color sub vbi constituente eum in tali loco est quid vniuersale; atqui quod repræsentatur à visione non est quid vniuersale: ergo quod repræsentatur à visione, non est color sub vbi constituente eum in tali spatio.

Solutio: *Color sub vbi constituente eum in tali loco est quid vniuersale perfectè,* Nego. *imperfectè,*

Concedo. atqui *quod repræsentatur à visione non est quid vniuersale perfectè*, Concedo. *imperfectè aliquando*, Nego.

Contrà. Illud est vniuersale perfectè quod est verè, & reipsa commune multis; atqui color sub vbi constituente eum in tali loco, seu ipse, & eius vbi sunt verè communia multis: ergo color sub vbi constituente eum in tali loco est quid vniuersale perfectè.

Solutio: *Illud est vniuersale perfectè quod est verè commune multis, & præscindit ab existentia in tali loco, & tempore in repræsentatione*, Concedo. *si non præscindat, sed cum illa repræsentetur*, Nego. atqui *color sub vbi constituente illum in tali loco, seu ipse, & eius vbi, est quid commune multis, & præscindit ab existentia in tali loco, & tempore in repræsentatione*, Nego. *& non præscindit*, Concedo.

Contrà. Visio nullo modo repræsentat illud, quod verè est commune multis, etiamsi non præscindat ab existentia: ergo nulla solutio.

Antecedens pr. Quod est tantùm repræsentatiuum singularium nullo modo repræsentat vniuersale, seu id quod est commune multis, etiamsi non præscindat ab existentia; atqui visio, sicut & omnis alia operatio sensus ex Aristotele, est tantùm repræsentatiua singularium: ergo visio non repræsentat id quod est commune multis, etiamsi non præscindat ab existentia.

Solutio: *Quod est tantùm repræsentatiuum singularium verè, propriè, & in rigore, nullo modo repræsentat vniuersale, & id quod est commune multis*, Concedo. *singularium præcisè, quia repræsentatur in loco, & tempore*, Nego. atqui *visio est tantùm re-*

præsentatiua singularium verè, & propriè, Nego. *singularium, hoc est, semper cum alligatione ad locum, & tempus*, Concedo. *Aristotelem autem per singularia intelligere ea, quæ repræsentantur cum alligatione ad tempus, & locum, inde patet, quod ipse iis opposita, vniuersalia scilicet asserat passim esse æterna, immensa, incorruptibilia, & consequenter velit ea, quæ sunt in loco, aut tempore non esse vniuersalia saltem perfectè, qualia solus intellectus repræsentat, sed tantùm imperfectè, aut potiùs singularia, quæ sensatio potest repræsentare.*

Tertia Conclvsio:

Sensus errat aliquando circa sensibile proprium.

Illvd errat circa sensibile proprium, quod percipit illud coniunctum cum aliquo modo, aut circunstantia illi non conueniente; atqui sensus sæpè coniungit suum sensibile proprium cum aliquo modo, aut circumstantia illi non conueniente: ergo errat aliquando circa sensibile propriũ.

Minor pr. Color est obiectum proprium visus; atqui visus sæpè illum coniungit cum aliquo modo, aut circunstantia, quæ illi non conuenit: ergo & sensus suum sensibile proprium.

Minor probatur. Existentia, seu vbicatio colorum in nube est modus coloris; atqui visus sæpè illum coniungit cum illa existentia, & vbicatione illi non conueniente: ergo & cum modo, & circunstantia, quæ illi non conuenit.

Vltima pars minoris probatur.

Vbicatio, & exiſtentia in nube non conuenit illi, quod non eſt in nube; atqui color non eſt in nube: ergo vbicatio, & exiſtentia in nube non conuenit colori.

QVARTA CONCLVSIO:

Senſibile ſupra ſenſum poſitum aliquando ſentitur.

FERRVM candens eſt ſenſibile proprium tactus; atqui poſitum ſupra tactum ſentitur: ergo & ſenſibile poſitum ſupra ſenſum.

Minor probatur. Ferrum debet ſentiri à parte, cui eſt immediatum, vel ab alia remotiori; atqui potiùs debet dici ſentiri à parte, cui eſt immediatum, quàm ab alia remotiori: ergo poſitum ſupra tactum ſentitur.

Minor probatur. Ferrum candens ab illa parte debet dici ſentiri, quæ magis vritur, & vehementiorem habet calorem; atqui pars immediata ferro magis vritur, & vehementiorem habet calorem: ergo potiùs dici debet ſentiri à parte, cui eſt immediatum, quàm ab alia remotiori.

Maior probatur. Ab illa parte magis debet dici ſentiri, quæ magis dolet; atqui pars quæ magis vritur, & vehementiorem habet calorem, magis dolet: ergo ab illa parte dici debet ſentiri, quæ magis vritur; & vehementiorem habet calorem.

Sectio VI.

De Visu.

AEqvvm est, vt cùm visus sit perfectior auditu, olfactu, gustu, & tactu, ab ipso ordiamur, quæ disputanda nobis sunt de sensibus externis in particulari.

Prima Conclvsio:

Organum visus est tunica retina.

Illvd est organum visus in quo fit visio; atqui visio fit in tunica retina: ergo tunica retina est organum visus.

Minor pr. Visio fit in tunica retina, vel spiritibus animalibus, vel concursu neruorum opticorum, vel humore cristallino; atqui non fit in vllo ex postremis: ergo tantũ in primo, seu tunica retina.

Minor probatur. Visio non fit in parte inanimata, in eo quod non est ipsa existente, aut non sistit in se species, sed eas transmittit ad aliam partem; atqui spiritus animales non sunt animati, visio verè erat ex Vesalio in fure dissecto Patauij, in quo nullus erat concursus neruorum opticorum, & humor cristallinus non sistit in se species, sed eas transmittit ad tunicam retinam: ergo visio non fit in spiritibus animalibus, concursu neruorum opticorum, aut humore cristallino.

Prima pars minoris probatur.

Spiritus animales sunt sanguis, aut si diuersi ab illo minùs idonei ad vitam propter suam fluxibilitatem,& instabilitatem, quàm ille; atqui sanguis non est animatus: ergo nec spiritus animales.

Secunda pars de concursu neruorum opticorum patet, & tertia de humore crystallino probatur.

Quod est totum diaphanum non sistit in se species, sed eas transmittit ad alias partes; atqui humor crystallinus est totus diaphanus, vt patet in dissectione: ergo non sistit in se species, sed eas transmittit ad alias partes.

Obiicitur. Visio dici non potest fieri in tunica retina, quin admittatur duplex pro duplicitate tunicę retinæ; atqui admitti non debet duplex visio: ergo nec dici fieri in tunica retina.

Minor pr. Admitti non potest duplex visio eiusdem obiecti, quin illud videatur duplex; atqui idem obiectum non videtur duplex: ergo & admitti non debet duplex visio.

Solutio: *Admitti non debet duplex visio, quin obiectum videatur duplex, si per vtramque non videatur eodem modo, & per eandem lineam ac situm*, Concedo. *si videatur eodem modo, & per eandem lineam ac situm*, Nego. atqui *non videtur duplex, propterea quod videatur eodem modo, & per eandem lineam ac situm*, Concedo. *si videretur diuerso modo, & per diuersam lineam ac situm*, Nego. *Ratio quare obiectum duplici visione non repræsentetur aliter quàm si esset tantùm vnica, est quia vtraque tendit in obiectum per eandem lineam, quo non seruato, vt cum depresso vno oculo*

oculo attollitur alter, obiectum apparet, & repræsentatur duplex.

Secunda Conclusio:

Visio non fit per extramissionem.

Ocvlvs, vt eliciat visionem nihil extra se mittit: ergo visio non fit per extramissionem.

Minor pr. Oculus nihil aliud emittere potest, cùm elicit visionem, quàm lumen, aut spiritus animales; atqui non emittit neque lumen, neque spiritus animales: ergo nihil extra se mittit.

Prima pars minoris probatur.

Illud oculus non emittit, ad quod emittendum non habet vim; atqui oculus non habet vim ad emittendum lumen: ergo non emittit lumen.

Minor probatur. Oculus non potest dici habere vim emittendi lumen nisi de nocte, vel de die; atqui non habet vim emittendi lumen neque de nocte, neque de die: ergo non habet vim emittendi lumen.

Prima pars minoris probatur.

Oculus non potest habere vim emittendi lumen de nocte, nisi vel vsque ad obiectum, quod videt; vel tantùm prope se; atqui non habet vim emittendi lumen, neque vsque ad obiectum, neque prope se: ergo non habet vim emittendi lumen de nocte.

Minor probatur. Lumen emissum vsque ad obiectum, aut etiam prope se, illuminaret ea, quæ sunt illi propinqua; atqui ea non illuminat: ergo non habet vim emittendi lumen, neque vsque ad obiectum, neque prope se.

Minor probatur. Quæ sunt prope oculum illuminata videntur ab ipso; atqui ea, quæ sunt prope oculum non videntur ab ipso de nocte: ergo non illuminat illa.

Secunda pars minoris argumenti superioris, non emittere lumen de die, probatur.

Oculus non debet dici magis emittere lumen de die, quàm de nocte; atqui non emittit de nocte: ergo neque de die.

Maior probatur. Æqualis requiritur virtus ad minus, vt emittatur lumen ab oculo de die, quàm de nocte: ergo non debet dici magis emittere de die quàm de nocte.

Antecedens pr. Tunc æqualis requiritur virtus ad emittendum lumen de nocte, quàm de die, cùm potentia non est fortior, neque subiectum magis idoneum ad illud recipiendum; atqui de die oculus non est fortior, neque subiectum magis idoneum ad illius receptionem: ergo æqualis requiritur in oculo ad emittendum lumen de die ac nocte.

Minor pr. Medium est aër illuminatus: atqui aër illuminatus non est magis aptus, quàm non illuminatus: ergo medium non est magis aptum.

Minor pr. Adueniens lumen non confert maiorem vim ad recipiendum lumen subsequens: ergo aër illuminatus non est magis aptus.

Secunda pars minoris argumenti superioris, oculum non emittere spiritus animales, pr.

Oculus non debet dici magis emittere spiritus animales ad videndum vnum obiectum, quàm ad videnda alia; atqui non emittit spiritus animales ad omnia obiecta, quæ videt: ergo vt eli-

ciat visionem non mittit extra se spiritus animales.

Minor pr. Oculus emittere non potest plures spiritus animales, quàm habeat, neque immensos sine magna defatigatione; atqui plures sunt spiritus animales, qui emitti dicuntur ad plura obiecta, quàm sint in oculo, qui non defatigatur in visione multorum obiectorum: ergo non emittit spiritus animales ad omnia obiecta, quæ videt.

Minor pr. Spiritus animales correspondentes partibus solis, lunæ, stellarum, & aliorum obiectorum, quæ sunt intermedia, sunt longè plures quàm sunt in oculo; atqui tot emitti dicuntur cùm illa videntur: ergo plures emitti dicuntur spiritus animales quàm sint in oculo.

Minor pr. Emitti dicuntur spiritus animales ad ea omnia, quæ videntur; atqui partes omnes solis, lunæ, &c. videntur: ergo tot emitti dicuntur, cùm illa videntur, quot sunt partes solis, lunæ, stellarum, & aliorum obiectorum, quæ sunt intermedia.

Obiicies. Eo modo fit visio, quo requiritur vt percipi possit distantia obiecti, & eius magnitudo; atqui vt percipi possit obiecti distantia, & eius magnitudo, fieri debet aliqua emissio ab oculo: ergo visio fit per extramissionem.

Minor pr. Percipi non potest distantia obiecti, & eiusdem magnitudo, quin oculus illam metiatur; atqui oculus non potest eam metiri nisi aliquid emittat extra se: ergo vt percipi possit distantia obiecti, & magnitudo fieri debet aliqua emissio ab oculo.

Maior pr. Oculus non poteſt percipere diſtantiam obiecti, niſi illam metiatur, vel aliqua alia ratione de illa fiat certus; atqui non fit certus de ea vlla alia ratione: ergo illam debet metiri.

Minor pr. Oculus non poteſt vlla alia ratione de illa fieri certus, quàm per receptionem ſpeciei obiecti, quod videt, aut aliorum, quæ interponuntur inter ipſum, & oculum; atqui non fit certus de diſtantia obiecti, neque per receptionem ſpeciei obiecti, quod videt, neque per receptionem ſpecierum eorum quæ interponuntur: ergo non fit certus de ea vlla alia ratione.

Minor pr. Receptio ſpeciei obiecti viſi, & aliorum interceptorum non ſufficit, vt oculus ſit certus de diſtantia obiecti: ergo non fit de ea certus per receptionem ſpeciei, aut interpoſitorum.

Antecedens pr. Illud non ſufficit, vt oculus ſit certus de diſtantia obiecti, per quod non explicatur ſufficienter, quomodo habeat ſphæram determinatam actiuitatis, & defatigetur in videndo; atqui per receptionem ſpeciei obiecti quod videt, & eorum, quæ interponuntur, non explitur ſufficienter, quomodo oculus habeat ſphæram determinatam actiuitatis, & defatigetur in videndo: ergo receptio ſpeciei obiecti viſi, & aliorum interceptorum non ſufficit, vt oculus ſit certus de diſtantia obiecti.

Prima pars minoris probatur.

Illud non ſufficit, vt explicetur quomodo oculus habeat ſphæram determinatam actiuitatis, per quod habere non poteſt modò maiorem, modo minorem, ſed ſemper æqualem; atqui receptio ſpecierum facit, vt oculus habere non poſſit

modò maiorem, modò minorem sphæram actiuitatis, sed semper eandem : ergo per receptionem speciei non habet sphæram determinatam.

Minor pr. Quod facit vt oculus agat tantum in se facit, vt oculus habeat semper eandem sphæram actiuitatis ; atqui receptio speciei facit, vt oculus semper agat in se, & nihil extra : ergo facit, vt habeat semper eandem.

Solutio : *Quod facit vt oculus agat tantùm in se facit, vt oculus habeat semper eandem sphæram actiuitatis, quoad productionem speciei expressæ, seu visionis,* Concedo. *quoad repræsentationem obiecti in æquali distantia*, Nego. *& concessa minori : ergo receptio speciei facit, vt oculus habeat semper eandem sphæram actiuitatis, quoad productionem speciei expressæ*, Concedo. *quoad repræsentationem obiecti in æquali distantia*, Nego. *Quia licèt visio semper producatur intra oculum, & non extra, quæ tamen producitur ab vno oculo repræsentat obiectum suum in maiori distantia, quàm repræsentare possit alia ab alio oculo, aut ab eodem in diuersis circunstantiis.*

Secunda pars minoris argumenti superioris, receptionem speciei facere, vt oculus non defatigetur in videndo, probatur.

Oculus per illud non defatigatur, per quod nihil agit extra se; atqui receptio speciei non facit, vt aliquid extra se agat : ergo per receptionem speciei non explicatur quomodo defatigetur oculus in videndo.

Maior pr. Oculus non potest defatigari, nisi per consumptionem spirituum ; atqui quando oculus non agit extra se, non consumuntur spiritus :

ergo per illud non defatigatur oculus, per quod nihil agit extra se.

Minor probatur. Per actionem immanentem non consumuntur spiritus; atqui quando oculus non agit extra se, actio eius est immanens: ergo quando oculus non agit extra se, non consumuntur spiritus.

Solutio: *Neganda est maior. Ratio est, quia spiritus consumuntur per omnem illam actionem, ad quam necessarii sunt, & verè concurrunt. Concurrunt autem, & necessarii sunt non tantum ad actionem transeuntem, sed etiam ad immanentem, vnde in vtraque, & per vtramque consumuntur.*

TERTIA CONCLVSIO:

Lux, seu lumen est accidens de genere qualitatis.

LVX debet esse necessariò substantia, vel accidens de genere quantitatis, vbi, quando, situs, actionis, passionis, relationis, aut habitus, vel quantitatis; atqui non est vllum ex primis: ergo est accidens de genere qualitatis.

Prima pars minoris probatur.

Omnis substantia est spiritalis, vel corporea; atqui lumen non est substantia, neque spiritalis, neque corporea: ergo non est substantia.

Respondent *esse corpoream.*

Contrà. Substantia corporea est vel completa ex materia, & forma, vel incompleta materia sci-

licet, vel forma; atqui lumen non est substantia completa ex materia, & forma, neque incompleta materia scilicet, vel forma: ergo non est substantia corporea.

Maior probatur. Substantia completa non potest esse in eodem spatio, cum alia substantia completa; atqui lumen est in eodem spatio cum alia substantia completa: ergo lumen non est substantia completa ex materia, & forma.

Minor pr. Vitrum, crystallus, charta, &c. sunt substantiæ completæ ex materia, & forma; atqui lumen est in eodem spatio cum illis: ergo lumen est in eodem spatio cum alia substantia completa.

Secunda pars minoris, non esse substantiam incompletam, formam scilicet substantialem, probatur.

Lumen, quod dicitur esse forma substantialis, vel deuehit secum suam materiam, vel ea caret; atqui neutrum dici potest: ergo lumen non potest dici forma substantialis.

Prima pars minoris probatur.

Quod deuehit secum materiam non potest esse in eodem spatio cum vitro, crystallo, &c. atqui lumen est in eodem spatio cum vitro, crystallo, &c. ergo non deuehit secum suam materiam.

Secunda pars minoris, non carere sua materia, probatur.

Forma substantialis corporea non conseruatur separata à materia; atqui lumen est forma corporea: ergo non conseruatur separatum à materia.

Reliquæ partes minoris primi argumenti, in-

probationem conclusionis, probantur.

Lumen non est radix impenetrabilitatis, respectus vnius ad aliud, dependentia effectus à causa efficiente, aut subiectiua, forma constitutiua rei in tempore, aut loco simpliciter, aut cum aliqua coordinatione, & coaptatio vestis cum re vestita: ergo lumen non est quantitas, relatio, actio, passio, duratio, vbicatio, situs, aut habitus, & consequenter debet dici qualitas.

Veritas antecedentis patet ex penetratione terminorum.

QVARTA CONCLVSIO:

Lumen est eiusdem speciei in quocunque subiecto reperiatur.

ILLA sunt eiusdem speciei, quæ se mutuò intendunt; atqui lumina cuiuscunque tandem sint subiecti se mutuò intendunt: ergo sunt eiusdem speciei.

Minor pr. Subiecta, in quibus reperitur lumen, sunt vel astra, vel elementa, vel corpora mixta; atqui lumina astrorum, elementorum, & mixtorum se mutuò intendunt: ergo & lumina cuiuscunque tandem sint subiecti.

Minor pr. Luna, & stellæ sunt astra, ignis facis elementum, & carbunculus mixtum; atqui lumen remissum Lunæ, & stellarum in aëre de nocte augetur à lumine facis, & carbunculi aut adamantis: ergo lumina astrorum, elementorum, & mixtorum se mutuò intendunt.

Minorem certam facit experientia.

Obiicies. Lumini vnius subiecti conuenit aliquid commune intrinsecum, quod non conuenit alteri: ergo lumen non est eiusdem speciei in quocunque subiecto reperiatur.

Minor pr. Sol, astra, & Nitedula sunt diuersa subiecta; atqui lumini Solis conuenit aliquid commune intrinsecum, quod non conuenit lumini astrorum, & Nitedulæ: ergo lumini vnius subiecti conuenit aliquid commune intrinsecum, quod non conuenit alteri.

Minor pr. Esse productiuum caloris est aliquid commune intrinsecum lumini Solis, sicut & videri cum quocunque colore; atqui primum ex illis non conuenit lumini astrorum, & secundum lumini Nitedulæ: ergo conuenit aliquid lumini Solis, quod non conuenit lumini astrorum, & Nitedulæ.

Prima pars antecedentis probatur.

Illi non conuenit esse productiuum caloris, quod est productiuum frigoris; atqui lumina astrorum, Saturni v. g. & Lunæ sunt productiua frigoris: ergo illis non conuenit esse productiua caloris.

Solutio: Atqui *lumina, Saturni v. g. & Lunæ coniuncta agentibus frigefactiuis sunt productiua frigoris*, Concedo. *coniuncta agentibus calefactiuis, vt est lumen Solis ferè semper*, Nego. *Tam benè enim tunc calefaciunt, ac lumen Solis, vt patet ex simili lumine suo, illo scilicet, quod producunt in subiectis calefactiuis cum quibus istud verè producit calorem.*

Secunda pars minoris superioris argumenti, lumen Nitedulæ non videri cum colore, pr.

Illi non conuenit videri cum colore, quod non videtur cùm videtur color; atqui lumen Nitedulæ non videtur cùm videtur eius color: ergo lumini Nitedulæ non conuenit videri cum colore.

Solutio.: *Illud lumen non videtur cum colore, quod non videtur, cùm videtur color si colori non applicetur maius lumen*, Concedo. *si applicetur maius lumen, quod præoccupet potentiam, quemadmodum facit lux Solis comparata cum luce stellarum, quam impedit ne videamus de die*, Nego. atqui *lumen Nitedulæ non videtur cùm videtur eius color, & hunc tunc temporis applicatur maius lumen, quod præoccupat potentiam*, Concedo. *& non applicatur maius lumen*, Nego. *Cùm lumen Nitedulæ videtur de nocte, & non videtur eius color, non tantum non applicatur eius colori maius lumen, sed nec proprium lumen ipsius Nitedulæ. Cum enim lumen illud sit in aliquo humore pellucido intra Nitedulam illustrare non potest propter opacitatem cutis colorem eius subuiridem, & efficere, vt videatur, quo tempore ipsum, quia potentia visiua non præoccupatur ab alio maiori lumine, potest facilè videri.*

QVINTA CONCLVSIO.

Lumen videri potest sine colore.

ILLVD videri potest sine colore, quod percipitur à visu non percepto colore; atqui lumen percipitur à visu non percepto colore: ergo videri potest sine colore.

Minor pr. Lumen Nitedulæ percipitur à visu

non percepto vllo colore: ergo lumen percipitur à visu non percepto colore.

Antecedens probatur. Tunc color non percipitur à visu, cùm intellectus consequenter ad visionem ab eo elicitam reddere non potest rationem de vllo colore; atqui cùm percipitur lumen Nitedulæ à visu, intellectus reddere non potest rationem de vllo colore: ergo lumen Nitedulæ percipitur à visu non percepto vllo colore.

SEXTA CONCLVSIO:

Vt color videatur requiritur lumen in ipso obiecto tantùm.

LVMEN requiri non potest, vt color videatur nisi vel in obiecto, vel in potentia, vel in medio; atqui non requiritur in duobus vltimis: ergo requiritur tantum in ipso obiecto.

Minor pr. Illud non requiritur, vt color videatur, sine quo de facto videtur; atqui color videtur sine lumine in potentia, & in medio: ergo non requiritur in potentia, & in medio.

Vt probetur minor, Suppono *accendi facem prope obiectum coloratum media nocte, & illud distare à nobis quatuor, aut quinque leucis, & hoc posito sic argumentor.*

In illa suppositione nullum est lumen in potentia, neque in medio; atqui videtur color illius obiecti: ergo color videtur sine lumine in potentia, & in medio.

Maior pr. Non potest esse lumen in potentia, & in medio vicino potentiæ, quin eo vsque pro-

tendat lumen suum fax illa accensa; atqui eo vsque fax lumen suum non protendit: ergo in illa suppositione nullum est lumen in potentia, & in medio.

Minor pr. Lumen illius facis ea proportione decrescit in partibus ab ipsa remotioribus, qua in propinquioribus; atqui decrescens ea proportione in remotioribus, qua in propinquioribus, protendi non potest vsque ad potentiam, aut medium ipsi vicinum: ergo fax illa accensa eo vsque non protendit suum lumen.

Minor pr. Intra quindecim, aut 20. passus decrescit parte valdè notabili; atqui decrescens similibus partibus in spatiis remotioribus protendi non potest vsque ad potentiam, aut medium ipsi vicinum: ergo decrescens ea proportione in partibus remotioribus, qua in propinquioribus, protendi non potest vsque ad potentiam, aut medium ipsi vicinum.

Minor pr. Vt lumen decrescens similibus partibus in spatiis remotioribus protendi possit vsque ad potentiam, aut medium ipsi vicinum, debet in eo esse tantus numerus partium notabilium, quantus est 20. passuum in illis leucis; atqui non est tantus numerus partium notabilium illius luminis, quantus est 20. passuum in illis leucis: ergo lumen decrescens similibus partibus in spatiis remotioribus protendi non potest vsque ad potentiam, aut medium ipsi vicinum.

Minor pr. Numerus 20. passuum est plusquam centenarius; atqui numerus partium notabilium luminis non est centenarius: ergo numerus partium notabilium luminis non est tantus, quan-

tus est numerus 20. passuum.

Minor pr. Pars illa notabilis, quæ decrescit primis 20. passibus est maior ea, quæ requiritur vt quis legere possit; atqui numerus partium necessariarum, vt quis legere possit, non est centenarius: ergo numerus partium notabilium non est centenarius.

Minor pr. Pars necessaria luminis, vt quis legere possit, est minimùm ternarius, aut quaternarius graduum luminis; atqui in illo lumine facis non est centenarius ternariorum, aut quaternariorum graduum luminis: ergo numerus partium necessariarum, vt quis legere possit non est centenarius.

Minor pr. In eo non est centenarius ternariorum graduum luminis, in quo sunt tantùm octo gradus; atqui in lumine facis sunt tantùm octo gradus: ergo in eo non est centenarius ternariorum, aut quaternariorum graduum luminis.

Atque ex hac probatione facile est inferre lumen quocunque modo temperatum non esse speciem coloris. Hæc enim debet esse in oculo cùm elicitur visio, illud autem potest abesse, vt ostensum est.

Obiicies. Illud videtur sine lumine, quod videtur etiam, cùm non illuminatur; atqui color cùm non illuminatur videtur: ergo non requiritur in ipso lumen, vt videatur.

Minor pr. Color cùm est in mediis tenebris non illuminatur; atqui color videtur in mediis tenebris: ergo cùm non illuminatur videtur.

Minor pr. Mures habent verum colorem; atqui in mediis tenebris videntur à fele: ergo & color.

Minor pr. Intra cubiculum benè clausum de nocte sunt veræ tenebræ; atqui intra illud feles vident mures: ergo & in mediis tenebris.

Solutio: Atqui *intra illud mures videntur à fele, non illustrati lumine emisso ab oculis felis*, Nego. *illustrati lumine emisso ab oculis felis*, Concedo. *& eodem modo distinguendum est consequens.*

Contrà. Nullum emittitur lumen ab oculis felis: ergo nulla solutio.

Antecedens pr. Vt oculi felis emittant lumen debent esse lucidi; atqui non sunt lucidi: ergo non emittunt lumen.

Solutio: *Neganda est minor. Ratio est, quia in mediis tenebris apparent quasi duo carbunculi, ita ut sæpè incutiant timorem meticulosis.*

SEPTIMA CONCLVSIO:

Color est qualitas distincta à lumine.

PRIMA *pars facilis est, & secunda probatur.* Illa distinguuntur, quorum vno existente non existit aliud; atqui non existente lumine existunt colores: ergo color distinguitur à lumine.

Minor pr. De nocte non existit lumen; atqui de nocte existunt colores: ergo non existente lumine existunt colores.

Respondent: *existunt colores inadæquatè sumpti*, Concedo. *adæquatè sumpti*, Nego.

Contrà. Illud inadęquatè sumptum colorum non potest dici esse aliud, quàm temperamentum corporis, in quod deinde incidit lumen; atqui illud temperamentum non potest dici color etiam in-

adæquatè: ergo non existunt colores etiam inadæquatè sumpti.

Minor pr. Quod est idem cum illo temperamento eo mutato debet mutari; atqui non mutatur color vllo modo, mutato illo temperamento: ergo illud temperamentum non potest dici color etiam inadæquatè.

Minor pr. Cùm temperamentum de calido fit frigidum, aut de frigido calidum mutatur; atqui tunc non mutatur color vllo modo: ergo non mutatur color mutato temperamento.

Obiicies. Non potest esse alia necessitas distinguendi colorem à lumine, quàm quod lumen efficere non possit visionem coloris; atqui efficere potest: ergo color non est distinctus à lumine.

Minor pr. Non minùs quodlibet lumen efficere potest visionem coloris, quàm illud Solis receptum in nube rorida; atqui lumen Solis receptum in nube rorida efficit visionem coloris: ergo & quodlibet aliud.

Maior pr. Ideo lumen Solis efficit visionem coloris, quia subiectum, in quo recipitur est diuersimodè dispositum; atqui substantiæ in quibus alia lumina recipiuntur sunt etiam diuersimodè disposita: ergo non minùs quodlibet aliud lumen efficere potest visionem coloris, quàm illud Solis receptum in nube rorida.

Solutio: *Ideo lumen Solis efficit visionem coloris, quia subiectum in quo recipitur est diuersimodè dispositum, & in eo lumen est diuersimodè opacatum illúdque corpus certo modo diaphanum,* Concedo. *quia præcisè est diuersimodè dispositum,* Nego. atqui *substantiæ in quibus alia lumina recipiuntur*

sunt etiam diuersimodè disposita,& in iis lumen diuersimodè opacatum, ipsaque certo modo diaphana, Nego. *& lumen in iis non est diuersimodè opacatum,& ipsa non sunt certo modo diaphana,* Concedo.

OCTAVA CONCLVSIO:

Causa adaquata coloris non est qualibet mixtio primarum qualitatum.

IN humore cryſtallino, cryſtallo,& vitro puro eſt vera mixtio primarum qualitatum; atqui illa non eſt cauſa coloris: ergo cauſa adæquata coloris non eſt quælibet mixtio primarum qualitatum.

Minor pr. Illa mixtio non eſt cauſa coloris,quę non producit colorem ; atqui mixtio primarum qualitatum humoris cryſtallini, cryſtalli, & vitri non producit colorem : ergo non eſt cauſa coloris.

Minor pr. Illa mixtio primarum qualitatum non producit colorem,quæ non facit, vt ipſius ſubiectum ſit coloratum,atqui mixtio primarum qualitatum humoris cryſtallini,cryſtalli,& vitri non facit,vt iſta ſint colorata : ergo non producit colorem.

NONA CONCLVSIO:

Subiectum coloris non est omne mixtum.

HVMOR cryſtallinus eſt mixtum ; atqui humor cryſtallinus non eſt ſubiectum coloris : ergo nec omne mixtum.

Minor pr. Illud non est subiectum coloris, quod non est coloratum; atqui humor crystallinus non est coloratus: ergo non est subiectum coloris.

Minor pr. Illud non est coloratum, in quo nullus percipitur color à visu; atqui nullus percipitur color in humore crystallino à visu: ergo humor crystallinus non est coloratus.

Minor pr. Omnis color est albus, niger, rubens, &c. atqui nullus ex istis percipitur in humore crystallino: ergo nullus planè percipitur.

Minor patet experientia.

SECTIO VII.

De Auditu.

PRIMA CONCLVSIO:

Tympanum est organum auditus.

ILLVD est organum auditus, in quo fit auditio; atqui auditio fit in tympano: ergo tympanum est organum auditus.

Minor pr. Auditio fit in officulis, aëre congenito, neruo auditorio, aut tympano; sed non fit in aëre congenito, neruo auditorio, nec officulis: ergo fit in tympano.

Minor pr. Debet dari ratio cur cùm tympanum est crassius nulla fiat auditio; atqui ex suppositione, quòd auditio fiat in officulis, aëre congenito, aut neruo auditorio, non potest dari ratio huius rei: ergo auditio non fit in aëre congenito, neruo auditorio, aut officulis.

Minor pr. Ratio, cur nulla fiat auditio, cùm tympanum est crassius, non potest esse alia, quàm quod in organo auditus recipi non possint species soni; atqui licèt tympanum sit crassius recipi possunt species soni in ossiculis, aëre congenito, & neruo auditorio: ergo ex suppositione, quòd auditio fiat in ossiculis, aëre congenito, aut neruo auditorio non potest dari ratio huius rei.

Minor pr. In ossiculis, aëre congenito, & neruo auditorio recipi possunt species soni cùm datur via non impedita per corpus opacum à sono ad ipsa; atqui licèt tympanum sit crassius, datur via non impedita à sono ad ipsa: ergo licèt tympanum sit crassius, recipi possunt species in ossiculis, aëre congenito, aut neruo auditorio.

Minor pr. Os apertum est via non impedita à sono edito ante os ad illa; atqui os potest esse apertum cùm sit sonus ante ipsum licèt tympanum sit crassius: ergo licèt tympanum sit crassius, datur via non impedita à sono ad ossicula, aërem congenitum & neruum auditorium.

Obiicies. In tympano non fit auditio: ergo tympanum non est organum auditus.

Minor pr. Illud, in quo fit auditio assimilari debet medio deferenti species soni ex Aristotele; atqui tympanum ei non est simile: ergo in tympano non fit auditio.

Minor pr. Medium deferens species soni est aër; sed tympanum non est simile aëri: ergo nec medio deferenti species.

Solutio: atqui *tympanum non est simile aëri intentionaliter*, Nego. *physicè*, Concedo. ergo *tympanum non est simile medio deferenti species soni simi-*

litudine physica. Concedo. *similitudini intentionali*, Nego. *Assimilatio illa intentionalis consistit in eo, quod, sicut aër est subiectum specierum soni, quæ sunt formæ intentionales, ita etiam & sit tympanum earundem causa materialis.*

SECVNDA CONCLVSIO:

Obiectum proprium, & adæquatum auditus est sonus.

ILLVD est obiectum proprium, & adæquatum auditus quod verè percipitur à solo auditu, & quidem tantùm; atqui sonus percipitur à solo auditu, & quidem tantùm: ergo sonus est obiectum proprium, & adæquatum auditus.

Secunda pars minoris clara est & prima pr.

Illud percipitur à solo auditu, quod ipse percipit, & nullus alius sensus percipit; atqui auditus percipit sonum, & nullus alius sensus illum percipit: ergo solus auditus illum percipit.

Minor pr Visus, olfactus, gustus, & tactus non percipiunt sonum: ergo nullus alius sensus illum percipit.

Ant. pr. Illi sensus dicendi non sunt percipere sonum, quibus benè habentibus si malè habeat auditus nihil audimus; atqui benè habentibus visu, gustu, olfactu, & tactu, si malè se habeat auditus nihil audimus: ergo visus, olfactus, gustus, & tactus non percipiunt sonum.

TERTIA CONCLVSIO:

Sonus successiuè fit.

ILLVD fit successiuè, cuius actio productiua est necessariò coniuncta cum motu; atqui actio productiua soni est necessariò coniuncta cum motu: ergo sonus fit successiuè.

Minor pr. Collisio corporum sonantium est motus; atqui actio productiua soni est coniuncta necessariò cum collisione corporum sonantium: ergo & cum motu.

Minor pr. Illud est necessariò coniunctum cum collisione corporum, quod non fit sine illa; atqui sonus non fit sine collisione corporum sonantium: erga est necessariò coniunctus cum illa. *Experientia probat minorem.*

QVARTA CONCLVSIO:

Sonus est permanens in esse.

ILLVD est permanens in esse, quod non destruitur statim, ac est productum; atqui sonus non destruitur statim, ac est productus: ergo sonus est permanens in esse.

Minor pr. Illud non destruitur statim, ac est productum, quod coexistit tempori succedenti illi, in quo fuit productum; atqui sonus coëxistit tempori succedenti illi, in quo fuit productus: ergo non destruitur statim, ac est productus.

Minor pr. Sonus non destruitur quamdiu auditur; atqui sonus auditur in tempore succedente illi, in quo fuit productus: ergo sonus coëxistit tempori succedenti illi, in quo fuit productus.

Minor. pr. Sonus cædentis ligna auditur verè in tempore succedente, illi, in quo fuit productus: ergo & sonus.

Ant. probatur. Sonus, qui auditur posteriùs ab aliquibus auditur in tempore succedente illi, in quo fuit productus; atqui sonus cædentis ligna auditur posteriùs à remotioribus: ergo & in tempore succedente illi, in quo fuit productus.

Obiicies. Sonus destruitur statim, ac est productus: ergo non est permanens in esse.

Ant. pr. Illud destruitur statim, ac est productum, cuius cùm vna pars producitur, alia desinit; atqui cùm producitur secunda pars soni, prima desinit: ergo sonus destruitur statim, ac est productus.

Minor probatur. Partes soni sunt prima syllaba, secunda, tertia, &c. atqui cùm secunda producitur, prima perit, & cùm tertia producitur, secunda etiam perit; ergo cùm producitur secunda pars soni, prima perit.

Minor probatur. Illa syllaba soni desinit, quæ non auditur; atqui cùm producitur secunda syllaba prima non auditur, neque secunda, cùm tertia incipit audiri: ergo cùm secunda producitur prima perit.

Maior pr. Sonus quandiu est auditur: ergo illa syllaba soni desinit, quæ non auditur.

Ant. probatur. Causa necessaria necessariò agit; atqui sonus est causa necessaria auditionis:

ergo quandiu est auditur.

Solutio : *Causa necessaria necessariò agit positis omnibus ad agendum requisitis*, Concedo. *deficiente aliquo*, Nego. atqui *sonus est causa necessaria auditionis, & habet quandiu est omnia requisita ad agendum*, Nego. *& non habet*, Concedo. *Quod illi deest est vis actiua, quippe qui illam non habeat nisi cùm primò producitur : alioquin quæ dicimus secretò, & ad aurem sæpius manifestarentur, si nimirum quis accederet ad locum, in quo sumus collocuti.*

Contrà. Sonus ex probatione conclusionis auditur in tempore succedente illi, in quo fuit productus: ergo non auditur tantùm cùm primò producitur.

Solutio : *Sonus auditur in tempore succedente illi, in quo fuit productus intra terminos sphæræ, quæ illi debetur cùm primò producitur*, Nego. *Intra illos enim simul auditur, & tantùm semel : intra terminos sphæræ, quam deinde acquirit*, Concedo. *respectu enim illius perinde se habet, ac si primò produceretur. Acquirit autem nouam sphæram protendendo successiuè suas species ad maiorem distantiam.*

Contrà. Sonus factus est tantùm ex concessis, vt cùm primò producitur, aut acquirit nouam sphæram audiatur : ergo non debet perseuerare tempore sequente eius primam productionem, aut acquisitionem nouæ sphæræ.

Consequentia pr. Sonus perseuerans tempore sequente eius primam effectionem non potest dici desinere breui tempore post; atqui desinit breui tempore post : ergo non debet perseuerare

tempore ſequente eius primam effectionem.

Maior pr. Sonus dici non poteſt deſinere niſi defectu ſubiecti, cauſæ conſeruantis, aut aduentu contrarij; atqui ſonus non habet contrarium, non deeſt illi cauſa conſeruans, neque ſubiectum: ergo ſonus perſeuerans tempore ſequente eius effectionem non deſinit breui tempore.

Reſpondeo *eſſe cauſam conſeruantem.*

Cauſa conſeruans eſt Deus; atqui Deus non deſinit conſeruare ſonum tempore illo breui, quod eſt poſt eius effectionem: ergo ſonus non perit defectu cauſæ conſeruantis.

Minor pr. Deus non poteſt dici deſinere conſeruare ſonum niſi hoc exigatur à cauſis ſecundis; atqui cauſæ ſecundæ non exigunt, vt Deus deſinat conſeruare ſonum: ergo Deus non deſinit illum conſeruare.

Minor pr. Cauſæ exigentes, vt Deus deſinat conſeruare ſonum, non poſſunt eſſe niſi contrarium aliquod cum eo incompoſſibile; atqui ſonus non habet contrarium: ergo cauſæ ſecundæ non exigunt, vt Deus deſinat illum conſeruare.

Solutio: *Neganda eſt maior, quia id quod exigit, vt Deus deſinat conſeruare ſonum, eſt natura ipſius ſoni, qui cùm non ſit diuturnioris durationis, petit, vt Deus breui tempore poſtquam cœpit eſſe ſuſpendat concurſum conſeruatiuum illius.*

Contrà. Quod petit vt Deus ſuſpendat concurſum conſeruatiuum ſui ipſius petit ſui destructionem; atqui nihil petit ſui deſtructionem: ergo natura ſoni non petit, vt Deus ſuſpendat concurſum conſeruatiuum illius.

Solutio: *Quod petit positivè, vt Deus suspendat concursum conseruatiuum illius petit sui destructionem*, Concedo. *quod hoc petit tantum negatiuè, seu non exigit conseruationem pro instantibus sequentibus*, Nego. *& concessa minori; ergo natura soni non petit positiuè, vt Deus suspendat concursum conseruatiuum illius*, Concedo. *negatiuè, seu non exigit sui conseruationem pro instantibus sequentibus*, Nego.

QVINTA CONCLVSIO:

Causa efficientes soni sunt corpora se collidentia cum interceptione tertij, quod frangunt.

ILLVD est causa efficiens soni, quod dat esse sono; atqui corpora sese collidentia cum interceptione tertij dant esse sono: ergo sunt illius causa efficiens.

Minor pr. Manus se collidentes, & intercipientes aërem, ferrum allisum ad æs campanum, & intercipiens aërem, &c. sunt corpora se collidentia cum interceptione tertij; atqui manus, & ferrum cum ære campano dant esse sono: ergo & corpora sese collidentia cum interceptione tertij.

Minor pr. Illa dant esse sono, quæ edunt sonum; atqui illa edunt sonum: ergo dant esse sono.

SEXTA

SEXTA CONCLVSIO:

Causa materialis soni est corpus interceptum à duobus se collidentibus.

ILLVD est subiectum soni, in quo sonus recipitur; atqui sonus recipitur in subiecto intercepto à duobus se collidentibus: ergo causa materialis soni est corpus interceptum.

Minor pr. Corpus interceptum inter duo se collidentia ordinariè est aër, aut aqua; atqui in aëre, & aqua recipitur sonus: ergo & in corpore intercepto inter duo se collidentia.

Minor pr. In eo recipitur sonus, per cuius maiorem accessum ad aurem facilius auditur; atqui sonus per maiorem accessum aëris ad aurem faciliùs auditur: ergo sonus recipitur in aëre.

Minor pr. Quando flat ventus versùs nos, aër interceptus à duobus corporibus se collidentibus magis accedit ad nostras aures; atqui tunc faciliùs audimus: ergo sonus faciliùs auditur per maiorem accessum aëris ad aurem.

SEPTIMA CONCLVSIO:

Sonus successiuè agit.

ILLVD successiuè agit, quod non producit simul, & semel intra sphæram suæ actiuitatis suum effectum; atqui sonus non producit simul, & semel intra sphæram suæ actiuitatis totum suum effectum: ergo successiuè agit.

Minor pr. Sphæra actiuitatis soni est totum illud spatium, ex quo auditur; atqui sonus non producit simul, & semel totum suum effectum in eo omni spatio, ex quo auditur: ergo neque intra sphæram suæ actiuitatis.

Minor pr. Effectus soni sunt species, & auditio; atqui non producit simul, & semel in illo omni spatio, ex quo auditur, species, & auditionem: ergo neque totum suum effectum.

Minor pr. Quod producit prius species, & auditionem in vna parte illius spatij propinquiori, quàm in alia remotiori, non producit simul, & semel species, & auditionem in omni illo spatio; atqui sonus producit priùs in vna parte illius spatij propinquiori species, & auditionem, quàm in remotiori: ergo non producit illas simul.

Minor pr. Sonus producit in illa parte spatij prius, quàm in alia auditionem, in qua prius auditur; atqui sonus prius auditur in parte propinquiori, quàm in remotiori: ergo & prius producit species & auditionem in illa, quàm in ista.

Respondent: Atqui *sonus prius auditur in parte propinquiori, quàm in remotiori, cum illa non est simul cum ista intra sphæram actiuitatis ipsius,* Concedo. *cum vtraque est simul intra sphæram actiuitatis soni*, Nego. ergo *sonus prius producit auditionem in parte propinquiori, quàm in remotiori cum ambæ non sunt simul intra sphæram actiuitatis ipsius*, Concedo. *cum sunt simul intra sphæram actiuitatis ipsius*, Nego.

Contrà. Cum remotior est intra sphæram actiuitatis soni simul cum viciniori prius auditur in viciniori, quàm in remotiori: ergo nulla solutio.

Antecedens pr. Remotiores à cædente ligna sunt intra sphæram actiuitatis soni, quem edit simul cum ipsi propinquioribus; atqui isti propinquiores prius audiunt sonum, quàm remotiores: ergo cum remotior est intra sphæram actiuitatis soni simul cum viciniori sonus prius auditur in parte viciniori qnàm in remotiori.

Maior pr. Sonus non mutat suam sphæram actiuitatis versus remotiores: ergo remotiores à cædente ligna sunt intra sphæram actiuitatis soni, quem edit simul cum ipsi propinquioribus.

Antecedens pr. Sonus non aliter mutare potest sphæram versus remotiores, quàm per accessum aeris, in quo recipitur versus ipsos; atqui aer non accedit ad illos sæpè: ergo non mutat sphæram versus ipsos.

Maior pr. Cum ventus flat in contrariam partem, aer non accedit versus ipsos; atqui sæpè ventus flat in contrariam partem: ergo aer sæpè non accedit ad illos.

Obiicies. Quod non habet contrarium non agit successiuè; atqui sonus non habet contrarium: ergo non agit successiuè.

Maior probatur. Debet dari aliqua ratio, cur agens agat successiuè; atqui non est vlla alia ratio, quàm quod habeat contrarium: ergo quod non habet contrarium non agit successiuè.

Solutio: *Neganda est minor. Illa alia ratio est natura talis agentis cognita experientia.*

Contrà. Natura soni non est, vt agat successiuè: ergo nulla solutio.

Antecedens pr. Natura soni non potest esse agere successiuè nisi continuè, aut interruptè, & per

morulas; atqui natura ſoni non eſt agere ſucceſſiuè continuè, aut interruptè, & per morulas: ergo natura ſoni non eſt vt agat ſucceſſiuè.

Reſpondeo *agere ſucceſſiuè, interruptè, & per morulas.*

Natura ſoni non eſt contraria naturæ agentis neceſſarij; atqui ſonum agere ſucceſſiuè, interruptè, & per morulas, eſt eius naturam eſſe contrariam naturæ agentis neceſſarij: ergo natura ſoni non eſt agere ſucceſſiuè interruptè.

Minor pr. Quod non agit poſitis requiſitis ad agendum habet naturam contrariam naturæ agentis neceſſarij; atqui ſonum agere ſucceſſiuè interruptè, & per morulas, eſt non agere poſitis ad agendum requiſitis: ergo ſonum agere ſucceſſiuè, interruptè, & per morulas; eſt eius naturam eſſe contrariam naturæ agentis neceſſarij.

Minor pr. Requiſita vt agat ſonus, ſunt ipſius exiſtentia, aptitudo medij ad recipiendas eius ſpecies, & poſitio auditus intra eius ſphæram; atqui hæc tria ſunt in illa morula, in qua non agit: ergo ſonum agere ſucceſſiuè interruptè, & per morulas, eſt non agere poſitis ad agendum requiſitis.

Solutio: *Requiſita vt agat ſonus, ſunt ipſius exiſtentia, aptitudo medii ad recipiendas eius ſpecies, & poſitio auditus intra ſphæram, intra quam agere poteſt cum primò exiſtit,* Concedo. *in qua tantum agere poteſt ſecundo, tertio, aut quarto inſtanti poſtquam cœpit exiſtere,* Nego. Atqui *in morula, in qua non agit eſt poſitio auditus intra ſphæram, intra quam agere poteſt cum primò exigit,* Nego, *intra quam agere poteſt tertio, aut quarto inſtan-*

quarto instanti postquam cœpit existere, Concedo. *Sonus cùm primò existit protendit suas species ad certum spatium, intra quod qui sunt illum audiunt, interiecta deinde aliqua morula protendit illas ad maiorem distantiam, & sic consequenter donec desinat. Cæterum vt antè diximus licèt eius species perseuerent in prima parte sphæræ, non producunt propterea auditionem, quia habent tantum vim producendi illam semel, & quidem cum primò sunt.*

Contrà. Species soni in prima parte sphæræ ipsius producunt auditionem tertio, aut quarto instanti postquam cœpit existere: ergo non agunt tantùm cùm proximè producuntur, & non producunt tantum semel auditionem.

Antecedens pr. Cùm Echo resonat fit auditio in prima parte sphæræ soni tertio, aut quarto instanti, aut etiam vlteriori postquam sonus cœpit existere; atqui species à sono in ea productæ, & perseuerantes producunt illam auditionem: ergo species soni producunt auditionem in prima parte sphæræ ipsius tertio, aut quarto instanti postquam cœpit existere.

Minor pr. Auditio illa producitur, vel à speciebus productis à sono ipso, vel à corpore reflectente; atqui non producitur à speciebus productis à corpore reflectente: ergo producitur à speciebus à sono productis, & perseuerantibus.

Minor probatur. Auditio ista est tam intensa & fortè magis ea, quam producit sonus versus corpus reflectens; atqui species à corpore reflectente productæ non possunt producere tam intensam auditionem: ergo illa species non pro-

ducitur à speciebus productis à corpore reflectente.

Solutio: Atqui *species producta à corpore reflectente non possunt producere tam intensam auditionem adiutæ à sono, & eius speciebus adhuc perseuerantibus*, Nego. *non adiutæ à sono, & ab eius speciebus*, Concedo. ergo *illa auditio non producitur à speciebus productis à corpore reflectente solis*, Concedo. *adiutis à sono, & eius speciebus adhuc perseuerantibus*, Nego.

Contrà. Sonus, & eius species non iuuant species corporis reflectentis ad producendam illam auditionem: ergo nulla solutio.

Antecedens probatur. Sonus, & eius species directæ non iuuant ad auditionem, quæ non repræsentat ipsum vbi est, sed versus corpus reflectens vbi non est; atqui illa auditio repræsentat sonum versus corpus reflectens vbi non est: ergo sonus, & eius species non iuuant species corporis reflectentis ad producendam illam auditionem.

Maior probatur. Auditio, & omnis alia species expressa, & impressa repræsentat id, à quo fit, & eius vbicationem; atqui auditio fit ab eo, quod iuuat ad illam producendam: ergo sonus, & eius species directæ non iuuant ad auditionem, quæ non repræsentat ipsum vbi est, sed versus corpus reflectens vbi non est.

Solutio: *Auditio, & omnis alia species expressa, & impressa repræsentat id, à quo fit, & eius vbicationem cum non interuenit reflexio, aut refractio*, Concedo. *si interueniat reflexio, aut refractio*, Nego. atqui *auditio fit ab eo, quod iu-*

uat ad illam producendam, & non interuenit reflexio, Nego. *& interuenit*, Concedo. *De natura reflexionis est, vt patet in speciebus visus, vt repræsentet obiectum versus locum, à quo incipit reflexio. Ratio esse potest, quia cum corpus reflectens suppleat vices directi: sicut species istud repræsentarent ibi, si ab eo acciperent esse, ita & versus eundem locum debent ipsum repræsentare cum corpus reflectens agat tantum eius partes, & non faciat, nisi quod ipsum faceret si adesset.*

Atque ex his patet Echonem nihil aliud esse, quàm principium productiuum auditionis reflexæ repræsentantis sonum habentem vbicationem versus locum, ex quo fit reflexio.

Octava Conclusio:

Non est necessarium vt sonus deferatur realiter vsque ad auditum.

Illud non est necessarium ad auditionem, sine quo fieri potest auditio; atqui auditio fieri potest absque eo, quòd sonus deferatur realiter vsque ad auditum: ergo non est necessarium, vt sonus deferatur realiter vsque ad auditum.

Minor probatur Auditio soni editi à lapide incluso intra globum æneum excauatum fit absque eo, quòd sonus deferatur realiter vsque ad auditum: ergo & auditio.

Minor pr. Sonus editus intra globum deferri non potest vsque ad auditum, quin deferatur eius subiectum, aër scilicet; atqui aer non defer-

tur vſque ad auditum : ergo neque ſonus.

Minor pr. Aër ille deferri non poteſt ad aurem, quin permeet globum ; atqui permeare non poteſt globum : ergo neque deferri ad auditum.

Minor pr. Aër permeare non poteſt globum niſi per penetrationem, aut tranſeundo per eius poros ; atqui non permeat per penetrationem, neque tranſeundo per eius poros : ergo permeare non poteſt globum.

Prima pars minoris clara eſt, & ſecunda probatur.

Vt tranſeat per poros globi debent illi non eſſe ita exigui, & eſſe continui ; atqui ſunt valde exigui, & non ſunt continui : ergo non tranſit per poros globi.

Minor pr. Illi pori ſunt valde exigui, qui ſunt imperceptibiles, & non continui, per quos non patet aditus lumini ; atqui pori illius globi ſunt imperceptibiles, & per eos non patet aditus lumini : ergo pori ſunt valde exigui, & non continui.

Minor pr. Per illos poros non patet aditus lumini, per quos non videtur, neque illuminatur, quod eſt intra globum ; atqui quod eſt intra globum non illuminatur, & lumen extrapoſitum per eos non videtur : ergo per poros illius globi non patet aditus lumini.

Secunda pars minoris probatur.

Per illud non videtur lumen extrapoſitum, quod ſi ponatur ante oculos nihil videmus ; atqui cùm non tantùm globus, ſed eius fracti pars aliqua ponitur ante oculos nihil videmus : ergo per poros lumen extrapoſitum non videtur.

NONA CONCLVSIO:

Non omnis sonus factus ab animalibus est vox.

ILLVD non est vox, quod non est sonus factus ab animali per organa respirationis, & cum imaginatione aliquid significandi; atqui multi soni animalium non sunt facti per organa respirationis, aut cum imaginatione aliquid significandi: ergo non omnis sonus factus ab animalibus est vox.

Minor pr. Tussis est sonus factus ab animali, sicut & qui fit plausu manuum, aut ab auibus agitatione alarum; atqui primus ex illis non fit cum imaginatione aliquid significandi, & reliqui non fiunt per organa respirationis: ergo multi soni animalium non sunt facti per organa respirationis, aut cum imaginatione aliquid significandi.

Prima pars minoris probatur, aliæ enim claræ sunt.

Illud non fit cum imaginatione aliquid significandi, quod fit coactè; atqui tussis fit coactè: ergo non fit cum imaginatione aliquid significandi.

Maior pr. Illud quod non possumus assumere ad placitum ad significandum, non fit cum imaginatione aliquid significandi; atqui non possumus assumere ad placitum ad significandum quod fit coactè: ergo illud non fit cum imaginatione aliquid significandi, quod fit coactè.

SECTIO VIII.

De Odoratu.

PRIMA CONCLVSIO:

Organum olfactus sunt processus mamillares.

ILLVD est organum olfactus, in quo fit olfactio; atqui olfactio fit in processibus mamillaribus: ergo organum olfactus sunt processus mamillares.

Minor pr. Olfactio fieri debet, vel in cerebro, vel in cartilaginibus nasi, vel in membrana vestiente nares, vel in neruo per illas expanso, vel in processibus mamillaribus; atqui non fit in vllo ex primis: ergo fit in vltimo.

Duæ primæ partes minoris probantur.

In illis non fit olfactio in quibus non fit operatio tactus; atqui in cerebro, & cartilaginibus nasi non fit operatio tactus: ergo neque olfactio.

Tertia pars minoris præcedentis argumenti, non fieri olfactionem in membrana vestiente nares, aut neruo per illas expanso, probatur.

In illis non fit olfactio, quibus odor aut eius species applicatæ non eliciunt olfactionem; atqui membrana, & neruus per illam expansus non eliciunt olfactionem quotiescunque illis applicatur odor, aut eius species: ergo olfactio non fit in membrana aut neruo per illam expanso.

Minor pr. Odor applicatur illi membranæ, & neruo per illam expanso, cùm ponitur intra meatus narium; atqui membrana illa, & neruus non eliciunt sensationem quotiescunque intra illos meatus ponitur odor: ergo neque quotiescunque illis applicatur odor, aut eius species.

Minor pr. Olfactio non elicitur nisi fiat inspiratio; atqui quoties, & quandiu ponitur odor intra meatus narium non fit inspiratio: ergo neque elicitur olfactio à membrana, & neruo.

Obiicies. Olfactio non fit in processibus mamillaribus: ergo hi non sunt organum olfactus.

Antecedens pr. In eo non fit olfactio, quod cùm ei applicatur odor non olfacit; atqui processus mamillares cùm odor est illis applicatus non olfaciunt: ergo in illis non fit olfactio.

Minor pr. Odor eorum, quæ coquuntur in ventriculo applicatur processibus mamillaribus, cùm vapores illum deferentes ascendunt ad cerebrum; atqui processus mamillares non eliciunt olfactionem illius odoris: ergo neque cùm odor est illis applicatus.

Solutio: *Odor eorum quæ coquuntur in stomacho applicatur processibus mamillaribus, & non est nimio humore delibutus,* Nego. *& est nimio humore delibutus,* Concedo. *& concessa minori eodem modo distinguendum est consequens.*

Contrà. Cùm est applicatus odor, qui non est nimio humore delibutus processibus mamillaribus ipsi non olfaciunt: ergo nulla solutio.

Antecedens pr. Processus mamillares non debent dici potius olfacere, cùm est illis applicatus odor debitus, quàm cerebrum; atqui cerebrum

non olfacit: ergo neque processus mamillares cùm odor illis applicatus non est nimio humore delibutus.

Maior pr. Ex duobus, quæ sunt eiusdem substantiæ, vnum non debet dici potiùs olfacere, quàm aliud; atqui cerebrum, & processus mamillares sunt eiusdem substantiæ: ergo hi non debent dici potiùs olfacere, quàm illud.

Solutio: *Quæ sunt eiusdem substantiæ si habeant eandem temperiem vnum non debet dici potius olfacere quàm aliud*, Concedo. *si non habeant eandem, sed diuersam temperiem*, Nego atqui *cerebrum, & processus mamillares sunt eiusdem substantiæ, & habent eandem temperiem*, Nego. *& habent diuersam*, Concedo. *Illa processuum est apta ad olfactionem, non verò illa cerebri, quia scilicet prima non est tam humida, ac secunda, propter enim nimiam humiditatem diximus suprà odores vaporum è stomacho ascendentium ad cerebrum, & transeuntium per processus mamillares, ab istis non sentiri.*

SECVNDA CONCLVSIO:

Obiectum adæquatum olfactus est odor.

ILLVD est obiectum adæquatum olfactus, quod est ea omnia, quæ percipiuntur ab olfactu; atqui odor est ea omnia, quæ percipiuntur ab olfactu tanquam sensibile proprium: ergo est obiectum adæquatum olfactus.

Minor pr. Illud est ea omnia, quæ percipiuntur ab olfactu, quod solum ab ipso percipitur; atqui

solus odor percipitur ab olfactu tanquam sensibile proprium: ergo est ea omnia, quę percipiuntur ab olfactu.

Minor pr. Alia, quæ dici possunt percipi ab olfactu sunt color, lumen, sapor aut primæ qualitates; atqui illa non percipiuntur ab olfactu : ergo solus odor percipitur ab olfactu.

Minor pr. Illa non percipiuntur ab olfactu, quæ cùm ille benè habet, si alij sensus malè habeant non percipimus; atqui quantumcunque benè habeat olfactus, si visus, gustus &c. malè habeant, non percipimus lumen, colores, sapores, &c. ergo non percipiuntur ab olfactu.

TERTIA CONCLVSIO:

Odor est accidens.

ODOR non est substantia: ergo est accidens.

Antecedens pr. Omnis substantia est vel spiritalis, vel corporea; atqui odor neque est substantia spiritalis, neque corporea: ergo non est substātia.

Respenderi potest *esse substantiam corpoream.*

Contrà. Substantia corporea debet esse materia, vel forma, vel quid conflatum ex vtraque; atqui odor neque est materia, neque forma, neque quid conflatum ex vtraque; ergo non est substantia corporea.

Clarum est non esse materiam, & probatur non esse formam.

Forma materialis est necessario vnita suæ materiæ; atqui odor dici non potest vnitus propriæ materiæ : ergo non est forma substantialis.

Minor pr. Quod est simul, & in eodem loco cum aëre,& aqua, cum pomo & cum saccaro, non est vnitum peculiari materiæ; atqui odor est cum aqua,cum aëre, cum pomo, &c. ergo non est vnitus peculiari materiæ.

Maior pr. Quod est vnitum peculiari materiæ non potest esse simul cum aqua,aëre, pomo, &c. quin detur penetratio; atqui cùm odor est simul cum aqua, aëre,pomo &c. non datur penetratio: ergo quod est in eodem loco cum aëre & aqua non est vnitum peculiari materiæ.

Maior pr. Non potest esse simul materia cum materia sine penetratione;atqui quod est vnitum peculiari materiæ non potest esse simul cum aqua, aëre,pomo,quin materia sit simul in eodem loco cum materia:ergo quod est vnitum peculiari materię nō potest esse simul cū aqua,aëre pomo, &c.

Obiicies. Illud non est accidens,quod est substantia;atqui odor est substantia: ergo odor non est accidens.

Minor pr. Illud est substantia quod existit sine subiecto;atqui odor existit sine subiecto:ergo est substantia.

Minor pr. Subiectum odoris est corpus odoriferum; atqui odor existit sine corpore odorifero: ergo & sine subiecto.

Minor pr. Illud existit sine corpore odorifero, quod existit illo remoto,aut destructo;atqui odor existit remoto aut destructo corpore odorifero: ergo existit sine illo.

Ad probationem minoris, Supponunt, *corpus odoriferum aliquod manere aliquandiu in aliquo loco,& ex illo deinde auferri, aut destrui, rosas v. g. & sic argumentantur.*

Remotis rosis illis manet odor illarum: ergo remoto corpore odorifero manet odor.

Solutio: *Remotis rosis illis adæquatè, & nihilo planè illarum remanente ex ipsis euaporato manet odor,* Nego. *non remotis adæquatè, sed aliquo ex ipsis euaporato remanente manet odor,* Concedo.

Contrà. Nihil potest dici ab ipsis euaporari: ergo remouentur omnino, & adæquatè.

Antecedens pr. Non potest aliud dici ab ipsis euaporari, quàm tenuissima aliqua ipsarum particula; atqui non euaporatur aliqua tenuissima particula: ergo nihil potest dici ab ipsis euaporari.

Minor pr. Quod dicitur euaporari nutrit; atqui tenuissima huiusmodi particula non est capax nutrire: ergo non euaporatur.

Solutio: *Quod euaporatur nutrit propter specialem vim, quam habet confortandi,* Concedo. *per conuersionem sui in viuens,* Nego. atqui *tenuissima particula non est capax nutrire per conuersionem sui in viuens,* Concedo. *propter specialem vim, quam habet confortandi,* Nego.

QVARTA CONCLVSIO:

Odores distinguuntur specie.

VNI odori conuenit aliquid commune intrinsecum quod non conuenit alteri: ergo distinguuntur specie.

Antecedens pr. Odori rosæ conuenit aliquid commune intrinsecum quod non conuenit odori fœtoris: ergo & vni odori, quod non conuenit alteri.

Minor probatur. Esse effectiuum sensationis iucundæ est aliquid commune intrinsecum odori rosæ; atqui hoc non conuenit odori, qui fœtet: ergo odori rosę conuenit aliquid commune intrinsecum, quod non conuenit odori fœtoris.

Minor pr. Illi dici non debet conuenire esse effectiuum olfactionis iucundæ, quod semper efficit ingratam; atqui odor qui fœtet semper efficit ingratam teste experientia: ergo non est effectiuus olfactionis iucundæ.

QVINTA CONCLVSIO:

Medium odoris est aër, & aqua.

ILLVD est medium odoris, quod interiacet inter ipsum, & olfactum cùm fit eius olfactio; sed aër, & aqua interiacent sæpè inter odorem, & olfactū cùm illius fit olfactio: ergo medium odoris est aër, & aqua.

Minor probatur primò de aëre.

Quod interiacet inter rosam, & nasum cùm illam olfacimus, interiacet inter odorem, & olfactum cùm illius fit olfactio; atqui aër interiacet inter nasum, & rosam, cùm eam olfacimus: ergo aër interiacet inter odorem, & olfactum cùm illius fit olfactio.

Probatur secundò eadem minor de aqua.

Quod interiacet inter carnem, & crocodilū existentem in aquis interiacet inter odorem, & olfactum cùm eius fit olfactio; atqui aqua existit inter carnes, & crocodilum existentem in aquis: ergo & inter odorem, & olfactum cùm eius fit olfactio à crocodilo.

SECTIO IX.

De Gustu.

PRIMA CONCLVSIO:

Organum gustus est lingua, palatum, & aliæ partes adiacentes.

ILLVD est organum gustus, in quo fit perceptio saporis; atqui perceptio saporis fit in lingua, palato, & aliis partibus adiacentibus: ergo hæc sunt illius organum.

Minor pr. In illis partibus fit perceptio saporum, in quibus percipimus dulcia, amara &c. atqui percipimus dulcia, amara &c. in lingua, palato, & aliis partibus adiacentibus: ergo in illis fit perceptio saporis.

SECVNDA CONCLVSIO:

Obiectum proprium adæquatum gustus est sapor.

ILLVD est obiectum proprium adæquatum gustus, quod percipitur tantùm à gustu, & solum tanquam sensibile proprium; atqui sapor percipitur tantùm à gustu, & solus tanquam sensibile proprium: ergo est illius obiectum proprium, & adæquatum.

Prima pars minoris probatur.

Illud percipitur tantùm à gustu, quod non

percipitur ab vllo alio ſenſu externo; atqui ſapor non percipitur ab vllo alio ſenſu externo : ergo percipitur tantùm à guſtu.

Minor probatur. Non percipitur à viſu, auditu, olfactu, & tactu: ergo non percipitur ab vllo alio ſenſu externo.

Antecedens pr. Sapor non percipitur ab iis, à quibus non percipitur amarum, dulce, &c. atqui amarum, dulce &c. non percipiuntur teſte experientia à viſu, auditu, olfactu, & tactu: ergo neque ſapor.

Secunda pars minoris primi argumenti ſuperioris probatur.

Illud ſolum percipit guſtus tanquam ſenſibile proprium, quod ita percipit vt nihil aliud percipiat; atqui guſtus ita percipit ſaporem vt nihil aliud percipiat: ergo ſolus ſapor percipitur à guſtu.

Minor probatur. Alia quæ dici poſſunt percipi à guſtu, ſunt odor, color, lumen, & primę qualitates; atqui illa non percipiuntur à guſtu, teſte experientia: ergo guſtus ita percipit ſaporem, vt nihil aliud percipiat.

Obiicies Guſtus percipit alia à ſapore: ergo ſapor non eſt eius obiectum adæquatum.

Antecedens pr. Primæ qualitates ſunt aliud à ſapore; atqui guſtus percipit primas qualitates: ergo & alia à ſapore.

Minor pr. Guſtus percipit ea, quorum fit perceptio in eius organo, lingua ſcilicet, & palato; atqui fit perceptio primarum qualitatum, caloris v. g. frigoris, &c. in lingua & palato: ergo guſtus percipit primas qualitates.

Solutio : *Gustus percipit ea, quorum fit perceptio in eius organo, si hoc sit illi proprium, & fiat illa vi ipsius*, Concedo. *si non sit illi proprium, & non fiat illa perceptio vi ipsius*, Nego. atqui *perceptio caloris fit in lingua, & hæc est organum solius gustus, & illa perceptio fit vi gustus*, Nego. *& hæc non est organum illius solius, sed prætereà tactus, & perceptio illa non fit vi illius sed istius*, Concedo. *illud autem vltimum ex eo patet, quod si deprauatus sit gustus eodem modo, & tam perfectè sentitur calor, ac cùm benè habet, quod indicio est certo gustum ad illam perceptionem nihil conferre.*

Tertia Conclusio:

Gustus non est absolute necessarius ad vitam.

Illud non est absolutè necessarium ad vitam, sine quo conseruari potest vita; atqui sine gustu conseruari potest vita: ergo gustus non est absolutè necessarius ad vitam.

Minor probatur. Sine eo conseruari potest vita, sine quo sumi potest alimentum, & in propriam substantiam conuerti; atqui sumi potest alimentum sine gustu, & in propriam substantiam conuerti: ergo sine gustu conseruari potest vita.

Minor probatur. Vt sumatur alimentum, nihil aliud requiritur, quàm vt suppetat alimentum, aut cognoscatur esse profuturum; atqui sine gustu suppetere potest alimentum, & cognosci profuturum: ergo etiam & sumi.

Minor probatur. Illud cognoſcitur profuturum, quod cognoſcitur habere vim reparandi vires deperditas; atqui poteſt cognoſci ſine guſtu alimentum habere vim reparandi vires deperditas: ergo & cognoſci profuturum.

Minor pr. Quod cognoſcitur confortare, & expellere debilitatem antecedentem, cognoſcitur habere vim reparandi partes deperditas; atqui ſine guſtu cognoſcitur alimentum confortare, & expellere debilitatem antecedentem: ergo & habere vim reparandi partes deperditas.

Minor pr. Qui priuatus eſt guſtu poſt ſumptionem alimenti non ſentit tantam debilitatem, quantam ante: ergo ſine guſtu cognoſcitur alimentum expellere debilitatem antecedentem.

SECTIO X.

De Tactu.

PRIMA CONCLVSIO:

Organum tactus eſt cor, caro, nerui, &c.

ILLVD eſt organum tactus, in quo fit perceptio obiecti tactilis; atqui in corde, carne, neruis, &c. fit perceptio obiecti tactilis: ergo cor, caro, nerui, &c. ſunt organum tactus.

Minor pr. Obiectum tactile ſunt primæ qualitates, & impulſus; atqui in corde, carne, &c. teſte experientia fit perceptio primarum qualitatum, & impulſus: ergo in corde, carne, &c. fit perceptio obiecti tactilis.

SECVNDA CONCLVSIO:

Primæ qualitates non sunt obiectum adæquatum tactus.

ILLVD non est obiectum adæquatum tactus, quod non est ea omnia, quæ percipiuntur tactu; atqui primæ qualitates non sunt ea omnia, quæ percipiuntur tactu: ergo primæ qualitates non sunt obiectum adæquatum tactus.

Minor pr. Impulsus non est prima qualitas; atqui impulsus percipitur à tactu: ergo primæ qualitates non sunt ea omnia, quæ percipiuntur tactu.

Minor pr. Impulsus percipitur eo sensu, qui diffusus est per totum corpus; atqui solus tactus diffusus est per totum corpus: ergo impulsus percipitur tactu.

Maior pr. Impulsus percipitur in omni parte, cui imprimitur; atqui imprimitur toti corpori, & singulis eius partibus: ergo percipitur eo sensu, qui diffusus est per totum corpus.

TERTIA CONCLVSIO:

Primæ qualitates obiecti tactilis percipiuntur à tactu.

IGNIS, aqua, &c. sunt obiecta tactilia; atqui eorum qualitates percipiuntur à tactu: ergo & primæ qualitates obiecti tactilis.

Minor pr. Qualitates ignis sunt calor, & sicci-

tas,& aquæ frigus, & humiditas; atqui calor, & ſiccitas ignis,frigus,&humiditas aquę percipiuntur tactu:ergo & eorum qualitates.

Minor pr. In manu ipſis applicata eſt tactus;atqui percipiuntur à manu,teſte experientia: ergo & à tactu.

QVARTA CONCLVSIO:

Qualitates quæ ſunt in organo ſentiuntur.

ILLÆ qualitates ſentiuntur, quæ immutant tactum;atqui qualitates,quę ſunt in organo immutant tactum: ergo ſentiuntur.

Minor pr. Illæ qualitates immutant tactum, quæ percipiuntur maiores,quàm antea; atqui qualitates, quæ ſunt in organo percipiuntur maiores, quàm antea: ergo qualitates,quæ ſunt in organo immutant tactum.

Minor pr. Vel qualitates organi percipiuntur maiores, quàm antea, vel obiecti tactilis; atqui qualitates obiecti tactilis non percipiuntur maiores: ergo illæ organi percipi debent maiores.

Minor pr. Illæ qualitates non percipiuntur maiores, quæ non creuere; atqui qualitates obiecti tactilis non creuere: ergo non percipiuntur maiores.

Minor pr. Qualitates obiecti tactilis, ignis v. g. & aquæ ſunt calor vt octo,& frigus in ſummo;atqui calor vt octo, & frigus in ſummo non creſcunt:ergo qualitates obiecti tactilis non creuere.

QVINTA CONCLVSIO:

Qualitates obiecti tactilis sentiuntur tantùm, quatenus agunt, & illæ organi quatenus fiunt.

DEBET dari aliqua ratio, cur non sentiatur ab initio tantus calor in igne, quantus aliquo tempore pòst, & cur animal non sit in continua perceptione sui temperamenti; atqui non potest esse alia ratio primi, nisi quòd qualitates obiecti tactilis non sentiantur nisi quatenus agunt, neque ratio secundi, nisi quia illæ organi non sentiuntur, nisi quatenus fiunt: ergo qualitates obiecti tactilis sentiuntur tantùm, quatenus agunt, & illæ organi, quatenus fiunt.

Prima pars minoris probatur.

Ratio, cur non sentiatur tantus color initio quantus paulò pòst, non potest esse alia, quàm quod non habeat initio quidquid requiritur ad producendam maiorem illam sensationem; atqui nihil potest dici illi deesse, quàm maior actio in organum: ergo non est alia ratio, cur tantus calor non sentiatur initio quantus paulò pòst, nisi quia qualitates obiecti tactilis non sentiuntur, nisi quatenus agunt.

Minor pr. Non deest illi neque quidquam entitatis, & actiuitatis, neque approximatio, neque capacitas in passo: ergo nihil illi deesse potest, quàm maior actio in organum.

Secunda pars minoris primi argumenti supe-

rioris in probationem conclusionis, probatur.

Ratio: cur animal non sit in continua perceptione sui temperamenti, non potest esse alia, quàm quia illi desit aliquid ad huiusmodi sensationem; atqui nihil potest dici illi deesse, quàm effectio noua, & prima qualitatum tactilium in organo: ergo ratio cur animal non sit in continua perceptione sui temperamenti, non potest esse alia, nisi quòd qualitates organi non sentiuntur nisi quatenus fiunt.

Minor probatur. Qualitates quæ sunt in eius organo sunt actiuæ, sunt approximatæ, & organum est capax actionis ipsarum: ergo nihil potest dici deesse illi, quàm quod non sit noua effectio, & prima qualitatum tactilium in organo.

Obiicies in primam partem.

Qualitates obiecti tactilis sunt calor ignis, & frigus aquæ; atqui calor ignis, & frigus aquę sentiuntur etiamsi non agant: ergo qualitates obiecti tactilis, vt sentiantur non debent agere.

Minor probatur. Illud sentitur etiamsi non agat, quod habet vim efficiendi sensationem sui independenter ab illa actione; atqui calor ignis, & frigus aquæ habent vim efficiendi sui sensationem independenter ab illa actione: ergo sentiuntur etiamsi non agant.

Minor pr. Calor, & frigus habent vim efficiendi sensationem independenter ab eo, quod illis non coagit; atqui quod producitur per illam actionem illis non coagit: ergo habent vim efficiendi sui sensationem independenter ab illa actione.

Minor pr. Quod efficitur per illam actionem est

est calor, & frigus recepta in organo; atqui calor, & frigus recepta in organo nullo modo efficiunt sensationem: ergo quod producitur per illam actionem illis non coagit.

Minor pr. Quæ efficiunt sensationem ex Aristotele sunt extra sensorium; atqui calor, & frigus recepta in organo non sunt extra sensorium: ergo non efficiunt sensationem.

Solutio: *Quæ efficiunt sensationem ex Aristotele sunt extra sensorium, aut proueniunt ab eo, quod est extra sensorium*, Concedo. *sunt omnino extra sensorium*, Nego. atqui *calor, & frigus recepta in organo non sunt extra sensorium, nec proueniunt ab eo, quod est extra sensorium, obiecto scilicet tactili*, Nego. *& proueniunt ab eo, quod est extra sensorium*, Concedo. *Fiunt siquidem, & producuntur in illo ab agente extrinseco, vnde fit vt calor, & frigus, quæ sunt in organo cùm fuerint producta à calore, & frigore extra positis eatenus censeantur etiam esse aliquo modo extrà, & verè dicere potuerit Aristoteles, quæ efficiunt sensationem debere esse extrà.*

SEXTA CONCLVSIO:

Tactus sentit tantùm exuperantias primarum qualitatum.

ILLVD sentit tantùm exuperantias primarum qualitatum, quod sentit tantùm id, in quo primæ qualitates eius, quod tangit superant proprias atqui tactus sentit tantùm id, in quo primæ qualitates eius quod tangit superant proprias: erg

tactus sentit tantum exuperantias primarum qualitatum.

Minor pr. Dari debet aliqua ratio, cur manus calidior immissa in aquam tepidam non sentiat eius calorem, & frigidior non sentiat eius frigus; atqui ea non potest esse alia, quàm quia tactus non sentit id, in quo primæ qualitates eius, quod tangit, non superant proprias: ergo tactus sentit tantùm id, in quo primæ qualitates eius, quod tangit, superant proprias.

Minor pr. Ratio illa non potest esse nisi vel defectus applicationis qualitatum illarum remissiorum aquæ, quæ tangitur, aut vis in tactu ad eliciendam illarum perceptionem, aut quia tactus sentit tantùm id, in quo primæ qualitates eius, quod tangit, superant proprias; atqui non sunt duo prima: ergo debet esse vltimum.

Prima pars minoris probatur.

Ibi dici non potest defectus applicationis vbi obiectum est immediatum tactui; atqui cùm manus immittitur in aquam qualitates illius sunt immediatæ tactui: ergo non est defectus applicationis.

Secunda pars minoris præcedentis argumenti probatur.

In eo non est defectus virium ad eliciendam perceptionem illarum qualitatum, quod verè, & de facto illam elicit; atqui tactus verè, & de facto elicit sensationem qualitatum aquæ: ergo non est defectus virium.

Minor pr. Cùm manus est calidior elicit sensationem frigoris remissi aquæ, & cùm est frigidior perceptionem caloris remissi; atqui manus est ta-

ctus: ergo tactus de facto elicit ſenſationem qualitatum aquæ.

Obiicies. Exuperantiæ primarum qualitatum ſunt maior ipſarum intenſio; atqui non ſentitur tantùm maior earum intenſio à tactu: ergo neque exuperantiæ.

Minor pr. Primæ qualitates, quæ ſunt in manu non ſunt magis intenſæ, quàm ſint illæ, quæ ſunt in tactu; atqui tactus ſentit primas qualitates, quæ ſunt in manu: ergo non ſentitur tantùm maior earum intenſio.

Minor pr. Cùm percipit tactus, in quo loco ſit manus, percipit primas qualitates manus; atqui tactus percipit in quo loco ſit manus: ergo & primas qualitates manus.

Maior pr. Tactus percipere non poteſt in quo loco ſit manus, niſi percipiendo eius primas qualitates, aut alterius rei; atqui non percipit primas qualitates alterius rei; ergo percipit primas qualitates manus.

Minor pr. Illa alia res non poteſt eſſe niſi aliquid intrinſecum, vel extrinſecum; atqui non poteſt dici eſſe aliquid intrinſecum, neque extrinſecum: ergo non percipit primas qualitates alterius rei.

Reſpondeo *eſſe aliquid intrinſecum.*

Contrà. Illud intrinſecum non poteſt eſſe niſi ſpiritus vitales, aut humores; atqui non eſt ſpiritus vitales, nec humores: ergo non eſt aliquid intrinſecum.

Minor pr. Non poteſt eſſe ſpiritus vitales, aut humores, quin verum ſit percipi qualitates primas, quæ ſunt in illis, aut totas, aut tantùm ſe-

cundùm excessum, quo superant illas manus; atqui neutrum dici potest: ergo illud intrinsecum non est spiritus vitales; nec humores.

Respondeo *percipi secundum excessum.*

Contrà. Spiritus animales, & humores sentiri tantùm secundum excessum, est, quo plus est alicuius qualitatis in organo, eo illius minus sentiri in obiecto ipsi applicato; atqui quo plus est alicuius qualitatis in organo non minus sentitur eiusdem in obiecto applicato: ergo non sentiuntur tantum primæ qualitates quæ sunt in humoribus, aut spiritibus vitalibus secundùm excessum.

Minor pr. Non minus sentitur alicuius qualitatis, cum organum plus dolet ex illius perceptione; atqui sæpè cum est plus qualitatis in organo dolet magis tactus ex perceptione obiecti applicati: ergo quo plus est alicuius qualitatis in organo, non minus sentitur eiusdem in obiecto applicato.

Maior pr. Ille dolor prouenire non potest ex alio, quàm ex perceptione maiori qualitatis, quæ est in obiecto tactili: ergo non minus sentitur alicuius qualitatis, cum organum plus dolet ex illius perceptione.

Solutio: *Negandum est antecedens, & dicendum maiorem illum dolorem prouenire ex nimia neruorum contractione, & partium distractione, quas causat per accidens excessus ille qualitatis, qui est in organo; & cuius hac ratione destruit temperamentum.*

Sectio X.

De ſenſu interno.

PRaeter operationes cognoſcitiuas præcedentibus ſectionibus explicatas videndi, audiendi, olfaciendi, guſtandi, & tangendi, deprehendimus multas alias in brutis. Præcipuæ ſunt perceptiones eius quod eſt conueniens, aut non eſt conueniens. Eæ cum non poſſint eſſe ſine principio à quo ſint, & quod illis det eſſe, quærimus hac ſectione quodnam illis ſit aſſignandum.

Prima Conclvsio:

Datur ſenſus internus.

Dari debet principium aliquod cognitionum, quas experimur in variis animalibus irrationalibus; atqui nullum aliud eſſe poteſt principium illarum, quàm ſenſus internus: ergo datur ſenſus internus.

Minor pr. Cognitio faciens, vt canis poſtponat ſaporem offæ nimio eius calori, cognitio etiam repræſentans oui lupum, vt hoſtem, &c. ſunt cognitiones, quas experimur in animalibus irrationalibus; atqui illarum principium non poteſt eſſe aliud, quàm ſenſus internus: ergo cognitionum, quas experimur in animalibus irrationalibus, nullum eſt aliud principium, quàm ſenſus internus.

Minor pr. Principium illarum cognitionum non poteſt eſſe niſi ſenſus internus, intellectus, aut ſenſus externus; atqui non eſt ſenſus externus, neque intellectus: ergo eſt ſenſus internus.

Minor probatur. Illud non eſt principium iſtarum cognitionum, quod non reperitur in brutis, aut non percipit ſimul ſaporem, & calorem, & repræſentatiuum non eſt conuenientiæ, aut diſconuenientiæ obiecti; atqui intellectus non reperitur in brutis, & nullus ſenſus externus perceptiuus eſt ſimul ſaporis, & caloris, aut eſt repræſentatiuus conuenientiæ, & diſconuenientiæ obiecti: ergo non eſt intellectus, neque ſenſus externus.

Prima pars minoris patet, & ſecunda probatur. Senſus externi ſunt viſus, auditus, olfactus, guſtus, & tactus; atqui nullus ex illis eſt perceptiuus ſimul ſaporis, & caloris, aut eſt repræſentatiuus conuenientiæ, & diſconuenientiæ obiecti: ergo neque vllus ſenſus externus.

SECVNDA CONCLVSIO:

Vnus eſt tantum realiter ſenſus internus.

SENSVS internus non poteſt dici multiplex realiter, niſi, vel ſecundùm organum, vel ſecundùm animam; atqui non eſt multiplex neque ſecundùm animam, neque ſecundùm organum: ergo vnus eſt tantùm realiter ſenſus internus.

Minor probatur. Senſus internus dici non poteſt multiplex ſecundùm animam, & ſecundùm

organum, quin anima, aut eius organum ſint multiplicia; atqui anima non eſt multiplex, organum etiam vnicum eſt: ergo non eſt multiplex neque ſecundùm animam, neque ſecundùm organum.

Prima pars non eget probatione, & ſecunda probatur.

Organum eſt cerebrum; atqui cerebrum eſt vnicum: ergo & organum.

Reſpondent: *Cerebrum eſt vnicum & in eo non ſunt multæ partes, & tres ventriculi*, Nego. *& ſunt multæ partes, & tres ventriculi in quibus eſſe poſſint commodè ſenſus interni*, Concedo.

Contrà. Quod non eſt in loco, ad quem concurrunt nerui deferentes ſpecies ſenſuum externorum, & cuius vſus eſt ex medicis ad excipienda recrementa cerebri, non debet dici organum ſenſûs interni; atqui ventriculi, vt patet ex diſſectione, non ſunt in parte, in qua concurrunt nerui deferentes ſpecies ſenſuum externorum, & eorum vſus ex medicis Veſalio, Fernelio, &c. eſt ad recipienda recrementa cerebri: ergo ventriculi non debent dici organum ſenſus interni.

Obiicies. Senſus internus complectitur ſenſum communem, imaginationem, æſtimatiuam, phantaſiam, & memoriam; atqui ſenſus communis, imaginatio, æſtimatiua, phantaſia, & memoria non ſunt idem realiter: ergo ſenſus internus non eſt vnus tantum realiter.

Minor pr. Senſus communis percipit obiecta ſenſuum externorum præſentia, imaginatio eadem abſentia, æſtimatiua repræſentat conuenientiam, & diſconuenientiam obiectorum,

phantasia componit rationes sensatas cum sensatis, aut cum non sensatis, & tandem memoria repræsentat perceptas esse illas rationes non sensatas, seu expressas per sensus externos; atqui principium actuum, qui tribuuntur memoriæ non est idem realiter cum principiis actuum, qui tribuuntur sensui communi, imaginationi, æstimatiuæ & phantasiæ: ergo sensus communis, imaginatio, æstimatiua, phantasia, & memoria non sunt idem realiter.

Minor pr. Illa non sunt idem, quorum vnum læditur alio non læso; atqui principium actuum æstimatiuæ læditur, non læso principio actuum imaginationis, & memoriæ, & è conuerso: ergo principium actuum, qui tribuuntur memoriæ non est idem realiter cum principiis actuum, qui tribuuntur sensui communi.

Minor probatur. Galenus lib. de Symptomatum differentiis cap. 3. & 8. refert varios, in quibus læso vno ex his principiis non erat læsum aliud, & experientia ostendit multos per morbum, aut ex alia causa priuari memoria, saluis & integris remanentibus sensu communi, imaginatione, & æstimatiua: ergo principium actuum æstimatiuæ læditur, non læso principio actuum imaginationis, & memoriæ, & è conuerso.

Solutio: *Galenus lib. de Symptomatum differentiis cap. 3. & 8. refert varios in quibus læso vno ex his principiis, non erat læsum aliud quoad actum secundum,* Concedo. *quoad actum primum,* Nego. *& experientia ostendit multos saluis & integris remanentibus sensu communi, imaginatione, & æstimatiua per morbum, aut ex alia causa priuari*

memoria quoad actum primum, Nego. *quoad actum secundum, seu operationem*, Concedo. *Memoria in actu primo est entitas animæ cum organo sensus interni. In actu verò secundo, est eadem anima eliciens cognitionem repræsentatiuam aliàs cognitorum. Fieri autem facilè potest, vt anima impediatur defectu alicuius necessarii ab exercitio repræsentationis aliàs cognitorum, conseruata illi sufficienti vi ad productionem actuum, qui dicuntur proprii æstimatiuæ, imaginationis, aut sensus communis, quemadmodum potentia nutritiua impeditur sæpè ab actu aliquo suo, relicto illi facili exercitio aliorum; vt cum commodè trahit alimentum, & idem retinere non potest, aut nimis retinet, & excrementitium humorem expellere non valet.*

Contrà. Pars cerebri in qua est memoria, diuersa est ab ea, in qua est sensus communis: ergo memoria quoad actum primum, & non tantum secundum amitti potest saluo remanente sensu communi.

Antecedens pr. Pars, in qua est sensus communis debet facilè recipere species immissas ab actibus sensuum externorum, & pars in qua est memoria eas tenaciter retinere; atqui pars facilè receptiua specierum est diuersa ab ea, quæ eas tenaciter retinet: ergo pars cerebri in qua est memoria, diuersa est ab ea, in qua est sensus communis.

Minor probatur. Pars facilè susceptiua specierum debet esse valdè humida, & pars eas tenaciter retinens valdè sicca; atqui pars quæ est valdè humida non est eadem valdè sicca; ergo pars facilè receptiua specierum est diuersa ab ea, quæ

eas tenaciter retinet.

Solutio: *Neganda est maior, & dicendum partem cum mediocritate humidam, & siccam sufficere ad facilem susceptionem specierum, & earundem tenacem retentionem, maximè si crebrior fiat repetitio actuum. Imò fieri non potest, vt quæ recipit species eadem illas non retineat si perseuerent. Cùm enim sint accidentia transire non possunt de subiecto in subiectum, & in eo in quo semel sunt semper manent quamdiu sunt: fingendum etiam non est actum qui formatur in parte in qua recipitur species actus sensus externi producere in alia parte diuersa speciem sui, siquidem nullum est fundamentum concedendi illi vim relinquendi speciem sui in alio, quàm in subiecto, in quo est; ac proinde cùm illa, in qua est ille actus recipiat species, illa eadem eas quoque conseruare dicenda est, & consequenter vel ex ipso principio aduersariorum, cùm in parte in qua recipiuntur species sit organum sensus communis, cùm in eadem quoque conseruentur species receptæ eandem esse memoriam, cuius est hoc proprium munus.*

TERTIA CONCLVSIO:

Sedes imaginationis est substantia cerebri.

ILLVD est sedes imaginationis, in quo fiunt sensationes internæ; atqui sensationes internæ fiunt in substantia cerebri: ergo sedes imaginationis est substantia cerebri.

Minor probatur. Senſationes internæ fiunt in eo, in quo experimur defatigationem, & cui medici applicant remedia, vt melius fiant, ſcripturaque tribuit ſomnia; atqui in ſubſtantia cerebri experimur defatigationem, cum imaginamur diutius, ei medici applicant remedia, vt ſenſationes melius fiant, & ſcriptura ei tribuit ſomnia: ergo ſenſationes internæ fiunt in ſubſtantia cerebri.

Duas primas partes certas facit experientia, & tertia probatur.

Subſtantia cerebri venit nomine capitis; atqui capiti ſcriptura tribuit ſomnia: ergo ſubſtantiæ cerebri ſcriptura tribuit ſomnia.

Minor probatur. Apud Danielem habetur, ſomnium, & viſiones capitis tui: ergo ſcriptura tribuit ſomnia capiti.

Obiicies. Illud non eſt ſedes imaginationis, in quo non fiunt ſenſationes internæ; atqui ſenſationes internæ non fiunt in ſubſtantia cerebri: ergo ſubſtantia cerebri non eſt ſedes imaginationis.

Minor probatur. In eo non fiunt ſenſationes internæ, in quo non eſt tactus; atqui in ſubſtantia cerebri non eſt tactus: ergo etiam in ea non fiunt ſenſationes internæ.

Minor probatur. In eo non fiunt ſenſationes internæ, quod non habet id, quod illis præſupponitur; atqui quod non habet tactum non habet id, quod præſupponitur ſenſationibus internis: ergo in eo non fiunt ſenſationes internæ, in quo non eſt tactus.

Minor pr. Quod non habet id, quod præſup-

ponitur sensationibus externis non habet id, quod præsupponitur internis; atqui quod non habet tactum non habet id, quod præsupponitur sensationibus externis: ergo quod non habet tactum non habet id, quod præsupponitur sensationibus internis.

Solutio: *Neganda est maior. Ratio est, quia tactus non dicitur requiri, & debere præsupponi nisi aliis sensibus externis respectu quorum habet, vt dicatur primus, & omnium communissimus.*

QVARTA CONCLVSIO:

Obiectum sensus interni est quidquid percipitur ab externis, & aliquid amplius.

ILLVD est obiectum sensus interni, quod ab eo percipitur; atqui ab eo percipitur quidquid percipitur ab externis, & aliquid amplius: ergo obiectum sensus interni est quidquid percipitur ab externis, & aliquid amplius.

Prima pars minoris probatur.

Quod percipitur ab externis sensibus est lumen, color, sonus, odor, sapor, primæ qualitates, & impulsus; atqui hæc omnia percipiuntur à sensu interno: ergo & quidquid percipitur ab externis.

Minor pr. Ea omnia percipiuntur à sensu interno, de quibus dormientes cogitant; atqui de illis omnibus dormientes cogitant: ergo ea omnia percipiuntur à sensu interno.

Secunda pars minoris primi argumenti probatur.

Auditio,& viſio, ratio conuenientis, aut diſconuenientis non percipiuntur à ſenſibus externis; atqui percipiuntur à ſenſu interno: ergo à ſenſu interno percipitur aliquid ampliùs, quàm ab externis.

Minor pr. Illud percipitur à ſenſu interno, quod appetitus ſenſitiuus appetit, aut refugit; atqui appetitus ſenſitiuus appetit audire, & videre, & refugit rationem diſconuenientis: ergo auditio, viſio, ratio conuenientis, & diſconuenientis percipiuntur à ſenſu interno.

Minor pr. Appetitus ouis, & appetitus canis ſunt appetitus ſenſitiui; atqui appetitus canis appetit audire, & videre, & appetitus ouis auerſatur rationem diſconuenientis: ergo & appetitus ſenſitiuus.

Minor probatur primò de cane.

Canis audito imperfectè ſono aliquo arrigit aures, & cum ei obuelantur oculi conatur tollere velamen; atqui non poteſt afferri alia ratio, quare arrigat aures, & conetur tollere illud velamen, quàm quia appetit audire, & videre: ergo appetitus ſenſitiuus canis appetit audire, & videre.

Minor præcedentis argumenti pr. ſecundò de oue.

Lupus eſt diſconueniens oui; atqui ouis auerſatur lupum: ergo appetitus ouis auerſatur rationem diſconuenientis.

Obiicies. Ratio, quare ſenſus internus dicatur percipere aliquid aliud à ſenſu externo, eſt, quia percipit rationem conuenientis, & diſconuenientis; atqui non percipit rationem conuenientis, & diſconuenientis: ergo nihil amplius percipit, quàm ſenſus internus.

Maior pr. Sensus internus percipere non potest rationem conuenientis, & disconuenientis, quin discurrat; atqui non discurrit: ergo non percipit rationem conuenientis, & disconuenientis.

Maior pr. Sensus internus percipere non potest rationem conuenientis, aut disconuenientis, quin dicat in oue v. g. lupus me deuorabit si possit: ergo est mihi malus: ergo cauendus: vel tantùm lupus mihi malus est; atqui non dicit tantùm lupus mihi malus est, & dicere primum est discurrere: ergo sensus internus non potest percipere rationem conuenientis, aut disconuenientis, quin discurrat.

Respondeo *dicere tantùm, lupus mihi malus est.*

Contrà. Leo videns lupum non dicit lupus mihi malus est: ergo ouis non debet etiam illud dicere.

Antecedens pr. Oculus ouis nihil magis percipit in lupo, quàm oculus leonis: ergo si leo non dicit lupus mihi malus est, ouis etiam non debet illud dicere.

Solutio: *Oculus ouis nihil magis percipit in lupo, quàm oculus leonis, neque illius sensus internus, quàm sensus internus istius,* Nego. *& sensus internus illius percipit aliquid, quod non percipit sensus internus istius, rationem scilicet, illam disconuenientiæ,* Concedo.

Contrà. Oculus ouis non determinat illam ad percipiendam illam rationem disconuenientiæ, neque quidquam aliud; quodnam enim ergo sensus internus ouis non percipit aliquid, quod non

percipiat sensus internus leonis.

Respondeo, *ouem determinari ab specie non sensata repræsentante disconuenientiam illam lupi.*

Contrà. Deus non est causa illius speciei non sensatæ, neque quidquam aliud: ergo ouis non determinatur ab specie non sensata, ad percipiendam ill m rationem disconuenientiæ.

Antecedens probatur. Nihil est, quod exigat vt Deus producat illam speciem non sensatam: ergo Deus non est causa illius speciei non sensatæ.

Respondeo: *Id quod exigit, vt Deus producat illam speciem esse conseruationem ouis, ad quam necessarium est, vt norit quæ ipsi possunt nocere & quæ non sunt nociua. Cùm enim industria, & arte acquirere non possit sibi illam notitiam, eam ipsi indidisse debuit auctor naturæ, & de facto indidisse illi quotidiana experientia confirmat, sicut & in aliis animalibus, quæ nosse videmus, quæ sunt ipsis, aut non sunt conuenientia.*

Contrà. Species inditæ animantibus, ad conseruationem speciei sunt inditæ indiuiduis omnibus illius speciei; atqui multæ sunt, quas quędam animalia vnius speciei habent, non verò alia: ergo species illæ non sunt inditæ ad conseruationem speciei ab auctore naturæ.

Solutio: *Species inditæ animantibus, ad conseruationem speciei sunt inditæ omnibus indiuiduis illius speciei, & præter illas nullæ dantur aliæ in ipsis*, Nego. *& præter illas dantur aliæ, quæ ab ipsis acquiri possunt*, Concedo. *& concessa minori: ergo species illæ, per quas ouis v.g. apprehendit lupum, vt malum, non fuere illi inditæ ab auctore*

naturæ, Nego. *aliæ, quas ipsa, & alia similia animalia aliter possunt acquirere*, Concedo. *Species non sensatæ sunt duplicis generis, aliæ sunt communes omnibus animalibus alicuius speciei; aliæ non conueniunt omnibus eius indiuiduis, sed tantùm aliquibus. Primas volumus inditas ab auctore naturæ, propterea quod non videamus à quo alio produci potuerint: secundas verò comparasse sibi ea, quæ illas habent non negamus. Exemplum primarum possunt esse illa, quæ sunt in oue, & cane ad percipiendam disconuenientiam lupi, quem timent agnus, & catulus, etsi nunquam priùs visum, & nullo percepto ab eo nocumento: secundarum verò exemplum frequens est in cane, qui timet eum à quo est fuste percussus, quem antea non timebat, sed ei blandiebatur.*

Contrà. Species, quas dicimus secundas, & non communes omnibus animalibus, illa allata v. g. quæ relinquitur ex percussione fustis ingenerat in cane istam cognitionem, herus qui antea mihi bonus erat modò est malus: ergo est iam fugiendus, cùm antea esset sequendus; atqui canis per illam cognitionem discurrit: ergo species, quas vocamus secundas, allata v. g. relicta à percussione fustis, ingenerat in cane cognitionem, per quam discurrit.

Maior probatur. Species relicta à percussione fustis non ingenerat tantum in cane quòd homo, qui illum percussit sit malus: ergo addit prætereà quia est malus est fugiendus, sicut antea sequendus erat, quia erat bonus.

Antecedens pr. Multæ aliæ species ingenerant in animantibus similes cognitiones, vt illæ per

quas canes venatici post aliquorum annorum experientias, non à tergo sequuntur leporem fugientem per viam obliquam, & longiorem ad montem, sed recta, & breuiori via eò citiùs perueniunt, innumeræque aliæ huiusmodi possunt afferri, per quas bruta non tantùm dicunt hoc mihi bonum est, aut malum, sed præterea, illud est sequendum, & amplectendum, & istud fugiendum, quia primum est bonum, & secundum malum: ergo species relicta à percussione fustis, non ingenerat tantùm in cane, quòd qui illum percussit sit ei malus.

Solutio: *Neganda est maior. Ratio est, quia cùm possimus explicare quæcumque afferuntur de modis cognoscendi, qui colliguntur esse in brutis, non concessa eis vi discurrendi, quæ non tantùm reflectit se supra suas cognitiones, sed per tertiam repræsentat obiecta duarum præcedentium, & dicit extrema sui assensus, esse idem inter se, quia sunt idem cum tertio, non debemus eam eis concedere. Quod autem possimus explicare, quæ proponuntur de brutis, eorùmque cognoscendi modis, ostendi potest breuiter reducendo eorum cognitiones ad tres, aut quatuor classes. Prima est illarum per quas vnaquæque ipsorum species habet, vt cognoscat quæ sunt conuenientia, & disconuenientia sibi, & ad solum, & primum intuitum accidentium, propriorum sensuum externorum, & quæ quiuis alius oculus æquè percipit, & fortè clarius: percipit illa præterea obiectum in quo sunt illa accidentia esse sibi disconueniens quod non percipitur ab aliis. Ad huiusmodi cognitiones bruta habent species à Deo, obiecta enim illas non dant. Eas siqui-*

dem cùm ſint agentia neceſſaria perinde producerent in aliis omnibus, à quibus percipiuntur; quod tamen non facere conſtat experientia.

Secunda claſſis eſt illarum cognitionum, quæ non ſunt communes toti alicui ſpeciei, & ſingulis eius indiuiduis, ſed tantùm aliquibus, in quibus ſunt productæ, propterea quod cum aliquo obiecto ſenſus externi experta ſunt coniunctam eſſe rationem conuenientiæ, aut diſconuenientiæ, & hac perceptione excitata ſunt ad proſecutionem, aut auerſationem obiecti. Hac ratione prohibetur canis fuſte percuſſus quòd comederit offam, iterum eam comedere, & quod acceſſum ſuum ad herum ſecuta ſit comeſtio panis, aut opſonij, inuitatur ad ſecundò accedendum, & tertio, coniunctione illa boni conuenientis, aut diſconuenientis proponente ipſius appetitui comeſtionem offæ malam & acceſſum ad herum bonum.

Tertia claſſis, eſt illarum cognitionum per quas canis verbi gratia non ſolum, quod omnes ſimiles faciant apprehendit lupum vt inimicum, aut quod faciunt tantum experti coniunctam eſſe comeſtionem panis cum acceſſu ad herum, aut alio ſimili libenter ad illum accedit, ſed præterea duabus illis cognitionibus addere videtur alias præſtantiores, ad quas ex illis quaſi gradum faciat, & promoueatur, vt cum ad nutum aliquem heri, aut certam vocem panem ante os poſitum non tangit, & deinde ad aliam ſtatim vorat, & ſimilia multa præſtat, ſicut & alia animalia quamplurima, quæ in iis capacitatem aliquam diſciplinæ probare videntur.

Ad has tres claſſes, ſicut reuocari poſſunt om-

nes cognitiones brutorum, ita & explicari omnes sine discursu. De primis enim nulla est difficultas, quandoquidem cum sint in tota specie, & singulis eius indiuiduis, ad illas non peruenitur discursu, qui in omnibus non esset semper idem. Secundæ autem, & tertiæ quæ sunt tantum in aliquibus, cum non sint in iis nisi quatenus obiecto, quod prosequuntur coniungitur ratio conuenientis, & obiecto, quod auersantur, ratio disconuenientis, repræsentatio coniunctionis illius conuenientiæ cum obiecto, quod proponitur, aut disconuenientiæ, determinat illa ad vnius prosecutionem, & alterius auersationem, & pœnæ, quæ infliguntur, quod non fecerint quod exigebatur ab ipsis, non sunt propriæ pœnæ, & punitio ad correctionem; sed ideo adduntur, vt fiat vnum obiectum magis disconueniens, & cuius repræsentatio ipsa magis deterreat, sicut propositio maioris conuenientiæ ipsa rapit.

Addi potest, cum ea, quæ narrantur de formicis non sint minora, neque minus redolentia ratiocinationem, & discursum, quàm quæ referuntur de aliis animalibus cane, vulpe, elephanto, & similibus: sicut mira illa, quæ fiunt à formicis admittuntur fieri sine discursu; fiunt enim ab omnibus illis, & singulis, repræsentatione conuenientiæ vnius obiecti, excitante in ipsis repræsentationem conuenientiæ alterius, & his repræsentationibus correspondentibus in appetitu appetitionibus proportionatis: Ita neque etiam illa dici debere fieri in aliis animalibus per discursum, præsertim cum ad hunc concurrere debeant primo apprehensiones medij, & extremorum præmissarum: secundo apprehensiones identitatis medij, cum extremis: tertio assensus, aut

dissensus circa illam identitatem: quartò apprehensio identitatis extremorum inter se propter identitatem cum medio, & necessitatem huius assensus: quintò assensus circa huiusmodi identitatem: quas omnes cognitiones, & tam perfectas non est æquum concedere brutis, quæ sufficienter, & necessario ad suas operationes, determinantur per propositionem maioris conuenientiæ, quæ ipsis apparet, & hac posita non possunt non operari, ita vt si æqualis conuenientia duorum obiectorum appareat, vnum non possit prosequi relicto alio, cùm vtrumque simul habere non possunt, quod experientia confirmatum volunt nonnulli in cane famelico ante cuius os, & in æquali ab ipso distantia appositi cibi æqualis conuenientiæ mansere intacti, quandiu cibus qui erat ex parte dextra, non propiùs admotus est eius ori, quàm qui erat collocatus ad sinistram.

QVINTA CONCLVSIO:

Sensus internus ad primas suas operationes accipit species ab actibus sensuum externorum.

SENSVI interno ad primas suas operationes vel satis est sola sympathia, vel accipere debet species ab aliquo; atqui non est ei satis sola sympathia, & non accipit species ab alio, quàm ab actibus sensuum externorum: ergo sensus internus ad primas suas operationes, accipit species ab actibus sensuum externorum.

Prima pars minoris probatur.

Sympathia nihil aliud est, quàm quasi monitio, aut necessitas in anima ex eo quod operetur in vna parte per aliquam potentiam, vt operetur in alia per aliam potentiam; atqui non sufficit monitio in anima, & nulla est in ea necessitas ex eo quod operetur in pede v.g. per tactum, vt operetur in capite per sensum internum: ergo sensui interno ad primas suas operationes satis non est sola sympathia.

Minor probatur. Nulla est necessitas in anima ad operandum in capite per sensum internum, cum caret aliquo necessario ad agendum; atqui cum est sola monitio ex eo quod operetur in pede, vt operetur in capite, caret aliquo necessario vt in isto operetur: ergo non sufficit monitio in anima, & nulla est in ea necessitas, ex eo, quod operetur in pede, vt operetur in capite.

Minor probatur. Sensus internus ad suas omnes operationes indiget speciebus, aut aliquo supplente earum vices; atqui cum est sola monitio ex eo, quod operetur in pede, vt operetur in capite, caret speciebus, & supplente earum vices; ergo cum est sola monitio ex eo, quod anima operetur in pede, vt operetur in capite, caret aliquo necessario ad agendum in capite.

Probatur maior, minor enim clara est.

Potentia cognoscitiua creata maximè materialis indiget ad suas operationes specie impressa, aut aliquo supplente eius vices; atqui sensus internus est potentia cognoscitiua creata, & materialis: ergo indiget speciebus ad omnes suas operationes.

Maior pr. Potentia quæ non percipit suum obiectum ex eo præcisè quòd sit cognoscibile, indiget specie ad operationem per quam illud percipit, aut aliquo supplente vices speciei; atqui potentia cognoscitiua creata, non percipit obiectum suum ex eo præcisè quòd sit cognoscibile, & multò minùs illa, quæ est materialis: ergo potentia cognoscitiua creata & multò magis materialis indiget ad suas operationes specie impressa, aut aliquo supplente eius vices.

Secunda pars minoris primi argumenti, sensum internum non accipere species ab alio, quàm ab actibus sensuum externorum, probatur.

Sensus internus ad primas suas operationes accipit species, vel ab actibus sensuum externorum, vel ab ipsorum obiectis; atqui non accipit illas ab eorum obiectis: ergo accipit illas ab ipsorum actibus.

Minor pr. Sensus internus non accipit species ab illis, quæ non possunt propagare eas vsque ad cerebrum; atqui obiecta sensuum externorum non possunt vt plurimùm eas propagare vsque ad cerebrum: ergo sensus internus non accipit species ab obiectis sensuum externorum.

Minor pr. Obiecta sensuum externorum non possunt vt plurimùm propagare suas species per intermedia corpora opaca; atqui inter ipsa, & cerebrum sunt sæpè vt patet intermedia corpora opaca: ergo obiecta sensuum externorum non possunt vt plurimùm propagare suas species vsque ad cerebrum.

Obiicies contra hanc secundam partem.

Operatio tactus, in pede v. g. est actus sensus

externi ; atqui sensus internus ad primam suam operarionem illi correspondentem non accipit ab illa species : ergo neque ad alias suas primas operationes ab actibus sensuum externorum.

Minor pr. Operatio tactus in pede propagare non potest suas species vsque ad cerebrum:ergo sensus internus non accipit ab illa species.

Antecedens pr. Operatio tactus non magis potest propagare suas species ad cerebrum, quàm eius obiectum; atqui eius obiectum ex probatione conclusionis non potest illas propagare :ergo neque operatio tactus in pede.

Maior pr. Ideo obiectum non potest illas propagare, quia ab ipso ad cerebrum est via impedita per corpus opacum, meninges scilicet, & cranium; atqui etiam ab operatione tactus in pede ad cerebrum est via impedita per corpus opacum,carnem scilicet, & ossa intermedia:ergo operatio tactus in pede non magis propagare potest suas species vsque ad cerebrum,quàm eius obiectum.

Solutio : Atqui *etiam ab operatione tactus in pede ad cerebrum est via recta impedita per corpus opacum, carnem scilicet,& ossa*, transeat. *via obliqua ratione neruorum, qui subministrant spiritus animales,& deriuantur à cerebro ad pedem per varios gyros*, Nego. ergo *operatio tactus in pede non magis propagare potest suas species via recta ad cerebrum, quàm eius obiectum*, Concedo. *via obliqua*, Nego.

Contrà. Non minùs est via obliqua non impedita per corpus opacum ab obiecto ad cerebrum, quàm ab operatione tactus:ergo operatio

tactus non magis potest per illam propagare suas species ad cerebrum, quàm obiectum.

Solutio: *Non minùs est via obliqua non impedita per corpus opacum ab obiectu ad cerebrum, quàm ab operatione tactus in pede, & illud ad tam dissitum spatium propagare potest sui speciem*, Nego. *& non potest*, Concedo. *Quod certè vel ex eo patet quod ex minori distantia protendere eas non possit ad organum sensus externi. Ei enim debet esse immediatum; atque hæc eius impotentia experientia cognita, est efficax haud dubiè ad ostendendum sensum internum non accipere ab eo species, sed ab actibus sensuum externorum, qui per neruos, & spiritus animales, qui per hos deferuntur protendunt vsque ad cerebrum speciem repræsentatiuam sui, & obiecti. Aduertimus enim cùm volumus illud esse sensatum.*

SECTIO XI.

De Appetitu sensitiuo.

VIs cognoscendi quæ conuenientia sunt, aut disconuenientia non est concessa à natura in alium finem naturæ sensitiuę, quàm vt prima prosequeretur, & secunda auersaretur. Huius autem prosecutionis, & fugæ quodnam sit principium statuendum nobis est.

PRIMA CONCLVSIO:

Datur appetitus sensitiuus.

DARI debet in animalibus principium aliquod affectuum amoris, odij, & iræ, qui sunt in illis; atqui illud principium non potest esse aliud, quàm appetitus sensitiuus: ergo datur appetitus sensitiuus.

Minor pr. Principium illorum affectuum non potest esse nisi vel sensus internus, vel externus; atqui neque sensus internus, neque externus sunt principium illorum affectuum: ergo debet esse appetitus.

Minor pr. Sensus internus, & externus sunt tantum principium cognitionum externarum, aut internarum; atqui isti affectus non sunt cognitiones, neque externæ, neque internæ: ergo neque sensus externus, neque internus sunt principium illorum.

Maior pr. Isti affectus sunt appetitiones; atqui appetitiones non sunt cognitiones neque internæ, neque externæ: ergo neque isti affectus.

Minor pr. Cognitiones tum internæ, tum externæ trahunt quasi obiectum ad suum subiectum. Appetitiones verò transferunt quasi suum subiectum ad obiectum: ergo appetitiones non sunt cognitiones.

SECVNDA CONCLVSIO:

Vnus est tantùm realiter appetitus sensitiuus.

APPETITVS sensitiuus est tantùm concupiscibilis, aut irascibilis; atqui concupiscibilis non distinguitur realiter ab irascibili: ergo vnus est tantùm realiter appetitus sensitiuus.

Minor probatur. Appetitus sensitiuus concupiscibilis appetit bonum simpliciter, & irascibilis bonum arduum, & difficile; atqui appetitus, qui appetit bonum simpliciter non distinguitur realiter ab eo, qui appetit bonum arduum: ergo neque concupiscibilis ab irascibili.

Minor pr. Ratio distinguendi appetitum, qui appetit bonum simpliciter, ab eo, qui appetit bonum arduum, non videtur alia quàm quia qui appetit bonum arduum appetere non potest bonum simpliciter; atqui qui appetit bouum arduum appetere potest bonum simpliciter: ergo appetitus, qui appetit bonum simpliciter non distinguitur realiter ab eo, qui appetit bonum arduum.

Minor pr. Quod potest difficilius, potest & facilius in eodem genere; atqui appetere bonum arduum est difficilius, quàm appetere bonum simpliciter, & illa sunt eiusdem generis: ergo qui appetit bonum arduum appetere potest bonum simpliciter.

Obiicies. Appetitus sensitiuus est inclinatio in

bonum consequenter ad cognitionem; atqui non est tantùm vna huiusmodi inclinatio consequenter ad cognitionem : ergo neque vnus tantùm appetitus.

Minor pr. Tot sunt inclinationes in bonum ex præuia cognitione, quot sunt diuersa genera cognitionum; atqui sunt sex diuersa genera cognitionum : ergo non est tantùm vna inclinatio in bonum ex præuia cognitione.

Maior pr. Tot sunt inclinationes in bonum ex præuia cognitione, quot debent correspondere diuersis generibus cognitionum; atqui vnicuique diuerso generi cognitionum correspondere debet propria inclinatio in bonum : ergo tot sunt inclinationes in bonum ex præuia cognitione, quot sunt diuersa genera cognitionum.

Minor pr. Diuersa illa genera cognitionum sunt ea sensus interni, & externorum; atqui illis correspondere debet propria inclinatio in bonum : ergo vnicuique diuerso generi cognitionum correspondere debet propria inclinatio in bonum.

Solutio : *Neganda est minor, quoad secundam partem de sensibus externis. Cùm enim hi non repræsentent rationem boni & mali, seu conuenientis, aut disconuenientis, inutilis esset, quæ illis concederetur inclinatio in bonum, seu conueniens, quæ non est in id, quod non habet huiusmodi conuenientiam.*

TERTIA CONCLVSIO:

Organum appetitus est cerebrum.

ILLVD est organum appetitus, in quo fit appetitio; atqui appetitiones fiunt in cerebro: ergo organum appetitus est cerebrum.

Minor pr. In eo fiunt appetitiones, in quo fiunt sensationes internæ; atqui sensationes internæ fiunt in cerebro: ergo & appetitiones.

Maior probatur. In eo fiunt appetitiones, quod est appetens; atqui in eo quod est appetens fiunt sensationes internæ: ergo in eo fiunt appetitiones, in quo sensationes.

Minor pr. Sensationes internæ sunt in eo, quod est cognoscens; atqui quod est appetens est cognoscens: ergo sensationes internæ fiunt in eo, quod est appetens.

Minor pr. Illud debet esse cognoscens quod ferri non potest in incognitum; atqui principium appetens ferri non potest in incognitum: ergo quod est appetens debet esse cognoscens.

Obiicies. Appetitio non fit in cerebro: ergo cerebrum non est organum appetitus.

Minor pr. Appetitiones fieri non debent in cerebro simul, & corde; atqui fiunt in corde: ergo non fiunt in cerebro.

Minor pr. Appetitiones sunt bonæ, vel malæ; atqui & bonæ, & malæ fiunt in corde: ergo appetitiones fiunt in corde.

Minor pr. In illo fiunt appetitiones bonæ, & malæ, quod dicitur rectum, & prauum; atqui cor dicitur rectum, & prauum in scriptura: ergo

appetitiones bonæ, & malæ fiunt in corde.

Maior pr. In eo fiunt appetitiones, in quo conspiciuntur alterationes prouenientes ab appetitionibus; atqui illæ conspiciuntur in eo, quod ab illis dicitur prauum, aut rectum: ergo in illo fiunt appetitiones, quod ab illis dicitur rectum, & prauum.

Solutio: *Neganda est maior. Ratio est, quia non est necessarium, vt appetitiones excitent illas alterationes vbi sunt. Possunt enim hoc facere per potentiam motiuam in aliis partibus: quòd autem cerebrum non dicatur prauum, aut rectum sicut cor, ratio est, quia cùm humores multum conferant ad bonas, aut malas affectiones, & illi maximè vigeant in corde, inde est, vt cor dicatur prauum, aut rectum scilicet quasi causaliter, non autem formaliter per vnionem cum rectitudine, aut prauitate.*

DISPVTATIO IV.

De Anima rationali.

DISPVTATIONEM de anima rationali, ideo non præposuimus duabus præcedentibus, quia cùm ipsa sit, & vegetatiua, & sensitiua, agendo de his, quæ ad illam, & ad istam pertinēt; agebamus quoque de illis, quæ ipsi sunt cum cæteris formis viuentibus communia, & viam mu-

aliis, quæ ipsi sunt propria,& facilius erit iam intelligere.

SECTIO I.

Quænam sit natura, & essentia animæ rationalis?

PRIMA CONCLVSIO:

Anima rationalis est vera forma corporis humani.

ILLVD est vera forma corporis humani, quod illud præsupponit, & ei vnitur; atqui anima rationalis præsupponit corpus, & ei vnitur: ergo est vera illius forma.

Prima pars minoris probatur.

Corpus hominis est materia prima; atqui anima rationalis præsupponit materiam primam: ergo & corpus.

Minor pr. Anima rationalis præsupponit illud, quod extitit ante illam; atqui materia prima extitit ante animam rationalem: ergo hæc illam præsupponit.

Minor pr. Illud extitit ante animam rationalem, quod extitit ipso mundi principio; atqui materia prima extitit ipso mundi principio: ergo & ante animam rationalem.

Secunda pars minoris primi argumenti, animam rationalem vniri corpori, probatur.

Anima rationalis debet vniri corpori, vel tantum habere vbicationem in illo; atqui non habet tantum vbicationem in illo: ergo est illi vnita.

Minor pr. Vt anima habeat vbicationem in corpore non requirit vllas in eo dispositiones; atqui anima requirit dispositiones in corpore: ergo non habet tantùm vbicationem in illo.

Maior pr. Non magis anima requirit in corpore dispositiones, vt habeat in illo vbicationem quàm in aliis rebus; atqui vt habeat vbicationem in aliis rebus non requirit vllas dispositiones: ergo neque vt habeat illam in corpore.

Minor pr. Anima habere potest vbicationem in cœlo, in inferis, &c. atqui non requirit vllas dispositiones in cœlo, in inferis, &c. ergo non requirit vllas dispositiones vt habeat vbicationem in aliis rebus.

Minor sexti argumenti superioris, scilicet vt anima sit in corpore requirere in eo dispositiones, pr.

Illud requirit dispositiones in corpore, quod illis deficientibus desinit esse in illo; atqui deficientibus dispositionibus in corpore, anima desinit esse in illo: ergo anima, vt sit in corpore requirit in eo dispositiones.

Minor probatur. Cùm homo moritur, anima desinit esse in corpore; atqui cum deficiunt dispositiones moritur homo: ergo desinit etiam anima esse in corpore.

Obiicies. Quod est forma corporis humani est eius actus; atqui anima non potest esse actus corporis humani: ergo anima non est vera forma corporis humani.

Minor probatur. Quod est actus alterius de-

bet esse eiusdem generis, & habere proportionem cum illo; atqui anima non est eiusdem generis, & non habet proportionem cum corpore: ergo non est eius actus.

Minor probatur. Illud non est eiusdem generis & non habet proportionem cum corpore, quod est spiritale; atqui anima rationalis est spiritalis: ergo non potest esse eiusdem generis, & non habet proportionem cum corpore.

Solutio: *Quod est spiritale non habet proportionem cum corpore, hoc est, non est extensum, & habens molem*, Concedo. *hoc est, non potest recipi in eo*, Nego. *& concessa minori: ergo anima rationalis non est eiusdem generis, & non habet proportionem cum corpore, hoc est, non est extensa, & habens molem*, Concedo. *hoc est non potest recipi in eo*, Nego.

Contrà. Anima non potest recipi in eo, cui non potest vniri; atqui anima non potest vniri corpori: ergo non potest in eo recipi.

Minor pr. Anima non potest vniri corpori nisi vnione destructibili, vel indestructibili; atqui non vnitur ei neque vnione destructibili, neque indestructibili: ergo non potest vniri corpori.

Respondeo *vniri vnione destructibili.*

Contrà. Quod vnitur alteri vnione destructibili potest ab eo separari; atqui anima dici non potest separari à corpore: ergo neque ei vniri vnione destructibili.

Minor pr. Anima separata à corpore iterum se vnire ei non potest; atqui non potest dici, quod ei iterum se vnire non possit: ergo anima dici non potest separari à corpore.

Minor probatur. Animam se iterum vnire non posse corpori est manere æternum sine vnione cum corpore; atqui dici non potest manere æternùm sine vnione cum corpore: ergo dici non potest quòd non possit iterum se vnire corpori.

Minor probatur. Animam manere æternùm sine vnione cum corpore, est manere perpetuò in statu violento; atqui non potest manere perpetuò in statu violento: ergo neque æternùm sine vnione cum corpore.

Maior probatur. Illud est perpetuò in statu violento, quod æternùm caret aliquo, quod exigit; atqui anima rationalis exigit vnionem cum corpore: ergo manens æternùm sine vnione cum corpore manet perpetuò in statu violento.

Solutio: *Quod caret aliquo quod exigit, manet in statu violento propriè dicto*, Nego. *impropriè dicto*, Concedo. *& concessa minori: ergo manens æternum sine vnione cum corpore manet perpetuò in statu violento propriè dicto*, Nego. *impropriè dicto*, Concedo. *Status violentus propriè dictus, & qui non potest esse perpetuus, est ille, in quo res non tantum caret aliquo sibi debito, sed etiam habet aliquid sibi positiuè repugnans, quod conatur destruere, vt cum aqua habet calorem, qua proinde pugna cum non possit esse perpetua, nec etiam ille status potest esse perpetuus. Status verò violentus impropriè dictus est ille, in quo res caret præcisè aliquo, quod exigit, quod cum aliquando ipsa, neque illud reparare, neque ab aliis agentibus habere possit, mirum esse non debet quòd æternum maneat sine illo, & talis est status animæ separatæ, & carentis vnione cum corpore, quam destructam neque ipsa neque*

alia agentia creata possunt reparare.

Contrà. Anima non potest manere æternum in statu illo violento impropriè dicto: ergo nulla solutio.

Antecedens pr. Deus potest, & tenetur illi dare vnionem destructam: ergo anima non potest manere æternum in statu illo violento impropriè dicto.

Prima pars antecedentis est certa, & secunda pr.

Deus tenetur dare rebus naturalibus, quod exigunt; atqui anima est res naturalis, & exigit vnionem cum corpore: ergo Deus tenetur eam illi dare.

Solutio: *Deus tenetur dare rebus naturalibus, quod exigunt, cum huic exigentiæ non se opponit alia præualens,* Concedo. *cum alia præualens se opponit,* Nego. atqui *anima rationalis est res naturalis, & exigit vnionem cum corpore, & alia exigentia præualens non se opponit huic exigentiæ,* Nego. *& alia se opponit,* Concedo. *Exigentia illa alia quæ se opponit, est, quòd non sint dispositiones in materia ad ipsius receptionem, & si dicas eas dispositiones exigi ab ipsa anima, & de hoc esse difficultatem. Dico huic etiam exigentiæ oppositam esse aliam nouæ animæ, & quæ nondum fuerit, quam dispositiones illæ exigunt, potius quàm veterem ad pulchritudinem vniuersi, ad quam multum confert multiplicatio indiuiduorum.*

Contrà. Deus concedet animabus damnatis reproductionem vnionis ipsarum cum corpore in die extremi iudicij: ergo non est alia exigentia, quæ se opponat illi formæ veteris, & propter quam Deus non teneatur ei satisfacere.

Consequentia pr. Nulla exigentia præualens opponit se illi, cui Deus obsecundando, quod concedit, non est beneficium; atqui reproductio vnionis animarum damnatarum cum ipsarum corpore, non conceditur ipsis à Deo tanquam beneficium: ergo non est alia exigentia præualens illi, consequenter ad quam fit illa reproductio à Deo.

Solutio: *Nulla exigentia præualens opponit se illi, cui Deus obsecundando, quod tribuit non est beneficium, nec pœna, aut via ad pœnam*, Concedo. *non est beneficium verè, & propriè*, Nego. atqui *reproductio vnionis animarum damnatarum cum ipsarum corpore, non conceditur ipsis à Deo tanquam beneficium, nec tanquam pœna, aut via ad pœnam*, Nego. *tanquàm beneficium præcisè, & verè, & propriè*, Concedo.

Contrà. Deus ex concessis tribuit animabus damnatis reproductionem vnionis cum ipsarum corpore tanquam pœnam; atqui Deus, vtpotè summus legislator tenetur illis infligere pœnam: ergo tenetur tribuere illis illam reproductionem vnionis.

Solutio: Atqui *Deus, vtpotè summus legislator, tenetur illis infligere pœnam aliquam*, transeat. *Posset enim condonare omnem: hanc certam, & determinatam*, Nego. ergo *Deus tenetur tribuere illis reproductionem vnionis, & non est alia pœna, nec alius modus puniendi illas animas, quàm per illam reproductionem vnionis*, Nego. *& sunt multæ aliæ pœnæ æquè expiatiuæ criminum ipsarum, & varii alii modi puniendi illas animas etiam seuerius per maiorem intensionem*

scilicet, pœnarum propriarum animæ, & ad quas non requiruntur neque organa, nec ministerium sensuum, Concedo.

Contrà. Reproductio vnionis animarum beatarum cum ipsarum corpore, non datur ipsis tanquam merces, aut via, & quid requisitum ad præmium: ergo neque damnatis tanquam pœna, aut via, & quid requisitum ad pœnam.

Antecedens pr. Deus tenetur dare animabus iustis reproductionem vnionis pro mercede, aut requisito ad mercedem: ergo & damnatis tribuit eandem pro pœna, aut requisito ad pœnam.

Antecedens pr. Illud Deus tenetur dare animabus iustis pro mercede, aut requisito ad mercedem, quod reddet illis ex iustitia in die extremi iudicij; atqui ex D. Paulo reddet illis illam reproductionem vnionis tanquam mercedem, aut requisitum ad mercedem: ergo Deus tenetur dare animabus iustis reproductionem vnionis pro mercede, aut requisito ad mercedem.

Minor probatur. Deus non reseruat aliud retribuendum animabus iustis in diem extremi iudicij, quàm reproductionem vnionis cum ipsarum corpore: ergo ex D. Paulo Deus reddet eam illis in die extremi iudicij tanquam mercedem, aut quid requisitum ad mercedem ipsis debitam.

Solutio præcedentis argumenti: *Illud Deus tenetur dare animabus iustis pro mercede, aut requisito ad mercedem, quod reddet illis in die extremi iudicii ex iustitia propria, & rigorosa,* Concedo. *ex non rigorosa, & quæ est tantum fidelitas, & fundata in liberali promissione,* Nego. atqui

ex D. Paulo reddet illis illam reproductionem vnionis in die extremi iudicij tanquam mercedem, aut quid requisitum ad mercedem ex iustitia propria, & rigorosa, Nego. *ex non rigorosa, & quæ est tantùm fidelitas, & fundata in liberali promissione*, Concedo.

Contrà. Verba D. Pauli, *quam reddet mihi in illa die iustus iudex*, significant iustitiam rigorosam: ergo reproductio vnionis reddenda est ex iustitia rigorosa animabus iustis pro mercede.

Antecedens pr. Verba illa significant iustitiam propriam iudicis; atqui iustitia propria iudicis, & secundùm quam agit vt iudex, est rigorosa: ergo verba illa D. Pauli significant iustitiam rigorosam.

Solutio: *Verba illa significant iustitiam propriam iudicis delegati*, Nego. *supremi*, Concedo. atqui *iustitia propria iudicis, & secundùm quam agit vt iudex delegatus, & non supremus est rigorosa*, Concedo. *secundùm quam agit vt iudex supremus, & simul absolutissimus rerum omnium dominus, qualis est Deus*, Nego. *Neque enim creatura acquirere potest vllum proprium, & strictum ius supra ipsum, cui quidquid est, & esse potest, ei totum debet, & semper debet.*

Contrà. Iustitia non tantùm propria iudicis, sed ipsius, vt iusti, significat iustitiam rigorosam; atqui D. Paulus asserit Deum redditurum mercedem non tantùm vt iudicem, sed præterea vt iustum iudicem: ergo significat redditurum illam ex iustitia rigorosa.

Solutio: *Iustitia propria non tantùm iudicis,*

sed ipsius, vt iusti iudicis delegati significat iustitiam rigorosam, Concedo. *vt iusti iudicis supremi,* Nego. atqui *D. Paulus asserit Deum redditurum mercedem, non tantùm vt iudicem, sed præterea, vt iustum iudicem delegatum, & non supremum,* Nego. *vt iustum iudicem supremum, & cuius sit beneficium quidquid habet creatura, & habere potest,* Concedo.

Responderi etiam posset reddendam illam mercedem ex iustitia rigorosa quoad formam, quia nimirum, vt exprimit sacer contextus seruabitur in illa die forma perfecti iudicij, per pronuntiationem sententiæ post cognitionem causæ, in qua etiam ipsi Apostoli sedebunt iudices, vt promisit ipsis Christus illis verbis: sedebitis & vos iudicantes duodecim tribus Israël.

SECVNDA CONCLVSIO:

Anima rationalis est spiritalis.

ILLVD est spiritale, quod non dependet ab vllo impenetrabili, & ipsum est penetrabile cum alio eiusdem speciei; atqui anima rationalis non dependet ab vllo impenetrabili, & ipsa est penetrabilis cum aliis eiusdem secum speciei: ergo est spiritalis.

Prima pars minoris probatur.

Illud non dependet ab vllo impenetrabili, quod existere potest sine vllo impenetrabili; atqui anima rationalis existere potest sine vllo impenetrabili: ergo non dependet ab vllo impenetrabili.

Minor probatur. Impenetrabile, ſine quo anima rationalis dici poteſt non poſſe exiſtere, eſt materia, aut quantitas; atqui anima rationalis exiſtere poteſt ſine materia, & quantitate: ergo & ſine vllo impenetrabili.

Minor pr. Quod exiſtit de facto ſeparatum à materia, & quantitate exiſtere poteſt ſine materia, & quantitate; atqui anima rationalis exiſtit de facto ſeparata à materia, & quantitate: ergo exiſtere poteſt ſine illis.

Secunda pars minoris primi argumenti, animam eſſe penetrabilem cum aliis eiuſdem ſpeciei, probatur.

Illud eſt penetrabile cum alio eiuſdem ſpeciei, quod poteſt eſſe cum illo naturaliter in eodem ſpatio; atqui anima rationalis eſſe poteſt naturaliter in eodem ſpatio cum aliis ſecum eiuſdem ſpeciei: ergo eſt penetrabilis cum illis.

Minor pr. Animæ rationales ſunt inter ſe eiuſdem ſpeciei; atqui vna poteſt eſſe naturaliter in eodem ſpatio cum aliis: ergo & cum iis, cum quibus eſt eiuſdem ſpeciei.

Obiicies. Ideo anima rationalis dicitur ſpiritalis, quia eſt penetrabilis cum alio ente eiuſdem ſpeciei, & non dependet ab vllo impenetrabili; atqui quod eſt penetrabile cum alio eiuſdem ſpeciei, & non dependet ab vllo impenetrabili non eſt ſpiritale: ergo anima rationalis non eſt ſpiritalis.

Minor pr. Albedo facta per creationem eſt penetrabilis cum alia eiuſdem ſpeciei, & non dependet ab vllo impenetrabili; atqui illa non eſt ſpiritalis: ergo quod eſt penetrabile cum alio

eiusdem speciei, & non dependet ab vllo impenetrabili non est spiritale.

Solutio: *Albedo facta per creationem non dependet ab vllo impenetrabili, neque exigit dependere*, Nego. *& exigit dependere*, Concedo. *& concessa minori*: ergo *illud non est spiritale, quod est penetrabile cum alio eiusdem speciei, & non dependet ab vllo impenetrabili, nec exigit dependere*, Concedo. *si exigit dependere*, Nego.

Contrà. Creatio illius albedinis non dependet ab vllo impenetrabili, neque exigit dependere; atqui illa creatio non est spiritalis: ergo illud non est spiritale quod neque dependet, neque exigit dependere ab vllo impenetrabili.

Solutio: *Creatio illius albedinis non dependet ab vllo impenetrabili immediatè*, Concedo. *mediatè*, Nego. *& concessa minori*: ergo *quod non exigit dependere, neque immediatè, neque mediatè à re impenetrabili est spiritale*, Concedo. *immediatè tantùm*, Nego. *Mediatum illud à quo dependet illa creatio, est quantitas à qua immediatè exigit dependere albedo ipsius terminus.*

Contrà. Quod non dependet ab vllo dependente immediatè à quantitate, non dependet ab ea mediatè; atqui creatio illius albedinis non dependet ab vllo dependente immediatè actu, aut secundùm exigentiam à quantitate: ergo creatio illius albedinis non dependet mediatè à quantitate.

Minor pr. Nihil est aliud dependens immediatè à quantitate, à quo ipsa possit dici dependere, quàm albedo; atqui non dependet ab albedine: ergo neque ab vllo quod dependeat immediatè à quantitate.

Minor pr. Quod dat esse albedini non dependet ab albedine; atqui creatio illa dat esse albedini: ergo non dependet ab illa.

Solutio : *Quod dat esse albedini non dependet ab illa à priori*, Concedo. *à posteriori*, Nego. *& concessa minori*: ergo *creatio illa non dependet ab albedine à priori*, Concedo. *à posteriori*, Nego. *Ei enim essentialiter est affixa: ita vt ne diuinitus quidem sine illa esse possit, quo fit vt tam verè dicatur ab illa dependere, ac si dependeret à priori.*

Tertia Conclusio:

Anima rationalis est immortalis.

Illa forma est immortalis, quæ perseuerat destructa vnione eius cum materia; atqui anima rationalis perseuerat destructa vnione eius cum materia: ergo anima rationalis est immortalis.

Minor pr. Materia eius est corpus; atqui perseuerat destructa eius vnione cum corpore: ergo & destructa vnione cum materia.

Minor pr. Illud non est negandum quod non repugnat, communis est sensus ita esse, scriptura asserit, & ratio efficax suadet; atqui non repugnat animam rationalem perseuerare destructa eius vnione cum corpore, communis est sensus ita se habere, scriptura hoc de illa asserit, & ratio efficax idem persuadet: ergo anima rationalis perseuerat destructa eius vnione cum corpore.

Duæ primæ partes minoris claræ sunt, & tertia probatur.

Illud perseuerat destructa vnione cum corpo-

re, quod non tangit tormentum mortis; atqui animas ex scriptura non tangit tormentum mortis: ergo ex scriptura anima perseuerat destructa eius vnione cum corpore.

Minor pr. Legimus Sap. 3. *Iustorum animæ in manu Dei sunt, & non tangit illos tormentum mortis*: ergo tormentum mortis non tangit animas.

Quarta pars, rationem efficacem suadere animam perseuerare destructa eius vnione cum corpore, probatur.

Ratio efficax suadet debere animam recipere pœnam, aut præmium suorum rectè factorum, aut malè gestorum; atqui neque pœnam, neque præmium horum recipere potest, nisi perseueret destructa eius vnione cum corpore: ergo ratio efficax suadet animam perseuerare destructa eius vnione cum corpore.

Minor pr. Anima debet recipere pœnam, aut præmium rectè factorum, aut malè gestorum, cùm est vnita corpori, aut destructa eius vnione cum ipso; atqui non recipit illa cùm est vnita corpori: ergo debet illa recipere destructa eius vnione cum corpore.

Minor pr. Anima tunc non recipit mercedem rectè factorum quando affligitur, neque pœnam malè gestorum quando bene habet, & est in deliciis; atqui anima multorum iustorum quandiu est vnita corpori affligitur grauissimis malis, & anima improborum benè habet, & est in deliciis: ergo cùm anima est vnita corpori, non recipit præmium rectè factorum, neque pœnam malè gestorum.

Minor pr. Animæ Martyrum, qui inter duris-

ſimos, & diuturnos cruciatus obiere, quandiu fuere vnitæ corpori duriſſimis malis afflictæ fuerunt,& animæ tyrannorum ipſos vexantium benè habuere, & fuere in deliciis; atqui Martyres erant iuſti,& tyranni improbi: ergo anima multorum iuſtorum quandiu fuit vnita corpori afflicta eſt grauiſſimis malis, & anima tyrannorum ipſos vexantium benè habuit,& fuit in deliciis.

Reſpondent ad præcedens argumentum: *Anima tunc non recipit mercedem rectè factorum intrinſecam,& propriam virtutis cùm affligitur grauiſſimis malis, ſicut nec pœnam malè factorum intrinſecam,& propriam vitij cùm benè habet,& eſt in delicijs,* Nego. *extrinſecam,* Concedo. *& conceſſa minori:* ergo *anima dum eſt vnita corpori, non recipit mercedem rectè factorum, neque pœnam malè factorum intrinſecam,* Nego. *extrinſecam*, Concedo. *Merces, & pœna extrinſeca eſt illa quam largitur, aut infligit legislator, & habens poteſtatem. Intrinſeca verò eſt illa, quæ coniuncta eſt,& inſeparabiliter vnita virtuti, aut vitio, eſtque ſatisfactio interna, aut remorſus conſcientiæ benè, vel malè actorum.*

Contrà. Virtus, & vitium debent non tantùm habere remunerationem intrinſecam, aut punitionem; ſed etiam extrinſecam, & quæ eſt à legiſlatore, & habente poteſtatem; ergo nulla ſolutio.

Antecedens pr. Eſt de officio, & munere legislatoris, & habentis poteſtatem præmiare virtutem,& punire vitium, præmio,& punitione proueniente ab ipſo: ergo virtus, & vitium debent habere non tantùm remunerationem intrinſe-

cam, aut punitionem, sed etiam extrinsecam.

Respondent: *Est de officio legislatoris, & habentis potestatem præmiare virtutem, & punire vitium de facto*, Nego. *posse præmiare, aut punire*, Concedo. *Ratio autem cur non debeat necessariò præmiare, aut punire de facto, est quia potest reo remittere pœnam, & obsequium præstitum ab studioso virtutis vendicare sibi tanquam debitum aliis titulis.*

Contrà. Vtvt sit de præmiatione, & punitione de facto, ex concessis est de officio legislatoris, & habentis potestatem posse præmiare, & punire: ergo nulla solutio.

Consequentia probatur. Ad hoc vt legislator possit prẹmiare, aut punire animam, necessarium est, vt ipsa perseueret destructa eius vnione cum corpore; atqui de officio legislatoris est vt illam possit præmiare, aut punire ex concessis: ergo anima debet perseuerare destructa eius vnione cum corpore.

Maior pr. Quod non est, non potest remunerari, neque puniri: ergo necessarium est, vt legislator possit præmiare, aut punire animam, vt ipsa perseueret destructa eius vnione cum corpore.

Respondebunt fortè: Ergo *necessarium est, vt legislator possit præmiare, aut punire animam, vt ipsa destructa eius vnione cum corpore perseueret, per tempus requisitum ad accipiendam remunerationem rectè gestorum, aut subeundam pœnam malè actorum*, Concedo. *vt perseueret semper*, Nego.

Contrà. Anima aliquandiu perseuerans destructa eius vnione cum corpore debet semper per-

seuerare : ergo nulla solutio.

Antecedens pr. Non debet destrui : ergo debet semper perseuerare.

Antecedens probatur. Quod non est in subiecto, non habet contrarium,& adest ipsi causa conseruans, ipsiúsque natura non petit, vt breui desinat non debet destrui; atqui anima destructa eius vnione cum corpore non habet contrarium,non est in subiecto,adest ipsi causa conseruans, & eius natura non petit breui desinere:ergo anima perseuerans aliquandiu destructa eius vnione cum corpore,non debet destrui.

Tres primæ partes minoris claræ sunt, & tertia probatur.

Quod est capax possessionis summi boni, & beatitudinis, non petit natura sua breui desinere; atqui anima est capax summi boni, & beatitudinis,& eam appetit:ergo natura sua non petit breui desinere.

Minor probatur primò.

Illud est capax possessionis summi boni,& beatitudinis,quod nullo bono finito satiatur, nec satiari potest; atqui anima nullo bono finito satiatur nec satiari potest : ergo est capax summi boni, & beatitndinis.

Maior præcedentis argumenti probatur.

Illud non petit natura sua breui desinere,quod appetit habere annexam securitatem nunquam desinendi; atqui quod ex capax possessionis summi boni,& beatitudinis, appetit habere annexam securitatem nunquam desinendi : ergo quod est capax possessionis summi boni, & beatitudinis non petit naturâ suâ breui desinere.

Minor pr. Illud appetit habere annexam securitatem nunquam desinendi, quod appetit habere securitatem nunquam amittendi possessionem summi boni; atqui quod est capax possessionis summi boni, & beatitudinis appetit habere securitatem nunquam amittendi possessionem summi boni,& beatitudinis : ergo appetit etiam habere securitatem nunquam desinendi.

Antecedens pr. Securitas non amissionis beatitudinis annexa est necessariò ei,quo appetitus satiatur ; atqui appetitus satiatur possessione summi boni:ergo possessioni summi boni,& beatitudinis annexa est necessariò securitas eam nunquam amittendi.

Maior pr. Appetitus non satiatur eo, quod timere potest ne amittat; atqui timere potest ne amittat id,de quo non est ei securitas non amissionis:ergo securitas non amissionis beatitudinis annexa est necessariò ei,quo appetitus satiatur.

Rationi iam propositæ addi possent aliæ multæ grauissimæ,sed cùm instituti nostri sit vnam tantùm explicare,videri possunt aliæ apud auctores.

Obiicies. Anima rationalis non est magis immortalis,quàm anima equi;atqui anima equi non est immortalis:ergo nec rationalis.

Maior pr. Illud non est magis immortale,quàm aliud quod æquè,& eodem modo interit,ac aliud; atqui anima rationalis æquè, & eodem modo interit ac anima equi: ergo non est magis immortalis,quàm anima equi.

Minor pr, Ex Ecclesiastis cap.3. *vnus est interitus hominis,& iumentorum,*&c. ergo anima rationalis æquè,& eodem modo interit,ac anima equi.

Solutio : *Ex Eccl. cap.* 3. vnus est interitus hominis, & iumentorum *secundùm apparentiam externam. aut in ratione totius physici*, Concedo. *reipsa, aut secundùm partes maximè formam*, Nego *antecedens, & simul consequentiam. Ratio est, quia licèt secundum iudicium externorum sensuum, nihil magis superesse videatur hominis dissoluta vnione animæ cum corpore, quàm maneat equi, sensus enim non percipiunt formas substantiales : illud tamen non impedit quin intellectus aliunde habeat, quæ ipsi certò persuadeant animam rationalem manere, non verò animam equi.*

Contrà. Anima rationalis nullo modo manet: ergo nulla solutio.

Antecedens pr. Anima rationalis manens habet immortalitatem ; atqui non potest dici habere immortalitatem: ergo non manet.

Minor pr. Quod solus Deus habet, anima rationalis non habet ; atqui ex D. Paulo solus Deus habet immortalitatem: ergo anima non habet illam.

Solutio : Atqui *solus Deus habet immortalitatem omninò independentem, & omnino necessariam*, Concedo: *dependentem, & non necessariam*, Nego. *& eodem modo distinguendum est consequens.*

Contrà. Anima rationalis non habet immortalitatem dependentem, & non necessariam : ergo nulla solutio.

Antecedens pr. Anima non potest habere illam immortalitatem nisi naturâ suâ, vel per gratiam; atqui non potest dici illam habere, neque naturâ suâ, neque per gratiam ; ergo non habet immortalitatem dependentem.

Respondeo *habere illam naturâ suâ.*

Contrà. Quod habet immortalitatem tantùm per gratiam, non habet illam naturâ suâ; atqui anima rationalis ex Synodo sexta Constantinopolitana habet immortalitatem tantùm per gratiam: ergo non habet illam naturâ suâ.

Solutio: *Quod habet tantum immortalitatem per gratiam, ita vt absolutè destrui possit, non habet illam naturâ suâ,* Nego: *quod habet immortalitatem tantum per gratiam, hoc est spectata eius natura destrui potest, non habet immortalitatem natura sua;* Concedo. atqui *anima rationalis habet immortalitatem tantum per gratiã, hoc est absolutè destrui potest,* Cõcedo. *spectatâ naturâ suâ, & eo quod exigit,* Nego.

Contrà. Anima rationalis non exigit non destrui destructa eius vnione cum corpore: ergo non tantum absolutè, sed etiam spectatâ naturâ suâ destrui potest.

Minor pr. Securitas non amissionis beatitudinis annexa est necessariò possessioni summi boni: ergo quod est capax possessionis summi boni, appetit habere securitatem nunquam amittendi beatitudinem.

Antecedens pr. Anima rationalis non potest exigere sui non destructionem, seu conseruationem destructa eius vnione cum corpore, nisi antè, vel tunc, vel post; atqui eam non exigit antè, nec tunc, nec post: ergo nullo modo exigit non destrui destructa eius vnione cum corpore.

Respondeo *exigere antè.*

Contrà. Exigentia conseruationis habet se per modum causæ respectu illius; atqui quod est ante conseruationem non habet se per modum causæ illius:

illius : ergo anima rationalis non exigit ante destructionẽ vnionis cũ corpore sui conseruationẽ.

Solutio: *Exigentia conseruationis habet se per modum causæ propriæ, & physicæ respectu illius*, Nego. *per modum causæ impropriæ, & moralis*, Concedo. atqui *quod est ante conseruationem non habet se per modum causæ physi.æ illius*, Concedo. *per modum causæ moralis*, Nego. *Causalitas illa moralis in eo consistit, quòd anima existens, cùm destruitur vnio, petat ne Deus suspendat concursum conseruatiuum sui tempore sequente.*

Contrà. Anima non magis petit cùm vnio destruitur sui conseruationem pro tempore sequente, quàm cùm primò est; atqui cùm primò est non petit sui conseruationem pro temporibus sequẽtibus: ergo neque cùm eius vnio destruitur petit eandem sui conseruationem pro tẽpore sequente.

Minor pr. Quod anima petit cùm primò est pro temporibus sequentibus, dependet ab ipsa illis temporibus; atqui conseruatio animæ iam non dependet ab ipsa primo existente : ergo anima non petit cùm primò est sui conseruationem pro temporibus sequentibus.

Minor pr. Conseruatio animæ iam non dependet ab eo, quod aut fuit à multis annis, & iam non est, aut si fit est ab ipsa dependens; atqui hoc, quod est anima primò existens, aut non fuit à multis annis, aut dependet à conseruatione:ergo conseruatio animæ iam non dependet ab ipsa primò existente.

Solutio : *Conseruatio animæ iam non dependet ab eo physicè, quod aut fuit à multis annis, & iam non est, aut si fit est ab ipsa dependens*, Concedo. *non de-*

to, Nego. *& concessa minori*: ergo *conseruatio animæ iam non dependet ab ipsa primò existente physicè*, Concedo. *moraliter*, Nego.

QVARTA CONCLVSIO:

Animæ rationales non sunt inæquales in perfectione indiuiduali.

TOTVM fundamentum admittendi animas rationales esse inæquales in perfectione indiuiduali est melior organizatio corporis vnius, quàm alterius, aut perfectiores operationes vnius, quã alterius; atqui neque illa melior organizatio, neque illa maior perfectio operationum, est sufficiens fundamentum admittendi illam inæqualitatem animarum in perfectione indiuiduali: ergo nullum est fundamentum illius inæqualitatis.

Minor pr. Illud dici non potest sufficiens fundamentum admittendi animas esse inæquales in perfectione indiuiduali, cum quo stare potest non modò earum æqualitas, sed etiam identitas; atqui cum meliori organizatione, & maiori perfectione operationum stare potest non modò æqualitas animarum, sed etiam identitas: ergo neque melior organizatio, neque maior perfectio operationum vnius, quàm alterius dici potest sufficiens fundamentum admittendi animas esse inæquales in perfectione indiuiduali.

Prima pars minoris probatur.

Non minùs stare potest æqualitas animarum rationalium cum meliori organizatione, & maiori perfectione operationum, quàm animarum

equinerum; atqui stare potest æqualitas animarum equinarum cum meliori organizatione, & maiori perfectione operationum: ergo æqualitas animarum rationalium stare potest cum meliori organizatione, & maiori perfectione operationum.

Minor pr. Animæ equorum non sunt inæquales in perfectione indiuiduali; atqui vnius corpus est meliùs organizatum, quàm corpus alterius, & vna habet præstantiores operationes, quàm alia: ergo stare potest æqualitas animarum equinarum cum meliori organizatione, & maiori perfectione operationum.

Maior pr. Animas illas non esse æquales in perfectione indiuiduali est equum genitum deteriorem esse generante; atqui sæpè equus genitus non est deterior generante: ergo animæ equorum sunt æquales in perfectione indiuiduali.

Maior pr. Equus genitus non potest esse nisi, vel deterior generante, vel æqualis illi in perfectione, vel superior; atqui non potest esse æqualis, nec superior: ergo debet esse deterior.

Prima pars minoris probatur.

Equus genitus non potest esse æqualis generanti, quin animæ equorum sint æquales; atqui per aduersarios non sunt æquales: ergo genitus non est æqualis generanti.

Secunda pars minoris præcedentis argumenti probatur.

Effectus non potest esse perfectior sua causa; atqui genitus est effectus, & generans causa: ergo ille non potest esse superior isto.

Secunda pars minoris argumenti superioris

ſtare poſſe identitatem animarum cum meliori organizatione, probatur.

Homo ægrotus habet corpus minùs benè organizatum, & imperfectiores operationes, quàm idem ſanus; atqui eſt eadem anima in ipſo ſano, & ægroto: ergo ſtare poteſt identitas animarum modò cum meliori organizatione, modò cum non ita bona.

Obiicies. Illæ animæ ſunt inæquales in perfectione indiuiduali, quarum vna perfectior eſt alia ſubſtantialiter; atqui vna anima perfectior eſt alia ſubſtantialiter: ergo animæ rationales ſunt inæquales in perfectione indiuiduali.

Minor pr. Illud eſt perfectius alio ſubſtantialiter, cui conuenit aliquid commune intrinſecum perfectius, quàm conueniat alteri; atqui vni animæ rationali conuenit aliquid intrinſecum perfectius, quàm conueniat alteri: ergo vna eſt perfectior alia ſubſtantialiter.

Minor pr. Exigere corpus melius organizatum, & productiuum eſſe perfectiorum operationum, eſt aliquid perfectius, quàm non exigere corpus ita benè organizatum, & non eſſe productiuum tam perfectarum operationum; atqui primum eſt intrinſecum vni animæ rationali, & alteri non eſt intrinſecum: ergo vni animæ rationali conuenit aliquid intrinſecum perfectius, quàm conueniat alteri.

Prima pars minoris probatur.

Illi non eſt intrinſecum, productiuum eſſe tam perfectarum operationum, & exigere corpus meliùs organizatum, quod producit de facto imperfectas valdè operationes, & corpus habet non ita

benè organizatum; atqui multæ animæ rationales producunt imperfectas valdè operationes, & corpus habent non ita benè organizatum: ergo vni animæ rationali non conuenit exigere corpus melius organizatum, & esse productiuam tam perfectarum operationum.

Maior pr. Nullum est aliud argumentum concedendi vim productiuam tam perfectarum operationum vlli animæ rationali, quàm actualis illarum productio: ergo quod de facto illas non producit non est illarum productiuum.

Solutio: *Nullum est aliud argumentum concedendi vim productiuam tam perfectarum operationum vlli animæ rationali, quàm actualis illarum productio si sint alia requisita ad efficiendam illam productionem*, Concedo. *si non sint alia requisita*, Nego.

Contrà. Alia requisita non possunt esse nisi temperamentum, & organizatio partium; atqui illa non desunt: ergo non desunt alia requisita.

Minor pr. Illa non desunt animæ, quæ exigit; atqui exigit requisita ad operandum: ergo illa non desunt.

Solutio: *Illa, quæ anima exigit ei non desunt, si non sit impedimentum, quo minus illa habeat*, Concedo. *si sit impedimentum*, Nego. *Impedimenta sunt defectus contingentes in formatione fœtus, aut deinde illa, quæ alterant extrinsecam, vel intrinsecam constitutionem corporis.*

SECTIO II.

De Intellectu humano.

PRIMA CONCLVSIO:

Intellectus humanus differt specie ab Angelico.

QVAE sunt idem cum differentibus specie verè differunt specie; atqui intellectus humanus, & Angelicus sunt idem cum differentibus specie: ergo differunt specie.

Minor pr. Intellectus humanus est idem cum anima, & Angelicus cum Angelo; atqui anima, & Angelus differunt specie: ergo intellectus humanus, & Angelicus sunt idem cum differentibus specie.

Maior pr. Potentiæ vitales sunt idem cum substantia viuente ex disputatione prima de anima in communi sectione sexta; atqui intellectus est potentia vitalis: ergo humanus est idem cum anima, & Angelicus cum Angelo.

SECVNDA CONCLVSIO:

Vnus est tantum realiter in vnoquoque homine intellectus.

INTELLECTVS est idem realiter cum anima ra-

tionali; atqui vna est tantùm realiter in vnoquoque homine anima rationalis: ergo etiam vnus est tantùm in vnoquoque homine intellectus.

Tertia Conclvsio:

Obiectum intellectus est omne ens.

Illvd est obiectum intellectus, de quo agit intellectus; atqui intellectus agit de omni planè ente: ergo omne ens est obiectum intellectus.

Minor probatur. De illo omni intellectus agit, de quo disputat, quærit, dubitat, &c. atqui de omni planè ente intellectus disputat, quærit, dubitat, &c. ergo agit de omni ente.

Obiicies. Illud non est obiectum intellectus quod non est verum; atqui omne ens non est verum: ergo omne ens non est obiectum intellectus.

Minor pr. Ens negatiuum, sicut & fictum non est verum; atqui est aliquod ens: ergo omne ens non est verum.

Solutio: *Ens fictum non est verum veritate transcendentali, & quæ dicitur propria entis realis,* Concedo. *veritate, quæ nihil aliud significat, quàm ipsum esse intelligibile,* Nego. *& concessa minori:* ergo *omne ens non est verum veritate propria entis realis,* Concedo. *veritate nihil aliud importante, quàm ipsum esse intelligibile, & posse repræsentari eo modo quo est, aut non est,* Nego.

QVARTA CONCLVSIO:

Intellectus completur ad primos suos actus per actus phantasiæ.

INTELLECTVS non minùs indiget complemento tenente se ex parte obiecti ad primos suos actus, quàm sensus internus, & externi; atqui non est aliud conuenientiùs, quo compleri possit, quàm actus phantasiæ: ergo intellectus completur ad suos primos actus per actus phantasiæ.

Minor probatur. Illud, quod complet intellectum tenens se ex parte obiecti ad suos primos actus, debet cum eo coefficere illos actus; atqui nihil est, quod dici possit conuenientiùs coefficere ipsius actus, quàm operationes phantasiæ: ergo non est aliud conuenientiùs, quo compleri possit, quàm actus phantasiæ.

Minor probatur. Aliud, quod dici potest cum intellectu coefficere ipsius actus, est vel obiectum per se immediatè, vel species ab ipso producta, & in intellectu recepta; atqui neque obiectum immediatè, neque species ab eo producta, & in intellectu recepta coefficit ipsius primos actus: ergo nihil est, quod dici possit conuenientiùs coefficere ipsius actus, quàm operationes phantasiæ.

Prima pars minoris probatur.

Illud non coefficit immediatè actus intellectus, quod distat ab illo; atqui obiectum vt plurimum distat ab intellectu: ergo non coefficit cum illo immediatè ipsius primos actus.

Secunda pars minoris superioris argumenti pr.

Species in intellectu recepta debet esse spiri-

talis; atqui obiectum vt plurimùm non potest producere speciem spiritalem: ergo quod coefficit cum intellectu ipsius primos actus, non est species in ipso recepta.

Minor pr. Obiectum corporeum non producit speciem spiritalem; atqui obiectum vt plurimum est corporeum: ergo non potest producere speciem spiritalem.

Maior probatur. Res corporea non producit saltem sola effectum spiritalem; atqui solum obiectum producit, in casu de quo loquimur, speciem: ergo obiectum corporeum efficere non potest speciem spiritalem.

Obiicies. Species ab obiecto producta, & in intellectu recepta potest sufficienter complere intellectum ad suos primos actus: ergo intellectus non completur ad suos primos actus per actus phantasiæ.

Antecedens pr. Ratio, cur hoc negetur est, quia illa species debet esse spiritalis, & obiectum non potest talem producere; atqui obiectum etiam corporeum potest producere speciem impressam spiritalem: ergo species ab obiecto producta, & in intellectu recepta potest complere sufficienter intellectum ad suos primos actus.

Minor pr. Non minùs obiectum corporeum producere potest speciem impressam spiritalem, quàm expressam; atqui producit sæpè expressam, tunc scilicet, cùm est immediatum Angelo v. g: ergo obiectum corporeum producere potest speciem impressam spiritalem.

Solutio: *Neganda est maior. Ratio autem disparitatis est, quia ad expressam obiectum corpo-*

reum non concurrit solum, sed simul cum agente spirituali, quod ipsum eleuat ad huiusmodi effectum producendum. Ad impressam verò non iuuatur ab vllo agente principali; atque ita caret viribus sufficientibus ad huiusmodi effectum producendum.

QVINTA CONCLVSIO:

Intellectus determinatur ad secundos suos actus per species relictas à primis actibus suis.

INTELLECTVS compleri non potest ad actus illos suos secundos, nisi ab speciebus relictis à primis suis actibus: ergo intellectus determinatur ad secundos suos actus per species relictas à primis.

Antecedens pr. Alia, à quibus intellectus dici potest compleri ad illos suos secundos actus, non possunt esse nisi obiectum, & operationes phantasiæ; atqui non completur ad illos actus, neque per obiectum, neque per operationes phantasiæ: ergo completur tantùm per species relictas à primis.

Minor pr. Illud à quo intellectus completur ad illos suos secundos actus, debet illos cum ipso coefficere; atqui neque obiectum, neque operationes phantasiæ illos coefficiunt: ergo intellectus non completur ad illos, neque per obiectum, neque per operationes phantasiæ.

Minor pr. Illud non coefficit illos actus cum intellectu, quod aut non est cùm illi fiunt, aut est quid illis posterius, aut saltem non prius; atqui obiectum sæpè non est cùm fiunt illi actus, & operationes phantasiæ non sunt illis priores: er-

go neque obiectum, neque operationes phantasiæ illos cofficiunt.

Secunda pars minoris probatur.

Quod fit tantùm consequenter ad illos actus, & quia illi fiunt, non est quid illis prius; atqui operationes phantasiæ fiunt tantùm consequenter ad illos actus, & quia illi fiunt: ergo operationes phantasiæ non sunt illis priores.

SEXTA CONCLVSIO:

Cùm operatur phantasia, operatur etiam intellectus.

INTELLECTVS tunc operatur, cùm sunt omnia requisita ad operandum; atqui cùm operatur phantasia, intellectus habet omnia requisita ad operandum: ergo cum operatur phantasia operatur etiam intellectus.

Minor pr. Intellectus, vt operetur nullo alio indiget quàm eo, quod prouenire debet ex parte obiecti; atqui cum operatur phantasia, illud habet: ergo cum operatur phantasia habet omnia requisita ad operandum.

Minor pr. Illud, quod prouenire debet ex parte obiecti debet esse species, aut aliquid supplens eius vices; atqui cum operatur phantasia est illud supplens vices speciei: ergo cùm operatur phantasia intellectus habet, quod prouenire debet ex parte obiecti.

Minor pr. Operatio phantasiæ supplet vices speciei: ergo cum operatur phantasia est illud supplens vices speciei.

Septima Conclusio:

Cùm operatur intellectus, operatur etiam phantasia.

Debet esse aliqua ratio, cur cùm læsum est phantasiæ organum intellectus impediatur à suis operationibus; atqui illa non potest esse alia, quàm quod operari debeat phantasia operante intellectu: ergo cùm operatur intellectus operatur etiam phantasia.

Minor pr. Ratio, quare impediatur intellectus à suis operationibus læso phantasiæ organo non potest esse, nisi quia illi deest aliquod comprincipium suarum operationum, aut quia phantasia debet simul operari; atqui non est, quia deest illi aliquod comprincipium: ergo tantùm, quia operari debet phantasia operante intellectu.

Minor pr. Comprincipium secundarum operationum intellectus sunt species à primis actibus relictæ; atqui illæ species non desunt læso phantasiæ organo: ergo non deest illi vllum comprincipium.

Minor pr. Illæ species non desunt, quamdiu manet earum causa subiectiua, & conseruans, ac non aduenit contrarium; atqui illæ non habent contrarium, & causa illarum subiectiua, & conseruans manet: ergo illæ species non desunt.

Prima pars clara est; & secunda, & tertia probantur.

Causa conseruans est Deus, subiectiua verò intellectus; atqui Deus, & intellectus manent: er-

go causa conseruans & subiectiua illarum specierum manet.

Sectio III.

De Operationibus intellectus.

Diximus de illis quædam in Logica, nonnulla etiam aliis locis, hîc reliqua expediemus.

Prima Conclusio:

Datur enunciatio apprehensiua.

Enunciatio apprehensiua est cognitio habens idem obiectum, ac iudicium; atqui datur cognitio habens idem obiectum, ac iudicium: ergo & enunciatio apprehensiua.

Minor probatur. Obiectum iudicij est prædicatum, subiectum, & copula vtrumque connectens; atqui datur cognitio habens pro obiecto prædicatum, subiectum, & copulam vtrumque connectentem: ergo datur cognitio habens idem obiectum, ac iudicium.

Minor probatur. Quando quis non assentitur, neque etiam dissentit propositioni, quam audit ab alio, habet apprehensionem confusam prædicati, subiecti, & copulæ vtrumque connectentis; atqui sæpè neque assentimus, neque dissentimus propositioni, quam audimus ab alio: ergo datur cognitio habens pro obiecto prædicatum, subiectum, & copulam.

Minor pr. Cùm audimus ab aliquo astra esse paria, Regem sedere, &c. neque assentimus, neque dissentimus illi propositioni: ergo sæpè neque assentimus, neque dissentimus propositioni, quam audimus ab alio.

Antecedens pr. Nihil est, quod nos cogat ad assentiendum, aut dissentiendum illi propositioni: ergo neque illi assentimus, neque dissentimus.

Antecedens pr. Nihil est aliud, quod cogere nos possit ad assentiendum, aut dissentiendum illis propositionibus, quàm euidentia veritatis illarum, aut falsitatis; atqui non est euidens illarum veritas, aut falsitas: ergo nihil est quod nos cogat ad assentiendum illis propositionibus, aut dissentiendum.

Obiicies. Enunciatio apprehensiua est illa, quæ habet idem obiectum, ac iudicium; atqui nulla datur huiusmodi cognitio: ergo neque enunciatio apprehensiua.

Minor probatur. Obiectum iudicij est subiectum, prædicatum, & copula vtrumque connectens; atqui nulla datur cognitio apprehensiua, quæ habeat pro obiecto subiectum, prædicatum, & copulam: ergo neque enunciatio, quę habeat idem obiectum, ac iudicium.

Minor probatur. Cognitio, quæ habet pro obiecto subiectum, prædicatum, & copulam vtrumque connectentem, dicit hoc esse illud, aut non esse illud; atqui nulla cognitio apprehensiua dicit hoc esse illud, aut non esse illud: ergo nulla cognitio apprehensiua habet pro obiecto subiectum, prædicatum, & copulam.

Minor probatur. Cognitio, quæ dicit hoc esse

illud aut non esse illud, est iudicium; atqui nulla cognitio apprehensiua est iudicium: ergo nulla cognitio apprehensiua dicit hoc esse illud, aut non esse illud.

Solutio: *Cognitio, quæ dicit hoc esse illud assertiuè, est iudicium*, Concedo. *quæ hoc dicit tantùm apprehensiuè*, Nego. *& concessa minori*: ergo *nulla cognitio apprehensiua dicit hoc esse illud, aut non esse assertiuè, seu propendendo in vnam partem magis quàm in aliam*, Concedo. *apprehensiuè, seu non propendendo magis in vnam partem, quàm in aliam*, Nego.

Contrà. Nulla cognitio apprehensiua dicit hoc esse illud apprehensiuè: ergo nulla solutio.

Antecedens pr. Cognitio, quæ dicit hoc esse illud etiam apprehensiuè habet idem obiectum cum iudicio; atqui cognitio apprehensiua habere non potest idem obiectum cum iudicio: ergo neque dicere hoc esse illud apprehensiuè.

Minor pr. Cognitio apprehensiua non potest non differre à iudicio; atqui cognitio apprehensiua, quæ habet idem obiectum cum iudicio nihil habet, per quod ab illo differat: ergo non potest habere idem obiectum cum iudicio.

Minor pr. Cognitio apprehensiua distinguitur tantùm à iudicio per obiectum diuersum: ergo quæ habet idem obiectum cum iudicio nihil habet, per quod ab illo differat.

Solutio: *Negandum est antecedens. Ratio negati est, quia cognitiones inter se distinguuntur, non tantùm per diuersum obiectum, sed etiam per diuersum modum tendendi in illud. Apprehensio autem licèt habeat idem obiectum cum iudicio, di-*

uerso modo in illud tendit, scilicet apprehensiuè, cùm iudicium tendat assertiuè, hoc est propendendo in alteram partem affirmatiuam, scilicet, si sit affirmatiuum, aut negatiuam si sit negatiuum; cùm apprehensio in neutram partem propendeat.

SECVNDA CONCLVSIO:

Prima mentis operatio aliqua ita est vera, vt non possit esse falsa.

ILLA cognitio ita est vera, vt non possit esse falsa, quæ ita est conformis suo obiecto, vt non possit ei esse difformis; atqui prima mentis operatio aliqua ita est conformis suo obiecto, vt non possit ei esse difformis: ergo aliqua ita est vera, vt non possit esse falsa.

Minor pr. Prima mentis operatio, quæ repræsentat obiectum, non coniungendo illud cum vlla planè circunstantia, est ita ei conformis, vt non possit ei esse difformis; atqui dantur multæ non coniungentes illud cum vlla planè circunstantia: ergo & multæ ita conformes, vt non possint esse difformes.

Minor pr. Prima mentis operatio, quæ repræsentat albedinem, aut lumen, aut simile quid aliud, non coniungit suum obiectum cum vlla planè circunstantia; atqui dantur multæ primæ mentis operationes repræsentantes præcisè lumen, albedinem, &c. ergo & multæ non coniungentes suum obiectum cum vlla planè circunstantia.

TERTIA CONCLVSIO:

Prima mentis operatio aliqua potest esse falsa.

ILLA cognitio est falsa, quæ est difformis suo obiecto; atqui aliqua prima mentis operatio est difformis sub obiecto: ergo & falsa.

Minor pr. Illa cognitio est difformis suo obiecto, quæ repræsentat aliquid illi conuenire; quod ei non conuenit; atqui aliqua prima mentis operatio repræsentat aliquid conuenire suo obiecto, quod ei non conuenit: ergo aliqua est difformis suo obiecto.

Minor pr. Cognitio correspondens visioni colorum iridis, & baculi fracti in aqua, est prima mentis operatio; atqui illa repræsentat conuenire aliquid suo obiecto, quod illi non conuenit: ergo & aliqua prima mentis operatio.

Minor pr. Obiectum illius cognitionis sunt colores iridis, & baculus immersus in aquam; atqui ista cognitio repræsentat conuenire aliquid coloribus, & baculo, quod verè eis non conuenit; ergo & suo obiecto.

Minor pr. Existentia in nubibus, & fractio in baculo non conuenit illis coloribus, neque baculo; atqui illa cognitio repræsentat illos colores existere in nube, & fractionem in baculo: ergo repræsentat aliquid conuenire illis coloribus, & baculo, quod eis non conuenit.

Obiicies. In nulla prima mentis operatione est falsitas: ergo nulla est falsa.

Antecedens pr. Omnis prima mentis operatio est apprehensio; atqui in apprehensionibus ex Aristotele non est falsitas: ergo nec in vlla prima mentis operatione.

Solutio: atqui *ex Aristotele in apprehensionibus non est falsitas dictionis, seu assertionis*, Concedo. *simplicis repræsentationis*, Nego. ergo *etiam non est falsitas dictionis in prima mentis operatione*, Concedo. *falsitas simplicis repræsentationis*, Nego. *Veritas dictionis est illa, per quam cognitio asserit conuenire aliquid obiecto, quod verè ei conuenit. Veritas verò simplicis repræsentationis dicitur illa, per quam cognitio repræsentat sine assertione conuenire aliquid obiecto, quod verè ei conuenit: hæc secunda, vt patet, non repugnat apprehensioni: prima verò propria est iudicij.*

QVARTA CONCLVSIO:

Iudicium est vna simplex qualitas.

VNA simplex cognitio est vna simplex qualitas; atqui iudicium est vna simplex cognitio: ergo & vna simplex qualitas.

Minor pr. Iudicium est cognitio repræsentans identitatem prædicati cum subiecto; atqui vna simplex cognitio repræsentat identitatem prædicati cum subiecto: ergo iudicium est vna simplex cognitio.

Minor pr. Non potest cognitio repræsentare identitatem prædicati cum subiecto, quin repræsentet vtrumque, & copulam vtrumque connectentem; ergo vna simplex cognitio repræsentat

identitatem prædicati cum subiecto.

Obiicies. Iudicium est enunciatio mentalis; atqui enunciatio mentalis non est vna simplex qualitas: ergo nec iudicium.

Minor pr. Quod est multitudo cognitionum non est vna simplex qualitas; atqui enunciatio mentalis est multitudo cognitionum: ergo non est vna simplex qualitas.

Minor pr. Non minùs enunciatio mentalis est multitudo cognitionum, quàm vocalis multitudo vocum; atqui vocalis est multitudo vocum: ergo & mentalis multitudo cognitionum.

Solutio: *Neganda est maior. Ratio est, quia vna cognitione repræsentari potest, quod non nisi multis vocibus potest exprimi.*

Contrà. Ideo enunciatio vocalis est multitudo vocum, quia per vnam vocem exprimi non potest identitas prędicati cum subiecto; atqui etiam per vnicam cognitionem exprimi non potest identitas prædicati cum subiecto: ergo non minùs enunciatio mentalis est multitudo cognitionum, quàm vocalis multitudo vocum.

Minor pr. Enunciatio mentalis repræsentat prędicatum, & subiectum in recto, & eorum etiam identitatem in recto; atqui prædicatum, & subiectum in recto, & eorum identitas in recto exprimi non possunt nisi per multas cognitiones: ergo identitas prędicati cum subiecto exprimi non potest per vnicam cognitionem.

Solutio: *Enunciatio mentalis repræsentat prædicatum, & subiectum in recto per apprehensiones ipsi coexistentes,* Concedo. *per seipsam repræsentantem eorum identitatem in abstracto, seu in recto,*

Nego. *Iudicium repræsentat identitatem in recto, & illa inter quæ ipsa est in obliquo, quia quando vnum repræsentatur in recto, ea quæ cum illo sunt coniuncta repræsentari debent in obliquo. Hoc tamen non impedit quin apprehensiones coexistentes iudicio repræsentent prædicatum, & subiectum in recto, & consequenter verum sit nos experiri quoties iudicamus nos repræsentare prædicatum, & subiectum in recto.*

QVINTA CONCLVSIO:

Veritas non est adæquatè intrinseca propositioni.

ILLVD non est adæquatè intrinsecum propositioni, quod est illi ex parte extrinsecum; atqui veritas est ex parte extrinseca propositioni: ergo non est illi adæquatè intrinseca.

Minor pr. Veritas est illud, per quod propositio constituitur vera; atqui illud per quod propositio constituitur vera, est ei ex parte extrinsecum: ergo veritas est ex parte extrinseca.

Minor pr. Propositio constituitur vera per existentiam obiecti talem, qualis per eam repræsentatur; atqui existentia illa obiecti est illi extrinseca: ergo etiam id, per quod ex parte constituitur vera.

Minor pr. Existentia obiecti est ipsum obiectum; atqui obiectum est extrinsecum propositioni: ergo & existentia obiecti.

Minor pr. Obiectum distinguitur, imò etiam sæ-

pissimè distat à propositione: ergo est illi extrinsecum.

Obiicies. Veritas propositionis nihil est aliud, quàm repræsentatio obiecti per ipsam; atqui illa repræsentatio est illi adæquatè intrinseca: ergo & veritas.

Solutio: *Veritas nihil est aliud, quàm repræsentatio per propositionem talis, quale est obiectum,* Concedo *repræsentatio precisè, & merè,* Nego. atqui *repræsentatio precisè, & merè est adæquatè intrinseca,* Concedo. *repræsentatio talis, quale est obiectum,* Nego.

Contrà. Repræsentatio talis, quale est obiectum est id, per quod propositio assimilatur obiecto suo: atqui id, per quod assimilatur obiecto suo est illi adæquatè intrinsecum: ergo & repræsentatio talis, quale est obiectum.

Minor pr. Id, per quod propositio assimilatur obiecto est entitas propositionis: atqui entitas propositionis est illi adæquatè intrinseca: ergo & id, per quod assimilatur obiecto.

Solutio: *Id, per quod propositio assimilatur obiecto est eius entitas sola, & precisè sumpta,* Nego. *eius entitas, & simul obiectum,* Concedo. atqui *entitas propositionis est illi adæquatè intrinseca sola, & precisè sumpta,* Concedo. *ipsa & obiectum,* Nego.

Contrà. Id, per quod propositio assimilatur obiecto est id, per quod constituitur vera; atqui propositio constituitur vera per solam suam entitatem: ergo id, per quod propositio assimilatur obiecto est eius sola entitas.

Minor pr. Id, per quod propositio constituitur

vera est eius perfectio; atqui quod est eius perfectio est eius entitas: ergo id, per quod propositio constituitur vera, est eius sola entitas.

Maior pr. Per idem propositio creata constituitur vera, per quod diuina; atqui illud per quod propositio diuina constituitur vera est eius perfectio: ergo id, per quod propositio constituitur vera, est etiam eius perfectio.

Minor pr. Qui negat id, per quod propositio diuina constituitur vera, esse eius perfectionem, fateri debet propositionem diuinam veram, quod ego Deum cognoscam, non esse perfectiorem illa mea cognitione de Deo; atqui propositio diuina, quod ego Deum cognoscam est perfectior mea cognitione de Deo: ergo id, per quod propositio diuina constituitur vera, est eius perfectio.

Solutio: *Qui negat id, per quod propositio diuina constituitur vera, esse eius perfectionem, fateri debet propositionem diuinam veram, quod ego Deum cognoscam non esse perfectiorem secundùm rectum illa mea cognitione de Deo,* Nego. *secundùm rectum simul, & obliquum*, Concedo. atqui *est perfectior secundùm rectum,* Concedo. *secundùm rectum, & obliquum,* Nego. *Propositio illa diuina est perfectior secundùm rectum, quia ipsius rectum est diuina essentia, rectum verò mea accidens; quia tamen obliquum meæ est diuina essentia, & obliquum diuinæ mea cognitio, quæ est accidens, fit compensatio: Deus enim, & mea cognitio, non sunt quid perfectius mea cognitione, & Deo.*

Contrà. Ratio, quare possit veritas diuina non esse perfectior creata secundùm rectum, & obliquum, non potest esse alia, quàm quia omnis pro-

positio vera constituitur talis per obiectum; atqui nulla constituitur talis per obiectum: ergo propositio diuina vera quęcunque, est perfectior secundùm rectum, & obliquum quacunque creata.

Minor pr. Non magis propositio vera constituitur talis per suum obiectum, quàm falsa per suum; atqui falsa non constituitur talis per suum obiectum: ergo neque vera.

Minor pr. Propositio, quæ constituitur falsa per suum obiectum est sæpè æquè perfecta, ac vera, aut perfectior; atqui propositio falsa non est tam perfecta, ac vera: ergo propositio non constituitur falsa per suum obiectum.

Maior pr. Propositiones constitutæ veræ, aut falsæ per suum obiectum sunt ipsæ, & earum obiectum; atqui ipsæ secundùm se sunt æquales, & obiectum falsæ est sæpè perfectius obiecto veræ: ergo propositio, quæ constituitur falsa per suum obiectum est sæpè perfectior vera.

Secunda pars minoris, de qua sola potest esse difficultas, probatur.

Existentia rei est quid perfectius eius non existentia; atqui obiectum verę sæpè est non existentia rei, falsæ verò eius existentia: ergo obiectum falsæ est perfectius obiecto veræ.

Minor pr. Ista propositio est vera, Antichristus non est, & ista falsa, Antichristus est; atqui obiectum primæ est non existentia Antichristi, secundæ verò eiusdem existentia: ergo obiectum veræ est non existentia rei, falsæ verò existentia eiusdem.

Minor superioris argumenti, propositionem falsam non esse tam perfectam, ac veram, pr.

Quod est æquè perfectum, ac propositio vera, non repugnat Deo; atqui propositio falsa repugnat Deo: ergo propositio falsa non est æquè perfecta, ac vera.

Maior pr. Ex duobus æquè perfectis cùm vnum non repugnat Deo, neque etiam aliud; atqui propositio vera non repugnat Deo: ergo neque quod est æquè perfectum, ac propositio vera.

Solutio: *Ex duobus æquè perfectis entitatiuè, & arguitiuè, seu præsuppositiuè, cùm vnum non repugnat Deo, neque etiam aliud,* Concedo. *entitatiuè tantum,* Nego. *& concessa minori: ergo neque quod est æquè perfectum, ac propositio vera entitatiuè, & arguitiuè simul,* Concedo. *entitatiuè tantum,* Nego. *Æquè perfecta entitatiuè sunt illa, quorum entitates nihil habent perfectionis vna supra aliam. Arguitiuè, verò, & præsuppositiuè quando vnum non magis supponit, aut ex eo infertur aliquid imperfectionis, quàm ex alio; atque ita cum propositio vera nihil supponat imperfectionis in eo, qui illam habet, falsa verò maximam, ignorantiam scilicet, & carentiam cognitionis euidentis, clarum est illam esse perfectiorem arguitiuè ista, & hanc tam Deo tribui non posse, quàm impossibile est, vt in eum cadat carentia cognitionis euidentis, quam hæc necessariò importat.*

Contrà. Propositio falsa non importat necessariò carentiam cognitionis euidentis: ergo est æquè perfecta, ac vera non tantùm entitatiuè, sed etiam arguitiuè.

Antecedens pr. Illud non importat necessariò carentiam cognitionis euidentis, quod potest esse simul cum cognitione euidenti; atqui propo-

propositio falsa potest esse simul cum cognitione euidenti : ergo propositio falsa non importat necessario carentiam cognitionis euidentis.

Minor pr. Propositio falsa est error, & cognitio euidens scientia de eodem obiecto; atqui error, & scientia possunt esse simul : ergo propositio falsa potest esse simul cum cognitione euidenti.

Solutio : Atqui *error, & scientia possunt esse simul in creatis*, transeat. *in Deo*, Nego. *Cùm enim cognitio diuina nihil sit, quàm eius esse, & existentia creaturarum, aut non existentia, vt esset in Deo simul error & scientia, deberet esse in rerum natura simul existentia, & non existentia eiusdem rei : existentia quidem, vt conflaretur illa cognitio, quæ dicit illas esse, non existentia verò, vt consurgeret alia, quæ diceret illas non esse.*

Contrà. Vt vna cognitio diuina sit error, & altera scientia, non est necessarium, vt vna dicat creaturas esse & alia non esse: ergo nulla solutio.

Antecedens pr. Illarum cognitionum vna non dicit creaturas esse, & alia non esse, quarum vtraque dicit illas esse ; atqui cognitiones diuinæ duæ saltem per æquiualentiam, quarum vna est error, & altera scientia, possunt ambæ dicere illas esse : ergo vt cognitio vna diuina sit error, & altera scientia, non est necessarium vt vna dicat creaturas esse, & alia non esse.

Minor pr. Illa cognitio est scientia, quæ dicit aliquid esse per medium euidens, & illa error quæ dicit idem esse per medium falsum, & impossibile; atqui vna cognitio diuina potest dicere creaturas esse per medium euidens, & alia

per medium falsum, & impossibile: ergo cognitiones diuinæ duæ saltem per æquiualentiam, quarum vna est error, & altera scientia possunt ambæ dicere illas esse.

Solutio: *Neganda est minor. Ratio est facilis, quia cognitio asserens aliquid esse (quantumuis illud verè sit) per medium falsum, & impossibile, importat necessario tantam imperfectionem, quanta est in carentia cognitionis euidentis illius medii, & inefficacia, quam habet ad probandum id, ad quod assumitur, ac proinde rectè denegatur Deo incapaci omnis planè imperfectionis.*

SEXTA CONCLVSIO:

Propositio semel vera non potest fieri falsa.

PROPOSITIO, de qua dici potest, quod semel vera fieri possit falsa, est de futuro, aut de præsenti; atqui neque propositio de futuro, neque de præsenti semel vera potest fieri falsa: ergo propositio semel vera non potest fieri falsa.

Minor pr. Ista propositio, Petrus loquetur hora quinta, est de futuro, & ista, Petrus sedet, de præsenti; atqui neutra semel vera potest fieri falsa: ergo neque propositio de præsenti, neque de futuro semel vera fieri potest falsa.

Prima pars minoris probatur.

Vt ista propositio, Petrus loquetur hora quinta, semel vera possit fieri falsa, necessarium est, vt eius obiectum tempore per illam adsignificato sit primò tale, quale repræsentatur ab illa, & deinde non sit tale; atqui obiectum istius propositionis tempore adsignificato per illam non potest esse tale, quale repræsentatur, & deinde non es-

se tale: ergo ista propositio, Petrus loquetur hora quinta, semel vera non potest fieri falsa.

Minor pr. Obiectum istius propositionis est loquutio Petri futura, & tempus per illam adsignificatum est hora quinta; atqui loquutio Petri non potest esse futura, & non esse futura hora quinta: ergo neque obiectum istius propositionis esse tale, quale repræsentatur, & non esse tale.

Minor probatur. Duo contradictoria non possunt esse hora quinta; atqui loquutio futura, & non futura sunt contradictoria: ergo loquutio non potest esse futura, & non esse futura hora quinta.

Secunda pars minoris argumenti secundo loco facti in probationem conclusionis, probatur.

Obiectum istius propositionis, Petrus sedet, non potest tempore adsignificato per illam esse tale, quale repræsentatur, & deinde non esse tale: ergo propositio quæ dicit, Petrus sedet, semel vera non potest fieri falsa.

Antecedens probatur. Obiectum istius propositionis est sessio Petri, & tempus per illam adsignificatum tempus præsens; atqui sessio Petri non potest esse, & simul non esse illo tempore præsenti: ergo neque eius obiectum esse tale, quale repræsentatur, & non esse tale.

Minor probatur. Tempus præsens adsignificatum per illam propositionem debet esse necessario, vel primum cui coëxistit determinatè sumptum, aut secundum & tertium etiam determinatè sumpta, vel aliquod indeterminatè sumptum, ex iis quibus coëxistit, vel omne illud, cui coëxistit; atqui sessio Petri non potest esse, &

non esse primo instanti, secundo, aut tertio determinatè sumptis, neque etiam aliquo indeterminatè sumpto, & multo minus omni illo, cui coëxistit propositio: ergo sessio non potest esse, & simul non esse illo tempore præsenti.

Minor probatur. Sessio Petri non potest esse, & non esse eodem tempore; atqui sessio quæ non est, & est primo instanti, secundo, & tertio determinatè sumpto, aut omni, est, & non est eodem tempore: ergo sessio Petri non potest esse, & non esse primo instanti, secundo, aut tertio determinatè sumptis, neque etiam aliquo indeterminatè sumpto, & multo minus illo, cui propositio coëxistit.

Obiicies. Vt propositio semel vera fiat falsa non aliud requiritur, quàm vt vno tempore sit vera, & deinde falsa; atqui propositio, quæ est vno tempore vera, fieri potest deinde falsa: ergo propositio semel vera fieri potest falsa.

Minor pr. Illa propositio potest esse vno tempore vera, & deinde falsa, cuius obiectum est tale quale repræsentatur per illam vno tempore, & deinde non est tale; atqui obiectum potest esse tale, quale repræsentatur per illam vno tempore, & deinde non esse tale quale repræsentatur: ergo propositio, quæ est vno tempore vera fieri potest deinde falsa.

Minor pr. Obiectum istius propositionis Petrus sedet perseuerantis per mediam est sessio Petri; atqui sessio Petri potest esse vno tempore talis, qualis repræsentatur per illam, & deinde non esse talis, qualis per illam repræsentatur: ergo obiectum potest esse tale, quale repræsentatur

per illam vno tempore, & deinde non esse tale.

Minor pr. Sessio Petri, quæ potest esse primo quadrante talis, qualis repræsentatur, & secundo non esse talis, potest esse vno tēpore talis, qualis repræsentatur, & deinde non esse talis; atqui sessio Petri potest esse primo quadrante talis, qualis repræsentatur, & secundo quadrante non esse talis: ergo & vno tempore, qualis non est alio.

Minor pr. Illa sessio est primo quadrante talis, qualis repræsentatur, & secundo non est talis, quæ repræsentatur existens in primo, & in eo verè existit, & repræsentatur etiam existens in secundo, & in eo non existit; atqui sessio Petri repræsentatur existens in primo, & in eo verè existit, repræsentatur etiam existens in secundo, & in illo non existit: ergo sessio Petri est primo quadrante talis, qualis repræsentatur, & secundo non est talis.

Solutio: *Illa sessio est primo quadrante talis, qualis repræsentatur, & secundo non est talis, quæ existit in primo, & deinde non existit in secundo, quæ repræsentatur tantum existens in primo, & deinde in secundo*, Concedo. *quæ repræsentatur ab initio existens in primo, & in secundo*, Nego. atqui *sessio Petri repræsentatur tantum existens in primo, & deinde etiam tantùm existens in secundo*, Nego. *existens in primo, & in secundo etiam in quo non existit*, Concedo.

Contrà. Propositio illa primo quadrante dicit tantùm Petrum sedere in illo, & secundo quadrante dicit etiam tantùm eiusdem sessionem esse in illo: ergo nulla solutio.

Antecedens pr. Vt propositio illa primo qua-

drante dicat tantum Petrum in illo sedere, & secundo quadrante dicat etiam tantùm eiusdem sessionem esse in illo secundo, necessarium est tantum, vt significet modò hoc instans, modò aliud; atqui illa propositio significare potest modò hoc instans, modò aliud: ergo & dicere tantù m primo quadrante sedere Petrum, & deinde tantùm sedere secundo.

Minor pr. Non minus illa propositio potest significare modo hoc instans, & modo aliud, quàm ista, omnes qui sunt in schola sedent, modo vnum obiectum, modo aliud; atqui ista propositio potest significare modo vnum obiectum, & modo aliud: ergo & illa modo hoc instans, & modo aliud.

Minor pr. Petrus, & Paulus sunt vnum, & aliud obiectum; atqui potest significare modo Petrum, & modo Paulum: ergo & modo vnum obiectum, & modo aliud.

Adprobationem minoris, Supponunt, *illam propositionem durare per mediam, & primo illo quadrante Petrum esse in schola, & sedere, secundo verò abeunte Petro, Paulum venire, similitérque sedere. quo posito sic argumentantur:*

Propositio, quæ significat primo quadrante Petrum, & secundo Paulum, significat modo Petrum, & modo Paulum; atqui ista propositio significat primo quadrante Petrum, & secundo Paulum: ergo significat etiam modo Petrum, & modo Paulum.

Solutio: *Propositio, quæ significat primo quadrante Petrum, ita vt etiam non significet illo quadrante Paulum, sed tantum sequenti, significat mo*

dò Petrum, modo Paulum, Concedo. *quæ significat primo quadrante Petrum, & secundo Paulum, ita vt significet etiam primo Petrum, sicut & secundo Paulum*, Nego. atqui *ista propositio significat primo quadrante Petrum, & secundo Paulum, ita vt non significet illo etiam Paulum simul cum Petro*, Nego. *ita vt significet vtrumque, quamuis non verificetur nisi in Petro primo quadrante defectu aduentus Pauli*, Concedo.

Contrà. Illa propositio non magis significat Paulum primo quadrante, quàm alios homines; atqui non significat alios homines primo quadrante: ergo neque Paulum.

Solutio: *Illa propositio non magis significat primo quadrante Paulum, quàm alios homines, si supponantur non debere venire, & sedere*, Nego. *si supponantur sicut Paulus debere venire, & sedere*, Concedo. atqui *non significat alios homines, qui non debent venire, & sedere*, Concedo. *qui venient, & sedebunt*, Nego.

Contrà. Illa propositio significat alios homines etiam si non sint venturi in scholam: ergo nulla solutio.

Antecedens pr. Tam illa propositio potest significare alios homines non venturos in scholam, quàm actus voluntatis esse prosecutio modò vnius obiecti, & deinde alterius; atqui actus voluntatis esse potest prosecutio modo vnius obiecti, & deinde alterius: ergo & illa propositio significare alios homines etiam si non sint venturi in scholam.

Minor pr. Actus amoris Dei super omnia est actus voluntatis; atqui actus amoris Dei su-

per omnia est prosecutio modò vnius obiecti, modò alterius: ergo & actus voluntatis.

Minor pr. Actus amoris Dei est prosecutio eorum, quæ nobis præcipiuntur à Deo; atqui modò vnum præcipitur, modò aliud: ergo est prosecutio modò vnius obiecti, modò alterius.

Solutio: *Actus amoris Dei est prosecutio successiuè eorum, quæ præcipiuntur à Deo*, Nego. *simultaneè, & ab initio*, Concedo. *& concessa minori*: ergo *est prosecutio modò vnius obiecti, modò alterius, hoc est iam huius, & deinde illius*, Nego. *huius, & illius ab initio*, Concedo.

Contrà. Actus ille non potest esse simul prosecutio duorum contradictoriorum; atqui ea, quorum est prosecutio sunt sæpè contradictoria: ergo actus voluntatis est prosecutio modò vnius, modò alterius successiuè.

Minor pr. Ieiunium, & negatio ieiunij sunt contradictoria; atqui est prosecutio ieiunij, & negationis ieiunij: ergo & contradictoriorum.

Solutio: *Ieiunium, & negatio ieiunii sunt contradictoria pro eodem tempore*, Concedo. *pro diuerso*, Nego. atqui *est prosecutio ieiunii, & negationis ieiunii pro eodem tempore*, Nego. *pro diuerso*, Concedo.

Contrà. Est prosecutio ieiunij, & negationis illius pro tempore pro quo possunt præcipi; atqui præcipi possunt pro eodem tempore: ergo est prosecutio illorum pro eodem tempore.

Solutio: Atqui *ieiunium, & negatio ieiunii pro eodem tempore præcipi possunt simultaneè*, Nego. *sub disiunctione*, Concedo. ergo *pro eodem tempore est prosecutio ieiunii, & negationis ieiunii si-*

multaneè, Nego. *sub disiunctione*, Concedo. *Ratio est, quia ille actus vult ab initio quicquid Deus præcipere potest quandiu ipse est duraturus, & consequenter licèt velit aliquo tempore aliquid, cuius antea contrarium appetiit, non vult tamen modò vnum, & modò aliud, sed illa duo, & alia eo modo, quo possunt illi imperari, scilicet successiuè, ac proinde semper idem vult, & non modò vnum, & postea aliud.*

Contrà. Actus sensus externi, visio v.g. repræsentare potest modò vnum, & postea aliud: ergo & actus voluntatis prosequi vnum, & postea aliud.

Minor pr. Visio repræsentare potest, quod de facto repræsentat; atqui de facto repræsentat modò vnum, & modò aliud: ergo visio repræsentare potest modò vnum, & modò aliud.

Minor pr. Intuemur non raro hominem sedentem in naui properante ad littus; atqui visio illa nostra repræsentat modò vnum, & modò aliud: ergo visi de facto repræsentat modò vnum, & modò aliud.

Minor pr. Vbi, seu sessiones illæ variæ, quas habet ille homo sunt vnum, & aliud; atqui visio nostra repræsentat modò vnam, & modò aliam ex illis: ergo visio illa nostra repræsentat modò vnum, & modò aliud.

Solutio: Atqui *visio illa nostra eadem numero repræsentat modò vnam ex illis sessionibus, & modò aliam*, Nego. *diuersa numero*, Concedo. ergo *visio illa nostra eadem numero repræsentat modò vnum, & modò aliud*, Concedo. *diuersa numero*, Nego.

Contra probatur. Visio illa nostra eadem nu-

mero repræsentat illas omnes sessiones simul, vel successiuè, seu modò vnam, & modò aliam; atqui non repræsentat illas omnes simul: ergo repræsentat illas modo vnam, & modo aliam.

Solutio: *Neganda est maior, quia cùm visio vnica numero repræsentet tantùm vnicam sessionem, & minimè omnes, apposita non est interrogatio, an repræsentet illas simul, an succesiuè? Ratio autem cur repræsentet tantum vnicam, & non plures modò hanc, modo aliam, est, quia cùm sit ei essentiale repræsentare, si ab initio non repræsentaret, quod postea, aut deinde non repræsentaret, quod antea mutaret essentiam, & entitatem quod est impossibile.*

Contra. Visio illa nostra eadem numero non repræsentat vnam tantùm sessionem: ergo repræsentat omnes.

Antecedens pr. Quælibet sessio non repræsentatur à distincta visione numero: ergo visio illa nostra non repræsentat vnam tantùm sessionem.

Antecedens pr. Vt quælibet sessio repræsentetur à distincta visione numero, debent esse tot visiones, quot sessiones; atqui non sunt tot visiones, quot sessiones: ergo quælibet sessio non repræsentatur à distincta visione numero.

Minor pr. Sunt infinitæ sessiones numero distinctæ; atqui non sunt infinitæ visiones numero distinctæ: ergo non sunt tot visiones, quot sessiones.

Solutio: *Sunt infinitæ sessiones totales simul existentes*, Nego. *successiuè existentes*, Concedo. atqui *non sunt infinitæ visiones simul existentes*, Concedo. *succesiuè existentes*, Nego.

Contrà. Vnica viſio ſufficit ad repræſentandas illas omnes ſeſſiones infinitas ſucceſſiuè exiſtentes : ergo non ſunt infinitæ viſiones ſucceſſiuè.

Solutio : *Negandum eſt antecedens, quia cùm viſio non repræſentet niſi id, à quo accipit ſpeciem, & id, quod non eſt, non immittat ipſi ſpeciem, repræſentare nequit omnes, neque ſimul, ſiquidem cùm vna exiſtit alia non exiſtit, neque ſucceſſiuè propter rationem ſuperius adductam, ac proinde tot ſunt neceſſariò admittendæ viſiones, quot ſeſiones in illa ſuppoſitione, ex qua conſequenter malè ducitur poſſe per viſionem repræſentari modo vnum, modo aliud.*

Atque ex his facilis eſt ſolutio inſtantiæ alterius ſimilis primo propoſita, ſed quam ratione materiæ cui applicatur maiorem longè habere vim auctores contrariæ ſententiæ opinantur : eam autem ſic proponunt, ſupponendo Petrum perſeuerare in iſta aſſertione, inſtans A exiſtit per mediam, ita tamen vt cum primo eam elicit ſit verè exiſtentia illius inſtantis, poſtea vero non ſit. quo poſito ſic argumentantur :

In ſuppoſitione facta aſſertio Petri cùm primo eſt vera eſt, & poſtea eſt falſa : ergo de vera fit falſa.

Antecedens pr. Illa aſſertio tunc eſt vera cùm quod aſſerit eſt, & tunc falſa cùm quod aſſerit non eſt ; atqui cùm incipit eſſe, quod aſſerit eſt, & cùm perſeuerat, quod aſſerit non eſt: ergo cùm primò eſt, eſt vera, & poſtea falſa.

Minor pr. Quod aſſerit eſt exiſtentia inſtantis A, ſeu poſitio eius extra cauſas ; atqui cùm primò eſt, eſt illa poſitio, & cùm perſeuerat non eſt

illa positio : ergo cùm incipit esse, quod asserit est, & cùm perseuerat, quod asserit non est.

Solutio : *Quod asserit est existentia instantis A, seu positio eius extra causas praecisè*, Nego. *sibi coexistens, vel totaliter, vel partialiter*, Concedo. atqui *cum primò est, est illa positio sibi coëxistens partialiter*, Concedo. *totaliter*, Nego. *& cum perseuerat, non est ipsi coëxistens partialiter*, Nego. *totaliter*, Concedo. *ex quo patet semper dicere verum, aut semper falsum. Si semel enim verum est coëxistere partialiter semper verum est, & è contra si semel falsum, semper falsum. Caeterum quod assertio ista perseuerans per mediam dicat instans A est, non potest esse verum, si non intelligitur de coexistentia primo illius instanti, nisi in homine ignaro instans A, esse durationis instantaneae. Alioqui assentiretur falsò vt tali cognito. Diceret siquidem instans A, esse tunc, cum perspectum ei esset non posse esse.*

SECTIO IV.

De voluntate.

NON multa hîc habemus dicenda de voluntate, praecipua, quae ad eam pertinent explanaturi commodiùs in tractatu sequenti de Morali. Caeterùm ex his, quae praecedenti sectione diximus de distinctione specifica intellectus humani ab Angelico, inferri facilè potest idem dicendum esse de voluntate humana, & Angelica.

PRIMA CONCLVSIO:

In homine datur appetitus ſenſitiuus.

Homo habet,quod eſt proprium naturę ſenſitiuæ; atqui appetitus ſenſitiuus eſt proprietas naturæ ſenſitiuæ:ergo appetitus ſenſitiuus datur in homine.

Maior pr. Qui habet naturam ſenſitiuam habet etiam quod eſt proprium naturę ſenſitiuæ;atqui homo habet naturam ſenſitiuam : ergo & quod eſt proprium naturæ ſenſitiuæ.

Minor pr. In eo datur natura ſenſitiua,quod verè eſt animal;atqui homines ſunt verè animalia: ergo habent naturam ſenſitiuam.

SECVNDA CONCLVSIO:

Obiectum voluntatis adæquatum eſt bonum iucundum,honeſtum,atque etiam vtile, & item malum illis oppoſitum.

ILLVD eſt obiectum adæquatum voluntatis, quod terminat omnes illius actus; atqui bonum honeſtum, iucundum, vtile, & malum illis oppoſitum terminant omnes illius actus : ergo ſunt eius obiectum adæquatum.

Minor pr. Actus voluntatis ſunt proſecutiui, vel auerſatiui; atqui enumerata terminant actus illius proſecutiuos, & auerſatiuos : ergo & omnes actus illius.

Minor pr. De alio non poteſt eſſe dubium, an

terminat actus prosecutiuos voluntatis? quàm de bono honesto ; atqui illud verè terminat huiusmodi actus: ergo allata terminant actus prosecutiuos, & auersatiuos voluntatis.

Minor pr. Bonitas aliqua terminat actum, quo iusti volunt macerationem corporis à Deo præceptam; atqui ista bonitas non est alia, quàm honesta : ergo bonum honestum an terminet actus prosecutiuos voluntatis.

Minor pr. Illa bonitas est iucunda, vel honesta; atqui non est iucunda: ergo est honesta.

Minor pr. Ibi non est bonitas iucunda vbi est multum molestiæ ; atqui in ea maceratione corporis est multum molestiæ : ergo in ea non est bonitas iucunda.

TERTIA CONCLVSIO:

Ad omnem actum voluntatis requiritur cognitio.

ACTVS voluntatis sunt prosecutio, vel auersatio obiecti ; atqui requiritur cognitio ad omnem prosecutionem, & auersationem : ergo & ad omnem actum voluntatis.

Minor pr. Ad omnem prosecutionem, & auersationem obiecti requiritur illud, sine quo voluntas neque auersari potest obiectum, neque prosequi; atqui sine cognitione voluntas neque potest auersari, neque prosequi obiectum : ergo cognitio requiritur ad omnem prosecutionem, & auersationem obiecti.

Minor pr. Sine eo voluntas neque auersari, neque

prosequi potest obiectum, sine quo non potest cognoscere, neque eius bonitatem, neque malitiam; atqui sine cognitione non potest cognoscere, neque eius bonitatem, neque malitiam: ergo neque sine eadem illud auersari, aut prosequi.

Minor probatur. Sine eo voluntas non potest cognoscere obiectum, quod solum est cognoscitiuum obiecti; atqui nihil aliud, quàm cognitio est repræsentatiua obiecti: ergo sine cognitione voluntas non potest cognoscere, neque bonitatem, neque malitiam obiecti.

Obiicies. Subiti affectus, qui sæpè excitantur in nobis sunt verè actus voluntatis; atqui ad eos nulla cognitio requiritur: ergo neque ad omnem actum voluntatis.

Minor pr. Ad illud non requiritur cognitio, quod elicitur nulla præuia cognitione; sed isti actus subiti eliciuntur nulla præuia cognitione: ergo ad eos nulla requiritur cognitio.

Minor pr. Nullam habemus præuiam cognitionem istorum actuum, neque ipsorum obiecti: ergo isti actus eliciuntur nulla præuia cognitione.

Antecedens pr. Nullam habemus præuiam cognitionem illius, quod non experimur nos cognoscere; atqui non experimur nos cognoscere, neque illos affectus, neque illorum obiectum: ergo nullam habemus præuiam cognitionem istorum actuum.

Solutio: *Nullam habemus præuiam cognitionem illius, quod non experimur nos cognoscere cum illa aduertentia, cum qua experimur nos cognoscere alia,* Nego. *quod non experimur vllo modo nos cognoscere,* Concedo. atqui *non experimur nos cognoscere*

illos affectus, neque illorum obiectum cum illa aduertentia, cum qua experimur nos cognoscere alia, Concedo. *minori aduertentia, & non ita sensibili,* Nego.

Contrà. Nullo modo experimur id, quod non est; atqui cognitio illorum non est in nobis; ergo nullo modo experimur nos cognoscere illa.

Minor pr. Non magis cognitio illorum est in nobis, quàm eorum, quorum inquisitionem voluntas imperat intellectui; atqui cognitio eorum non est in nobis: ergo neque illorum.

Solutio: Atqui *cognitio non est in nobis eorum, quorum inquisitionem imperat voluntas secundùm se sumptorum,* Concedo. *repræsentatorum ut inquirenda,* Nego.

SECTIO V.

De Habitibus.

CONVENIUNT facilè auctores habitum naturalem esse qualitatem permanentem non dantem suo subiecto simpliciter posse, vt faciunt potentia, & habitus supernaturales; sed tantùm facilitantem potentiam, cui est superaddita ad similes actus iis, à quibus est producta. Non consentiunt autem, an dentur huiusmodi aliquæ qualitates? & in quibus potentiis? Quid nobis verisimilius videatur, declarabunt sequentes conclusiones.

Prima Conclvsio:

Non dantur habitus in sensibus externis, interno, potentia loco-motiua, & intellectu.

In potentiis necessariis non dantur habitus; atqui sensus externi, internus, intellectus, & potentia loco motiua sunt potentiæ necessariæ: ergo in illis non dantur habitus.

Maior pr. In illis potentiis non dantur habitus, in quibus non est maior inclinatio ad agendum; atqui in potentiis necessariis non est maior inclinatio ad agendum: ergo in illis non dantur habitus.

Minor probatur. In illis potentiis non est maior inclinatio ad agendum, quæ abstinere non possunt ab actione positis omnibus ad agendum requisitis; atqui potentiæ necessariæ non possunt abstinere ab actione, positis omnibus ad agendum requisitis: ergo in potentiis necessariis non est maior inclinatio ad agendum.

Maior probatur. In illis non potest esse maior inclinatio ad agendum, quæ rapiuntur quàm maximo conatu possunt ad actionem; atqui potentiæ, quæ abstinere non possunt ab actione, rapiuntur quàm maximo possunt conatu ad actionem: ergo in illis non est maior inclinatio ad agendum.

Obiicies. Potentia loco-motiua citharœdi est vera potentia loco-motiua, & imaginatio equi

verus sensus internus, sicut & vis intellectiua hominis verus intellectus; atqui in potentia locomotiua citharœdi, imaginatione equi, & intellectu hominis dantur veri habitus: ergo in sensu interno, intellectu, & potentia loco-motiua dantur veri habitus.

Minor probatur. In illis dantur veri habitus, in quibus est maior facilitas ad agendum vno tempore, quàm alio; atqui in potentia loco-motiua citharœdi, imaginatione equi, & intellectu hominis est maior facilitas ad agendum vno tempore, quàm alio: ergo in intellectu hominis, imaginatione equi, & potentia loco-motiua dantur veri habitus.

Prima pars minoris probatur.

In illa potentia loco-motiua datur maior facilitas ad agendum vno tempore, quàm alio, quæ non tam facilè mouet, ac pulsat initio, ac post aliquod tempus; atqui potentia loco-motiua citharœdi non tam facilè mouet, ac pulsat initio ac post aliquod tempus: ergo in illa datur maior facilitas ad agendum.

Solutio: Atqui *potentia loco-motiua citharœdi paulò post initium mouet faciliùs facilitate proueniente ex aliqua qualitate speciali superaddita*, Nego. *facilitate proueniente ex attenuatione humorum, corroboratione neruorum, & intensione specierum imaginationis*, Concedo. ergo *ad agendum datur in illo maior facilitas proueniens ex aliqua qualitate speciali superaddita*, Nego. *orta ex attenuatione humorum, corroboratione neruorum, & intensione specierum imaginationis*, Concedo.

Contrà. Facilitas illa, maior vndecunque proueniat est habitus: ergo nulla solutio.

Solütio : *Negandum est antecedens. Ratio est, quia nomine habitus non intelligitur quæcunque facilitas, sed ea tantùm, quæ prouenit à qualitate speciali superaddita, qualis non est, quæ reperitur in potentia loco-motiua citharœdi, vt ostensum est in solutione argumenti præcedentis.*

Secunda & tertia pars minoris argumenti superioris, esse maiorem facilitatem, & in imaginatione equi, & intellectu hominis, pr.

In illius imaginatione est maior facilitas, sicut & in intellectu, quod faciliùs imaginatur, & intelligit, quàm antè; atqui imaginatio equi faciliùs imaginatur, & intellectus hominis intelligit etiam faciliùs, quàm antè: ergo in intellectu hominis, & imaginatione equi est maior facilitas.

Solutio: Atqui *imaginatio equi faciliùs imaginatur, & intellectus hominis intelligit etiam facilius, facilitate proueniente ab aliqua speciali qualitate superaddita*, Nego. *proueniente ab intensioribus speciebus*, Concedo. ergo *in intellectu hominis, & imaginatione equi est maior facilitas prouenient ab aliqua qualitate speciali superaddita*, Nego. *orta ab intensioribus speciebus relictis in illis ab actibus præcedentibus sæpius repetitis*, Concedo.

Contrà. Facilitas illa maior imaginationis equi & intellectus hominis, non possunt prouenire ab intensioribus speciebus: ergo nulla soltio.

Antecedens pr. Facilitas illa maior prouenire debet ab aliquo, quod se teneat ex parte potentiæ; atqui intensio specierum non se tenet ex par-

te potentiæ: ergo facilitas illa maior intellectus hominis, & imaginationis equi, non prouenit ab speciebus intensioribus.

Solutio: *Neganda est maior. Ratio negati est, quia facilitas illa non est dicenda prouenire (cùm natura nihil admittat superfluum) ab alio, quàm ab eo, quod sufficit vt intellectus, & imaginatio faciliùs operentur. Ad hoc autem sufficit intensio specierum, quarum primæ dant posse operari, sequentes verò, & quæ indunt istas dant facilè posse operari.*

SECVNDA CONCLVSIO:

Dantur veri, & proprij habitus in voluntate.

PROPRII habitus sunt qualitates superadditæ potentiis inclinantes eas ad operandum; atqui dantur in voluntate qualitates ipsi superadditæ eam inclinantes ad operandum: ergo & veri, & proprij habitus.

Minor pr. Inclinatio illa, quæ est in voluntate ad faciendum, quod sæpius fecit, prouenire debet, vel à qualitate ipsi superaddita illam ad hoc inclinante, vel ab aliquo alio; atqui non prouenit ab vllo alio: ergo dantur in voluntate qualitates ipsi superadditæ inclinantes eam ad operandum.

Minor pr. Illud aliud inclinans voluntatem non potest esse nisi perfectio specierũ, aut experientia minorum difficultatum in prosecutione obiecti; atqui illa inclinatio non prouenit à perfectiori

cognitione bonitatis obiecti, nec ab experientia minorum difficultatum in eius prosecutione: ergo inclinatio illa non prouenit ab vllo alio.

Minor pr. Illa inclinatio non prouenit ab eo, quod cùm non est, ipsa reperitur; atqui cùm non est perfectior illa cognitio bonitatis obiecti, & experientia pauciorum difficultatum in prosecutione illius, est illa inclinatio: ergo non prouenit à perfectiori cognitione obiecti, aut experientia minorum difficultatum.

Minor pr. In lusoribus, intemperatè viuentibus, & veneri deditis est inclinatio ad similia facienda; atqui in illis non est perfectior cognitio bonitatis obiecti, quod prosequuntur, nec experientia minorum difficultatum in eius prosecutione: ergo illa inclinatio est, cùm non est perfectior cognitio bonitatis obiecti, & experientia pauciorum difficultatum.

Minor pr. In illis non est perfectior cognitio bonitatis obiecti, quod prosequuntur, & experientia pauciorum difficultatum in eius prosecutione, qui cognoscunt illud habere annexa plura incommoda, & plus damni patiuntur ex eius prosecutione; atqui lusores, & intemperatè viuentes cognoscunt ludum, & intemperantiam habere plura annexa incommoda, & plus damni patiuntur ex eius prosecutione: ergo in illis non est perfectior cognitio bonitatis obiecti, quod prosequuntur, & experientia minorum difficultatum in eius prosecutione.

Minor pr. Iacturam faciunt valetudinis, & fortunarum: ergo plus damni patiuntur ex eius prosecutione.

Obiicies. Non poteſt dari qualitas vlla ſuperaddita voluntati, quæ illam inclinet ad operandum: ergo neque verus, & proprius habitus.

Antecedens pr. Qualitas ſuperaddita voluntati, & illam inclinans ad operandum, debet hoc facere, vel in genere cauſæ formalis, vel efficientis; atqui illa qualitas ſuperaddita voluntati non inclinat illam neque in genere cauſæ formalis, neque efficientis: ergo non poteſt dari qualitas ei ſuperaddita, quæ illam inclinet.

Prima pars minoris probatur.

Quod eſt ſuperadditum voluntati, & illam inclinat in genere cauſæ formalis, inclinat illam tandiu, quandiu eſt illi ſuperadditum; atqui qualitas iſta ſuperaddita non eam inclinat, quandiu eſt illi ſuperaddita: ergo non inclinat voluntatem in genere cauſæ formalis.

Solutio: *Quod eſt ſuperadditum voluntati, & illam inclinat in genere cauſæ formalis illam inclinat tandiu, quandiu eſt, ſi non pendeat, vt id faciat ab vlla conditione, quæ aliquando non ſit cum ipſum eſt,* Concedo. *ſi pendeat ab aliqua conditione aliquando ipſi non coexiſtente,* Nego. atqui *qualitas iſta ſuperaddita non inclinat illam, quandiu eſt ipſi ſuperaddita; & non pendet ab vlla conditione, vt id faciat ipſi aliquando non coëxiſtente,* Nego. *& pendet ab huiuſmodi conditione ipſi non coexiſtente aliquando,* Concedo.

Contrà. Iſta qualitas non poteſt pendere, vt inclinet ab aliqua conditione quæ non ſit, cùm ipſa eſt: ergo nulla ſolutio.

Antecedens pr. Conditio illa non poteſt eſſe alia, quàm cognitio obiecti, ad quod inclinatur

voluntas; atqui non est cognitio obiecti, ad quod inclinatur voluntas : ergo qualitas ista superaddita non pendet vt inclinet voluntatem ab vlla conditione.

Minor probatur. Cognitio non potest dici conditio, vt ista qualitas inclinet voluntatem, nisi conferat ei aliquid ad illam inclinationem; atqui cognitio nihil ei confert : ergo cognitio obiecti non est conditio, à qua pendet ista qualitas superaddita, vt inclinet voluntatem.

Minor probatur. Cognitio non potest conferre aliter, quàm per repræsentationem; atqui illa repræsentatio obiecti nihil confert : ergo cognitio nihil ei confert.

Minor probatur. Illud nihil confert ad illam inclinationem, quod non auget entitatem illius qualitatis; atqui ista repræsentatio non auget entitatem illius qualitatis : ergo repræsentatio obiecti nihil confert.

Solutio : *Neganda est maior. Ratio est, quia vt conferat aliquid ad illam inclinationem, sufficit, vt voluntatem ponat in iis circumstantiis, in quibus possit operari, & sentire illam inclinationem. Certum autem est, quòd voluntas sine cognitione operari non possit, & consequenter, quòd frustra esset illa inclinatio, quæ esset coniuncta cum impotentia operandi.*

Secunda pars minoris præcedentis argumenti, qualitatem istam superadditam, non inclinare in genere causæ efficientis, probatur.

Illud non inclinat voluntatem in genere causæ efficientis, quod illam non reddit faciliorem ad efficiendum actum; atqui qualitas illa super-

addita non reddit voluntatem faciliorem ad efficiendum actum: ergo non inclinat illam in genere causæ efficientis.

Minor probatur. Illud non reddit faciliorem voluntatem ad efficiendum actum, quem voluntas faciliùs efficere non potest; atqui voluntas faciliùs efficere non potest suos actus: ergo qualitas illa non reddit faciliorem voluntatem ad efficiendum suum actum.

Minor pr. Voluntas efficere non potest faciliùs, quod semper æquè citò facit; atqui voluntas semper æquè citò facit suos actus: ergo non potest illos efficere faciliùs.

Solutio: *Voluntas efficere non potest faciliùs, quod semper æquè citò facit si semper æqualem debeat adhibere conatum in eo efficiendo*, Concedo. *si non debeat semper adhibere æqualem conatum, sed aliquando minorem*, Nego. atqui *voluntas semper æquè citò facit suos actus, & æqualem semper debet adhibere conatum in iis efficiendis*, Nego. *& non debet semper adhibere æqualem, sed aliquando minorem; quando scilicet iuvatur ab aliis comprincipiis*, Concedo. *Tunc autem certum est faciliùs facere; potest enim illud facere, & aliquid aliud viribus illis, quas non impendit propter auxilium, quod accipit à concausis.*

TERTIA

TERTIA CONCLVSIO:

Habitus producuntur principaliter ab actibus.

ACTVS sunt causæ principales habituum : ergo habitus producuntur principaliter ab actibus.

Ant. pr. Illud est causa principalis alterius, quod est illius sola causa creata cum generali Dei concursu; atqui actus sunt sola causa creata cum generali concursu Dei habituum: ergo actus sunt causæ principales habituum.

Minor pr. Non potest aliud creatum dici causa habituum, quàm voluntas, cognitio, aut obiectum; atqui neque voluntas, neque cognitio, neque obiectum dici debent causa habituum: ergo actus sunt sola causa creata habituum cum generali Dei concursu.

Minor probatur. Illud dici non potest causa habituum, quo posito non ponuntur; atqui posita voluntate, cognitione, & obiecto habitus non ponuntur: ergo neque voluntas, neque cognitio, neque obiectum dici debent causa habituum.

Minor pr. Voluntas semper est, sæpissimè etiam cognitio, & obiectum; atqui non est habitus: ergo posita voluntate, cognitione, & obiecto habitus non ponuntur.

Obiicies. Illud non est causa habituum, quod non producit habitus; atqui actus non producunt habitus: ergo non sunt causa illorum.

Minor pr. Illud non producit habitus, quod

producitur ab illis; atqui actus producuntur ab habitibus: ergo non producunt habitus.

Solutio: Atqui *actus producuntur ab habitibus, quos produxerunt*, Nego. *quos non produxerunt*, Concedo. ergo *non producunt habitus, à quibus producuntur*, Concedo. *à quibus non producuntur*, Nego.

Contrà. Actus nullos producunt habitus: ergo nulla solutio.

Antecedens pr. Non possunt illos producere nisi in genere causæ principalis, vel instrumentalis; atqui actus neque in genere causæ principalis, neque instrumentalis producunt habitus: ergo nullos producunt.

Respondeo *producere in genere causæ principalis*.

Contrà. Illud non producit habitus in genere causæ principalis, quod est quid illis ignobilius; atqui actus sunt ignobiliores habitibus: ergo non producunt illos in genere causæ principalis.

Minor pr. Actus sunt ignobiliores eo, quod est potentia, aut complementum potentiæ respectu illorum; atqui habitus sunt potentia, aut complementum potentiæ respectu actuum: ergo hi sunt illis ignobiliores.

Solutio: *Permissa maiori neganda est minor. Dico permissa maiori, quia species impressa est complementum potentiæ productiuæ expressæ, & tamen est ea ignobilior*.

Contrà. Habitus sunt potentia, aut complementum potentiæ respectu actuum, aut tantùm facilitas ad illos; atqui non sunt tantùm facilitas ad illos: ergo sunt potentia, aut complementum

potentiæ respectu illorum.

Minor pr. Quod est tantùm facilitas ad actus, facilitare potest voluntatem ad actum se intensiorem; atqui habitus non potest facilitare voluntatem ad actum se intensiorem: ergo non est facilitas ad actus.

Minor pr. Quod non potest producere actum se intensiorem, non potest esse facilitas ad actum intensiorem; atqui habitus remissus non potest producere actum se intensiorem: ergo neque esse facilitas ad illum.

Minor pr. Quod est remissius non potest producere intensius: ergo habitus remissus non potest producere actum se intensiorem.

Solutio: *Quod est remissius non potest solum producere intensius*, Concedo. *si iungatur alteri, quod sit sufficiens per se solum ad dandum esse illi intensiori*, Nego. *Habitus autem remissus habet se eo modo respectu actus intensioris, quem producit. Illum enim non producit solus, sed simul cum voluntate, quæ sola dare illi possit esse.*

QVARTA CONCLVSIO:

Habitus destruuntur per habitus contrarios, aut otio diuturniori.

PER illud habitus destruuntur, quod est causa, aut quasi causa desitionis ipsorum; atqui habitus contrarius, & otium diuturnius sunt causa, aut quasi causa desitionis alterius habitus: ergo habitus destruuntur per habitus contrarios, aut otio diuturniori.

Minor pr. Illud est causa desitionis alterius habitus, quo posito ille cessat esse; atqui posito habitu contrario, aut otio diuturniori habitus cessat esse: ergo habitus contrarius, & otium diuturnius sunt causa desinitionis alterius habitus.

Minor pr. Habitus est facilitas, & inclinatio ad actum; atqui posito habitu contrario, aut otio diuturniori cessat illa facilitas: ergo & habitus.

Prima pars minoris probatur.

Eo posito cessat inclinatio ad actum, cum quo stare non potest; atqui inclinatio ad actum stare non potest cum habitu contrario: ergo posito habitu contrario cessat esse illa facilitas, & inclinatio.

Minor pr. Inclinatio ad actum stare non potest cum inclinatione ad oppositum; atqui habitus contrarius est inclinatio ad oppositum: ergo inclinatio ad actum stare non potest cum habitu contrario.

Secunda pars minoris superioris argumenti, facilitatem scilicet ad actum cessare otio diuturniori, probatur.

Otium diuturnius est non productio vllius planè actus ab habitu per longum tempus; atqui cùm habitus nullum producit actum per longum tempus, cessat facilitas ad huiusmodi actus: ergo otio diuturniori cessat facilitas ad actum.

Minor pr. Facilitas ad eliciendum aliquem actũ cessat, cùm in illo producendo laboramus, & experimur difficultatem; atqui cùm habitus nullum producit actum per longum tempus, non minorem ferè experimur difficultatem in ponen-

dis actibus similibus iis, quos eliciebat, ac si nunquam illum habuissemus: ergo facilitas ad actum cessat cùm habitus per longum tempus nullum elicuit eius actum.

Minorem probat experientia quotidiana.

Obiicies primo contra hanc secundam partem.

Otium diuturnius non est causa, nec quasi causa desitionis habituum: ergo habitus non destruuntur otio diuturniori.

Antecedens pr. Otium diuturnius, seu cessatio per longum tempus ab actu proprio habitus, aut illi contrario nunquam datur in voluntate: ergo otium diuturnius non est quasi causa desitionis habituum.

Antecedens pr. Necessarium est, vt voluntas amet obiectum illius habitus, vel non amet; atqui amor est actus proprius illius, & non amor actus illi contrarius: ergo cessatio per longum tempus ab actu proprio habitus, aut illi contrario nunquam datur in voluntate.

Solutio: *Necessarium est, vt voluntas amet obiectum illius habitus, vel non amet ponendo odium, vel actum alium cum amore incompossibilem*, Nego. *non ponendo amorem, neque vllum alium actum cum eo compossibilem*, Concedo. atqui *amor est actus proprius illius*, Concedo *illam partem, & distinguo sequentem; & non amor per positionem odii, aut alterius actus cum eo incompossibilis est actus illi contrarius*, Concedo. *non amor seu non positio, neque odii, neque actus alicuius alterius incompossibilis*, Nego. *Tunc enim est merè quid negatiuum. Contraria autem debent esse ambo positiua. Quòd autem voluntas sæpè habeat huiusmo-*

di non amorem, inde fit euidens, quod intellectus nihil omnino ei de huiusmodi obiecto praesentet, quo casu non est dubium, quin maneat impotens voluntas ad omnem actum circa huiusmodi obiectum.

Obiicies secundo contra primam partem.

Habitus non destruuntur per illud, quod est cum ipsis compossibile; atqui habitus contrarij sunt compossibiles: ergo habitus non destruuntur per habitus contrarios.

Minor pr. Illa sunt compossibilia, quae sunt simul in eodem subiecto; atqui habitus contrarij sunt simul in eodem subiecto: ergo sunt compossibiles.

Minor pr. Subiectum habituum est voluntas; atqui sunt simul in voluntate: ergo & in eodem subiecto.

Vt probent minorem, Supponunt, aliquem habere intensum valdè habitum intemperantiae, eundémque elicere actum temperantiae, qui sit productiuus habitus valdè intensi temperantiae. *quo posito sic argumentantur:*

Habitus temperantiae, & intemperantiae sunt contrarij; atqui sunt simul in voluntate: ergo & habitus contrarij.

Minor pr. Illi habitus sunt simul in voluntate, quorum cùm vnus est, alter etiam est; atqui cùm est habitus iste intemperantiae in casu posito est etiam habitus temperantiae: ergo sunt simul in voluntate.

Minor pr. Habitus temperantiae est in voluntate cùm primùm est actus ille valdè intensus temperantiae; atqui cùm primùm est actus ille

valdè intensus temperantiæ est habitus intempe rantiæ: ergo cùm est habitus iste intemperant iæ est etiam habitus temperantiæ.

Maior pr. Habitus temperantiæ est, cùm producitur ab actu temperantiæ; atqui cùm primùm est iste actus temperantiæ producit habitum temperantiæ: ergo habitus temperantiæ est in voluntate cum primum est ille actus valdè intensus temperantiæ.

Minor pr. Iste actus temperantiæ producit habitum temperantiæ, cum est cum habitu intemperantiæ; atqui non est cum habitu intemperantiæ nisi cùm primùm est: ergo iste habitus temperantiæ producit habitum temperantiæ cùm primum est.

Maior pr. Actus temperantiæ producit habitum istum temperantiæ, vel cùm est cum habitu intemperantiæ, vel postea; atqui non producit postea: ergo producit illum cùm est cum habitu intemperantiæ.

Minor pr. Ille actus non producit habitum temperantiæ cum non est; atqui postquam fuit cum habitu intemperantiæ non est: ergo non producit postea habitum temperantiæ.

Minor pr. Ille actus, qui est durationis instantaneæ, non est postquã fuit cum habitu in temperantiæ; atqui ille actus potest esse durationis instantaneæ: ergo non est postquam fuit cum habitu intemperantiæ.

Minor pr. Ille actus debet esse durationis instantaneæ, vel necessarius instantibus sequentibus primum; atqui non potest dici necessarius: ergo potest esse durationis instantaneæ.

Minor pr. Actus ille instanti sequente primum generat habitum; atqui actus necessarius non potest generare habitum: ergo non potest dici necessarius.

Solutio: *Ille actus debet esse durationis instantanea, vel instantibus sequentibus primum necessarius per accidens*, Concedo. *naturâ suâ*, Nego. Atqui *actus naturâ suâ necessarius, non potest generare habitum*, Concedo. *per accidens tantum necessarius, & naturâ suâ liber*, Nego.

Contrà. Actus per accidens necessarius generare non potest habitum: ergo nulla solutio.

Antecedens pr. Habitus generatur tantùm ab actibus similibus iis, ad quos inclinat; atqui actus, ad quos inclinat non sunt per accidens necessarij: ergò actus per accidens necessarius non potest generare habitum.

Minor pr. Quod nullo modo est necessarium, non est necessarium per accidens; atqui actus, ad quos inclinat habitus, nullo modo sunt necessarij: ergo actus, ad quos inclinat, non sunt per accidens necessarij.

Solutio: Atqui *actus, ad quos habitus inclinat non sunt necessarii primo instanti, quo producuntur*, Concedo. *aliis sequentibus immediatè*, Nego. *& eodem modo consequens distinguendum est. Isti actus dicuntur necessarii instantibus sequentibus primum, quia ab iis cessare non potest voluntas. Experimur enim sepè nos non posse quantumcunque adhibeamus conatum elicere multos actus intra tempus, quo quis claudit, aut aperit oculos, cum tamen intra illud infinita transeant instantia, & partes temporis proportionales. Quidam refundunt illam impoten-*

tiam in coniunctionem animæ cum corpore, & dependentiam à sensibus, qui non ita expeditè operantur: alii in limitationem animæ, & eius naturam cognitam experientia, qua mouentur, vt idem sentiant de aliis agentibus liberis creatis, simili modo, quo ex eo, quod anima egeat speciebus idem passim asseritur de Angelis.

SECTIO VI.

De Anima separata.

CVM anima rationalis, vt probauimus sectione prima huius disputationis, sit immortalis, non est quidem dubium, quin dissoluta eius vnione cum corpore ipsa nihilominus perseueret; sed non omninò exploratum est quo modo se habeat in illa separatione siue in se, siue in suis potentiis, & operationibus. Quid verisimilius videatur paucis declarabimus.

PRIMA CONCLVSIO:

Anima separata exigit vniri corpori.

QVOD est pars totius naturalis essentialis exigit vniri suæ comparti; atqui anima rationalis est pars totius naturalis essentialis, & corpus est eius compars: ergo anima separata exigit vniri corpori.

Maior pr. Pars totius naturalis essentialis est materia, vel forma; atqui materia exigit vniri formæ, & forma materiæ: ergo & pars totius naturalis essentialis suæ comparti.

Minor pr. Materia exigit compleri à forma, & forma complere materiam; atqui exigentia huius complementi est exigentia vnionis: ergo materia exigit vniri formæ, & forma materiæ.

Minor pr. Complementum materiæ per formam est vtriusque vnio: ergo exigentia huius complementi est exigentia vnionis.

Obiicies. Anima separata non exigit vnionem cum corpore: ergo non exigit vniri corpori.

Antecedens pr. Anima non exigit neque appetitu innato, neque elicito, quod non potest habere, & nouit se non posse habere; atqui anima separata non potest habere vnionem cum corpore, & nouit se non posse illam habere: ergo non exigit illam.

Solutio: *Anima non exigit, quod non potest habere, hoc est recipere*, Concedo. *quod non potest habere, hoc est, producere ipsamet*, Nego. Atqui *cum est separata à corpore, non potest habere vnionem cum illo, hoc est, recipere illam, & esse illius subiectum, & per illam actuare corpus*, Nego. *hoc est ipsamet eam producere*, Concedo.

Contrà. Anima non potest recipere vnionem, quæ non potest produci; atqui vnio animæ separatæ non potest produci: ergo anima non potest illam recipere.

Minor probatur. Vnio animæ separatæ non potest produci, nisi vel ab ipsa, vel ab agente vniuersali parato ad dandum ipsi, sicut & aliis rebus naturalibus, quod exigit; atqui ex concessis non potest produci ab ipsa, neque ab agente vniuersali parato ad dandum ipsi, sicut & aliis rebus naturalibus, quod exigit: ergo verum est non posse produci.

Respondeo *posse produci ab agente vniuersali si desit particulare.*

Contrà. Agens vniuersale non potest dici paratum, seu habere vim ad productionem repugnantem exigentiæ præualenti, & potentiori; atqui exigentia præualens, & potentior opponit se, & repugnat productioni vnionis animæ separatæ: ergo agens vniuersale non potest dici paratum, & habere vim ad illam producendam.

Solutio: *Agens vniuersale non potest dici paratum, & habere vim ad productionem repugnantem exigentiæ præualenti, & potentiori cum huius repugnantia, & oppositio est pro semper, & in omnibus circunstantiis,* Concedo. *cùm non est pro semper, sed tantum in aliquibus circunstantiis,* Nego. atqui *exigentia præualens, & potentior apponit se productioni vnionis animæ separatæ pro semper,* Nego. *in aliquibus circunstantiis,* Concedo.

Contrà. Materia exigit vnionem cum noua anima, & pulchritudo vniuersi, quæ crescit etiam multiplicitate indiuiduorum petit etiam eandem; atqui illæ duæ exigentiæ sunt præualentes, & potentiores, quàm sit illa productionis vnionis animæ separatæ non tantum in aliquibus circunstantiis, sed in omnibus, & semper: ergo exigentia præualens, & potentior repugnat, & opponit se exigentiæ vnionis animæ separatæ semper, & non tantum in aliquibus circunstantiis.

Solutio: Atqui *duæ illæ exigentiæ sunt præualentes, & potentiores semper, & in omnibus circunstantiis, quàm sit illa productionis vnioni-*

anima separata sumpta vt iam præterita, aut effectus qui fuit, Concedo. *sumpta secundùm se*, Nego. *Hæc enim hoc modo sumpta posset esse noua vnio, si nimirum, vt fieri posset, anima cuius est vinculum produceretur tantùm iam, & non fuisset priùs producta, & postea separata; quo fit vt hoc modo sumpta supponat veram, & propriam vim effectiuam in agente ad sui productionem, & in anima veram etiam vim subiectiuam, quæ est illa exigentia, quam asserit conclusio*: ergo *exigentia præualens, & potentior opponit se semper, & in omnibus circunstantiis exigentiæ vnionis animæ separatæ sumptæ vt iam præteritæ, & vt est vinculum effectus, qui fuit*, Concedo. *sumpta secundum se, & præscindendo ab eo, quod anima desierit coniungi corpori*, Nego. *Sub ea enim ratione tam potest effici ab agente, & in anima recipi, ac quæuis alia.*

Contrà. Ex concessis vnio animæ sumptæ vt separatæ, non potest produci; atqui conclusio intelligitur, & hîc est quæstio de anima vt separata: ergo conclusio falsò asserit animam separatam exigere vniri corpori, & illam vnionem posse effici, & in ea recipi.

Minor pr. Conclusio non intelligitur de anima vt non separata, & de hac non est quæstio: ergo intelligitur de anima vt separata, & de hac debet esse quæstio.

Consequentia pr. Nullum est medium inter animam vt non separatam, & eandem vt separatam: ergo conclusio non intellecta de anima vt non separata, debet intelligi de anima vt separata.

Solutio : *Negandum est antecedens, & dicendum illud medium esse animam secundum se, & præscindentem à separatione, & non separatione: cui cùm hoc modo sumptæ conueniat essentialiter exigentia vnionis, hæc exigentia semper in illa manet siue in non separatione, siue in separatione cum hac tantùm differentia, quòd in non separatione satisfit illi exigentiæ, per separationem vero ponitur impedimentum ne illi satisfiat, sed positio illius impedimenti supponit exigentiam illam esse, & consequenter quod contendimus, scilicet, animam separatam exigere vniri corpori, seu separationem non auferre illi, hoc quod est, esse entitatem incompletam aptam quantum est ex se constituere cum corpore totum naturale essentiale, seu hominem.*

SECVNDA CONCLVSIO:

Anima separata intelligit, & vult.

ANIMA separata est innocens vel rea; atqui vtraque intelligit, & vult: ergo & anima separata.

Minor pr. Anima, quæ lætatur, vel dolet, intelligit & vult; atqui anima innocens lætatur, & rea dolet: ergo vtraque intelligit & vult.

Maior pr. Anima, quæ habet actum voluntatis ex præuia cognitione intelligit, & vult; atqui anima quæ lætatur, vel dolet habet actum voluntatis ex præuia cognitione: ergo anima quæ lætatur, vel dolet intelligit, & vult.

Minor pr. Lætitia, & dolor sunt actus voluntatis ex præuia cognitione; atqui anima quæ lætatur,

vel dolet, habet lætitiam, vel dolorem: ergo & actum voluntatis ex præuia cognitione.

Maior pr. Cognitio requiritur ad omnem actum voluntatis: ergo lætitia, & dolor sunt ex præuia cognitione.

TERTIA CONCLVSIO:

Anima separata intelligit per species, quas habebat vnita corpori.

ANIMA separata conseruat plurimas ex illis speciebus, quas habebat vnita corpori: ergo intelligit per species, quas habebat vnita corpori.

Antecedens probatur. Nihil deest animæ separatæ ad conseruationem multarum ex illis speciebus, quas habebat vnita corpori: ergo illas conseruat.

Ant. pr. Requisita ad conseruationem illarum specierum sunt, remanere earum causam conseruantem, & subiectiuam, & in hanc non introduci quidquam ipsis contrarium; atqui anima est earum causa conseruans, & subiectiua, & in ista nihil recipitur ipsis contrarium: ergo nihil deest animæ ad conseruationem multarum ex illis speciebus, quas habebat vnita corpori.

Respondent: *Anima est causa subiectiua illarum specierum totalis*, Nego. *partialis*, Concedo.

Contrà. Corpus, seu materia non est vllo modo subiectum plurimarum ex speciebus, quas ha-

bebat anima vnita corpori :ergo anima eſt cauſa ſubiectiua ipſarum totalis, & non tantùm partialis.

Antecedens pr. Corpus, ſeu materia non eſt ſubiectum ſpecierum ſpiritalium; atqui plurimæ ex ſpeciebus, quas habebat anima vnita corpori ſunt ſpiritales: ergo corpus, ſeu materia non eſt vllo modo ſubiectum illarum.

Minor pr. Species relictæ ab actibus intellectus, dum anima erat vnita corpori ſunt verè ſpiritales; atqui illæ ſunt valdè multæ : ergo plurimæ ex ſpeciebus, quas habet anima ſunt ſpiritales.

Maior pr. Species illæ ſunt æquè independentes à re impenetrabili, ac ipſi actus intellectus, à quibus ſunt relictæ: ergo ſunt verè ſpiritales.

QVARTA CONCLVSIO:

Anima ſeparata acquirit ſibi nouas ſpecies.

ANIMA ſeparata intelligit multa, quæ non percipiebat vnita corpori: ergo acquirit ſibi nouas ſpecies.

Antecedens probatur. Anima ſeparata percipit intuitiuè ſubſtantias materiales, & ſpiritales creatas; atqui non percipiebat illas intuitiuè dum erat vnita corpori: ergo intelligit multa, quę non percipiebat vnita corpori.

Maior pr. Illud percipit intuitiuè ſubſtantias materiales, & ſpiritales creatas, quod percipit

illas per propriam ſpeciem, & vt præſentes; atqui anima ſeparata percipit per propriam ſpeciem, & vt præſentes ſubſtantias materiales, & ſpiritales creatas: ergo percipit illas intuitiuè.

Minor pr. Non debet illas percipere miniſterio ſenſuum: ergo non percipit illas per alienam ſpeciem, ſed per propriam, & vt præſentes.

Antecedens pr. Nullo eget ad intelligendum miniſterio ſenſuum in ſtatu ſeparationis: ergo non debet illas percipere eorum miniſterio.

Obiicies. Nouæ ſpecies non poſſunt produci in anima ſeparata: ergo anima ſeparata non acquirit ſibi nouas ſpecies.

Antecedens pr. Nouæ ſpecies animæ ſeparatæ debent produci ab obiecto; atqui non poſſunt produci ab ipſo: ergo non poſſunt in ipſa produci.

Maior pr. Obiecta materialia, & ſpiritalia non poſſunt ſiue præſentia, ſiue diſtantia producere in anima ſeparata nouas ſpecies: ergo hæ non poſſunt produci in ipſa ab obiecto.

Antecedens probatur. Obiecta præſentia animæ non producunt in ipſa ſpecies, & diſtantia non producunt illas in medio interiacente: ergo obiecta materialia, & ſpiritalia, ſiue præſentia, ſiue diſtantia non poſſunt producere in anima ſeparata nouas ſpecies.

Antecedens pr. Species producitur tantùm vt ſuppleatur abſentia obiecti, & quæ producuntur in anima ab ipſo diſtanti debent eſſe ſpiritales; atqui obiecta præſentia animæ non indigent, vt ſuppleatur eorum abſentia, & diſtantia non pro-

ducunt in medio interposito species spiritales: ergo obiecta præsentia animæ non producunt in ipsa species, & listantia non producunt illas in medio interposito.

Solutio: Atqui *obiecta præsentia animæ non indigent, vt suppleatur eorum absentia, & ipsa non concurrunt ad sui cognitionem*, Nego. *& ipsa concurrunt*, Concedo. *& distantia non producunt in medio interposito species spiritales; & materiales, quas producunt, & quæ sunt immediatæ ipsi animæ non possunt illam iuuare ad coefficiendam cognitionem obiecti, & facere, quod faceret ipsum si esset immediatum*, Nego. *Sunt enim vicariæ ipsius, & non videntur requirere vnionem cum eo, cum quo coagunt magis, quàm ipsarum obiectum, & ex eo potest confirmari, quod non tantum illæ quæ sunt in principio cognoscente, sed etiam remotiores, & ipsum obiectum sicut concurrunt ad illas quæ sunt immediatæ principio cognoscenti, & quæ sunt in ipso: ita possunt etiam concurrere ad ipsam cognitionem. Et ex materialibus, quæ sunt in medio interposito, illæ, quæ sunt ipsi immediatæ possunt ipsam iuuare ad efficiendam cognitionem obiecti, & facere, quod faceret ipsum obiectum*, Concedo. ergo *obiecta præsentia non producunt species in anima, neque cognitionem sui simul cum ipsa*, Nego. *& producunt sui cognitionem simul cum ipsa*, Concedo. *& distantia nõ producunt illas in medio interposito, quæ producantur etiam in ipsa*, Concedo. *quæ cum est ipsis immediata, non producant simul cum ipsa cognitionem obiecti, cuius sunt vicariæ, & non faciant quod faceret ipsum si esset immediatum*, Nego.

Contrà. Responsio supponit obiectum non

producere vnquam in anima separata speciem: ergo anima separata non habet nouas species ab obiectis.

Solutio: *Responsio supponit obiectum non producere vnquam in anima separata speciem mediatè*, Nego. *Producit enim in illa speciem expressam, à qua relinquitur impressa, quæ eatenus dici potest esse mediatè ab obiecto, quod est causa suæ causæ. Immediatè*, transeat. *Dico*, transeat, *quia possunt esse circunstantiæ, in quibus obiectum debeat dici producere immediatè speciem impressam in anima separata saltem moraliter, & vt causa moralis, cùm nimirum inter duas animas non valdè remotas est inane, & vna vult declarare aliquid, quod habet in mente alteri, aut etiam si medium sit plenum sunt remotiores, quàm vt præsentiæ ipsarum possint esse immediatæ. Cùm enim non possint producere in vtroque illo casu in spatio interposito quidquam, quod possit coefficere cum alia anima cognitionem exprimentem id, quod ei declaratur ab alia, mouetur Deus per volitionem animæ loquentis, ad imprimendam speciem locutionis ipsius alteri animæ, cui loquitur, & species hoc modo impressa est immediatè physicè à Deo, & ab obiecto moraliter.*

Ratio autem, quare non possit anima in vtroque casu posito, quidquam producere in spatio interposito, est quia nihil produci potest in inani, neque ab ipsa, neque ab alio agente creato, & in spatio pleno, quale est, quod interponitur, nihil etiam produci possit, ad quod ipsum subiectiuè concurrat, vt facit ad species, quod non sit materiale: anima autem non sit productiua huiusmodi specierum materialium.

QVINTA CONCLVSIO:

Anima separata potest se mouere.

NIHIL est quod possit dici alligare animam separatam vni loco: ergo anima separata potest se mouere.

Antecedens pr. Non deest vis animæ separatæ ad producendum vbi contiguum illi, quod potest supponi habere in spatio, cui diceretur alligata, & potest vti vi: ergo nihil est, quod possit dici alligare animam separatam vni loco.

Prima pars antecedentis probatur.

Non requiritur maior virtus ad producendum vbi contiguum illi, quod supponitur habere, quàm ad istud conseruandum; atqui non deest ipsi vis ad istud conseruandum: ergo neque ad aliud producendum.

Maior pr. Vbi illa sunt eiusdem perfectionis: ergo non requiritur plus virtutis ad producendum vnum, quàm ad aliud conseruandum.

Antecedens pr. Perfectio illorum vbi est constituere suum subiectum præsens spatio; atqui non est maior perfectio constituere illud præsens spatio A v. g. quàm spatio B sequenti & illi contiguo: ergo vbi illa sunt eiusdem perfectionis.

Minor probatur. Spatium A, & B, sunt partes aëris, vel aquæ, quæ sunt æqualis omninò perfectionis: ergo non est maior perfectio constituere illud præsens spatio A v. g. quàm spatio B sequenti, & illi contiguo.

Secunda pars antecedentis superioris, quòd possit vti illa vi, probatur.

Anima separata potest velle vti vi illa: ergo potest illa vti.

Antecedens pr. Anima separata potest velle se facere præsentem alteri spatio: ergo potest velle vti illa vi.

Antecedens pr. Potest esse ipsi commodum, aut necessarium cognoscere aliquod obiectum, ad quod propterea quòd nimium distet à loco alligationis debeat propiùs accedere, cùm non potest ipsum in tanta distantia percipere: ergo potest se velle facere præsentem alteri spatio.

SEXTA CONCLVSIO:

Anima separata potest mouere corpora, & alias animas.

ANIMA æque habet vim ad mouenda corpora, & alias animas separata, ac habebat coniuncta; atqui coniuncta habebat vim mouendi corpora, & alias animas: ergo potest etiam separata mouere corpora, & alias animas.

Minor probatur primò.

Anima coniuncta corpori mouet alios homines, vt passim videmus & experimur: ergo habet vim mouendi corpora, & alias animas.

Maior præcedentis argumenti probatur secundò.

Vis requisita ad mouenda corpora, & alias animas, est vis productiua impulsus loco-motiui; atqui anima separata æque habet huiusmodi

vim, ac coniuncta: ergo anima separata æquè habet vim ad mouenda corpora, ac habebat coniuncta.

Minor probatur. Vis productiua impulsus locomotiui corporum, & spirituum, vt patet in Angelis, non requirit organa materialia, & ministerium sensuum: ergo anima separata æquè habet vim illam, ac coniuncta.

Plura addenda essent de vi motiua locali animæ separatæ, si quæ supersunt dicenda non possent facilè colligi ex iis, quæ diximus in Metaphysica de potentia loco-motiua Angelica.

SEPTIMA CONCLVSIO:

Anima separata non elicit sensationes externas, & internas, neque appetitiones materiales.

ANIMA separata non elicit operationes, ad quas non habet necessaria; atqui non habet necessaria ad eliciendas sensationes externas, & internas, & appetitiones materiales: ergo non elicit sensationes externas, & internas, neque appetitiones materiales.

Minor probatur. Requisita in anima ad eliciendas sensationes externas, & internas, & appetitiones materiales sunt organa materialia; atqui anima separata non habet huiusmodi organa: ergo non habet necessaria ad eliciendas sensationes externas, & internas, & appetitiones materiales.

Maior probatur. Anima non poteſt deficientibus organis materialibus, aut malè habentibus elicere ſenſationes externas, & internas, & appetitiones materiales: ergo organa materialia ſunt neceſſaria, & requiruntur ad eliciendas ſenſationes externas & internas, & appetitiones materiales.

FINIS.

INDEX RERVM, *quæ in hoc tertio Tomo disputantur.*

FINIS.